NICOLAI
VERNVLÆI

Hiſtoriographi Regij & publici Eloquentiæ Profeſſoris,

INSTITVTIONVM POLITICARVM

LIBRI QVATUOR:

Moralium libri quatuor, & Oeconomicarum libri duo.

Qui omnia Ciuilis Doctrinæ Elementa continent.

Nunc primum Scriptorum Teſtimonijs, Authoritatibus, Exemplis, & Documentis, quæ inſtar Commentariorum ſunt, adornati.



LOVANII,

Apud IOANNEM VRYENBORCH, ſub Biblijs.

M. DC. XLVII.

Cum Gratia & Priuilegio.

ADMODVM REVERENDIS,

ILLVSTRISSIMIS,

NOBILISSIMIS,

AMPLISSIMIS

ORDINIBVS

DVCATVS

LVXEMBVRGENSIS

ET

COMITATVS CHINIENSIS.

DOMINIS SVIS MAGNIFICIS.

ANNI ſunt circiter quatuor & viginti, INCLYTI ORDINES, cùm Vobis opuſculum de Republica, POLITICARVM nimirum INSTITVTIONVM Libros Quatuor inſcripſi, conſecraui, obtuli. Inuitabat tum ad vos, qui Patriæ noſtræ Remp. adminiſtratis, Argumentum, & quod exiſtimarem omnem de Republica ſeu publico ſtatu diſcurſum Magnorum Stomachorum cibum eſſe. Neque vllos rectius de Politicâ Scientiâ iudicare poſſe, quam eos, qui Remp. conſilio gubernant, vigilijs ſuis ſuſtinent, indefeſsâ operâ tuentur, ac de eâ benè mereri ſemper, (quod Vos facitis) contendunt. Sed illi à me tum oblati *Amplitudinibus Veſtris* libri nudam adminiſtrationis Politicę doctrinam nullâ authoritate præſidioque fultam continebant. Nunc verò creuerunt & adoleuerunt Libri iſti, ac iam Scriptorum præſtantiſſimorum Teſtimonia, Regum & Heroum Exempla, Sapientum Documenta ex omni Antiquitate & recentiori Æuo eruta complectuntur, & ad iuſtam quaſi ætatem perfectionemque peruenerunt. Enimverò quoniam veſtros illos eſſe voluiſtis quodammodo adhuc Infantes &

primis tantùm rudimentis Ciuilis Doctrinæ inſtructos, non dedignabuntur *Amplitudines Veſtræ* eoſdem robuſtiores iam factos, & Magnorum Virorum Sententijs, Monitis, & Exemplis ornatiores ſibi aſſerere. Potiſſimùm cùm idem ſit, qui illos præſentat, popularis veſter & patriæ amantiſſimus, cui non ſe tantummodo natum, ſed ſuas etiam vigilias & lucubrationes debere arbitratur. Liceat mihi ſanè gloriari, ſed vobiſcum, in patria noſtra, vt in ſocietatem eius gloriæ veniam, quam virtute, fide, conſtantia Luxemburgenſes meruerunt. Ac fidem imprimis in publico Belgicarum prouinciarum tumultu oſtenderunt, cùm extrema pati potius, quam à Rege ſuo deficere, maluerunt. Sic non Regi tantum, ſed Deo inuiolatam fidem ſeruauerunt. Nam eodem tempore graſſabatur Hæreſis, nec contenta Regium iugum excutere, in conſcientiæ libertatem Nationum animos rapiebat. Sed fuit Luxemburgenſibus ſatis vnus Deus, & vnus Rex. Imò cùm actum de cæteris Belgij Prouincijs videretur, vna Ditio Luxemburgenſis in fide permanſit, vt per eam Regi Catholico via ad alias, aut ſaltē ad bellum, pateret. Tantam fidem IOANNES AVSTRIACVS, qui tunc Belgij præfectus mittebatur, agnouit dum non tantum à ſolis Luxemburgenſibus exceptus fuit, ſed etiam occupatâ paulò pòſt Arce Namurcenſi, conſtituit, Rege ita probante, vt Arcis iſtius præſidium è ſolis Luxemburgenſibus ſemper eſſet. Nimirum in honorem fidei ipſorum. Et hanc non ignorauit etiam, ſed honorauit ALEXANDER FARNESIVS Dux Parmę, qui reducto ad Regis obedientiam Gandauo, eiuſdem Vrbis Arcem Luxemburgenſium fidei commiſit. Mutatâ hęc quidem poſtea fuère, ſed nequaquam Luxemburgenſis fidei teſtimonium eſt aut ſublatum, aut abrogatum. Quid, quod glorioſiſſimus Imperator CAROLVS V. eo die, quo expiatorijs aquis luſtratus eſt, & aureo vellere inſignitus, ſimul DVCIS LVXEMBVRGENSIS titulum accepit? Quid, quod prudentiſſimus PHILIPPVS SECVNDVS Rex, cùm filiam ſuam Se-

remiſſi-

reniſſimam ISABELLAM, CLARAM, EVGENIAM ALBERTO Archiduci Vxorem daret, ordinauit, vt ſi illis Prolem Diuina Maieſtas daret, ea DVX LVXEMBVRGENSIS appellaretur. Voluit tantus Monarcha huius Prouinciæ fidem honorifico eiuſmodi titulo æſtimare, & extollere, quaſi hanc Prouinciam maximè ſuam eſſe oſtenderet, quæ ab obſequio & Imperio ſuo numquam receſſiſſet. Neque verò, quamquam extrema paſſa etiam hac tempeſtate, vnquam recedet. Mutare animum fidemque neſcit, etſi tempora STATVM mutarent. Et hæc Conſtantia eſt in fide, quam nulla vis euellet, nullus hoſtis ſibi ſubijciet. Cum vinci Prouincia Luxemburgenſis poſſit, tum animi Luxemburgenſium ab hoſte numquam. Patent illi Principi ſuo, & in eius obſequio profundere vitam optant, hoc modo gloriam adepturi. Nec aliunde hic animus, quam à Natura, quæ fortitudinem cum fide in Luxemburgenſibus coniunxit, vt inuiolatam hoc modo fidem haberent, quam Virtus innata protegeret. Hanc ob cauſam peculiarem Rex affectum Luxemburgenſi Prouinciæ ſemper oſtendit, & ſuam benignitatem ita illi aliquando manifeſtauit, vt mandarit, *eam miti præ reliquis Imperio habendam eſſe*. Nec dubium eſt, quin aliquando ſerenior à Regiâ benignitate radius Luxemburgenſes afflabit, vt ſuo præmio ſeruata fides non careat, & ſimul alijs ſit exemplo. Enimvero vniuerſas Patriæ noſtræ laudes attingere propoſitum non eſt. Aliud Theatrum illæ depoſcunt, & vtinam ſit otium. Comparebunt in eo & Diui, & Heroes, & eruditione clari; in Sago & Toga multi, quorum in Animis inuiolata ſemper fides, in pectoribus Conſtantia, in manibus fortitudo. Noti illi ſunt, etiam Regibus & Monarchis ſuis. Sed ad Vos, INCLYTI ORDINES redeo, & hoc Opus meum iam maius & maturius *Ampliſſimis Dignitatibus Veſtris*, tanquam maioris obſeruantiæ teſtimonium, & in Patriam Amoris teſſeram offero. Vos ſolitâ beneuolen-

tiæ veſtræ propenſione accipite, & inter has turbulentiſſimorum temporum tempeſtates immotam erga Deum & Regem fidem conſtantibus animis fortiſſimiſque pectoribus ſeruate. Sic ſemper Luxemburgenſes eritis. Louanij Idibus Decembris. CIↃ. IↃC. XLVI.

Ampliſſimarum Dignitatum. VV.
Obſeruantiſſimus Cultor

NICOLAVS. VERNVLÆVS.



AD

AD LECTOREM.

QVod promiſi, Beneuole LECTOR, *cum Inſtitutiones noſtras Politicas primùm in lucem abire permiſi, nunc exſoluo. Pollicitus tunc ſum, quoniam nudam Politicæ adminiſtrationis Doctrinam Inſtitutiones illæ continebant, daturum me Scriptores omnes illos ſuis nominibus & Verbis, ex quibus concinnata Doctrina iſta erat. En illos habes, & ad ſingula capita ſuam authoritatem adferunt. Vt nimirum animaduertas me præter alios ſapere non velle, ſed ex communi omnium ſenſu & Mente loqui. Ac primâ quidem Editione ad Iuuentutis captum Doctrinam ipſam accommodaui, vt vno contextu ac velut filo vno videret ac diſceret, quid in rebus Ciuilibus ſit ſentiendum. Nunc verò dum Authorum præſtantiſſimorum ſententias & Documenta, varia item rerum geſtarum Exempla, Nationum mores & conſuetudines videbit legetq́;, credet facilius & doctrinam melius in ſe confirmabit. Hac in re etiam modum ſeruaui, ne prolixior eſſem, & ſic tædium adferrem. Neque enim innumeris allegationibus volui opus meum replere, & idem multoties dicere. Paucorum & vere Sapientum teſtimonia veritatem melius ſtabiliunt, quàm multorum ex vulgo Scriptorum repetita ſæpius Verba. Scio hoc ſæculum magna volumina æſtimare, & quæ ſcripta ad pompam ſunt, extollere; ego Doctrinam æſtimo & quæro. Maximi, fateor, laboris eſt tam multa ex omnibus congerere, ſed ingenij & iudicij maioris eſt, neceſſaria tantum adferre, & vtilia. Tu noſtris fruere,* LECTOR, *& iudica. Semper mihi Iuuentutis vtilitas ſuprema lex eſt.*

A P P R O B A T I O.

HÆ Inſtitutiones Politicæ, auctore Eruditiſſimo Viro NICOLAO VERNVLÆO, varijs Teſtimonijs, Exemplis & Auctoritatibus illuſtratę, ad mores formandos, & prudentiam comparandam admodum vtiles ſunt: quas propterea prælo & publicâ luce digniſſimas cenſeo. Dat. Louanij die 24. Decembris anno 1646.

IACOBVS PONTANVS S. Theol. Doctor Apoſtolicus ac Regius Librorum Cenſor.

P R I V I L E G I V M.

EX Priuilegio mihi à Catholico Rege, Principe noſtro, conceſſo, facio poteſtatem IOANNI VRYENBORCH Academiæ Louanienſis Typographo, Typis ſuis excudendi & diuulgandi, *Inſtitutionum Politicarum* Libros Quatuor à me ſcriptos, & nunc Sententijs, Teſtimonijs & Exemplis auctos; alijs eorumdem editionem intra decennium inhibens, x. Kal. Ianuarij 1646.

NICOLAVS VERNVLÆVS.

P R O OE-

PROOEMIVM
IN
INSTITVTIONES POLITICAS.

REIPVBLICÆ *Adminiſtratorem non ſolùm virtutum ornamentis decoratum, ſed etiam regendi arte oportet eſſe inſtructum: vt Ciuitatem atque adeò omnem hominum Societatem iuſtè ac ſapienter poßit gubernare; & in Reipublicæ gubernaculis conſtitutus non ſolùm ad omnem virtutis dignitatem ſubditis exemplum exiſtat, ſed etiam per certas Ciuilis Doctrinæ rationes & dogmata hominum voluntates & actiones moderetur, & fiat tam egregius humanæ prudentiæ Rector, quàm virtutum omnium cultor eximius.*

CAPVT. I.
Quid ſit Politica, & quid Politia?

ET verò cùm nullum animal homine moroſius ſit, nullumque maiori arte tractandum, tum admodum arduum & difficile munus eſt Rempublicam adminiſtrare. Eius tamen viam aliquam & modum tenere is poterit, qui Politicam, ſeu Ciuilem Doctrinam cùm egregiâ ingenij felicitate ſtudioque, tum vſu ipſo & quadam experientia didicerit. Eſt enim Politica iuſtè ac ſapienter adminiſtrandæ Ciuitatis ſeu Reipublicæ Scientia. Ciuilem Doctrinam Latini nominant. Quippè dicta Politica eſt ὰ πόλις Græco vocabulo, quod Ciuitatē ſignificat, non eam quidem, quæ Vrbs aliqua eſt, ſed ampliſſimam hominum ſocietatem, Rempublicam, Regnum atque Imperium, adeoque mundum ipſum. Vt omninò nobiliſſima hæc & auguſtiſſima ſcientia omnem adminiſtrandi Reſpublicas & Imperia modum tradat & ſubminiſtret; quem qui aſſecutus eſt, partem Reipublicæ ſibi commiſſam ſalutaribus conſilijs regere poſſit, & humano generi prodeſſe. Politia verò eſt legitima ordinatio Ciuitatis aut Regni, ſecundùm quam aliqui præſunt, aliqui ſubſunt ſeu parent. Hæc dici ſolet Ciuitatis anima. Quemadmodum enim omnium actionum in corpore principium eſt anima, à qua vita ipſa, ſenſus omnis & intelligentia eſt, ac per quam corpus regitur, vniuerſæque vitæ functiones ordinantur: ita Politia omnis adminiſtrationis eſt principium, ſineq; ea nihil in Republica cum communi vtilitate fieri poteſt & ordinari.

Quid ſit Politica.
Vnde dicta.
Quid Politia.
Ea eſt anima Ciuitatis.

CAPVT II.
Omninò dari Politicam talem Scientiam, & neceſſariò.

SAnè ſi nec currus ſine arte, nec naues regi poſſunt, & opus eſt, vt inter excitatos oceàni fluctus detonante tempeſtate aliquis ad clauum in puppi ſedeat; & vt equi aurigæ vocem audiant manumq; ſequantur, neceſſe eſt, vt & adminiſtrandi aliqua ſit ſcientia, quâ homo tam difficile & tam moroſum animal gubernetur. Nullum Imperium iuſtum conſtare ſine arte poteſt, & vincere faciliùs eſt hoſtem, quàm ciuem regere. Liber naſcitur homo, & cùm ſeruitutem pati non poſſit, libertatem ferre non poteſt; in hac laſciuit, ſub illa fatiſcit. Sine Imperio viuere non poteſt, & Imperium odit. Animi quippè multitudinis ac potiſſimùm imperitæ inſtabiles ſunt & varij, feroces ple-

Neceſſaria eſt Politica Scientia.
Quia homo difficilè regitur.
Liber eſt.
Varius & inſtabilis.

rumque

rumque & nimium præſidentes, quos regere & ad recti honeſtiq; normam componere, totq; hominum millia per tam diuerſos tramites, ad vnum eundem optimumq; finem deducere pluſquam humanæ eſt, & eſt diuinæ cuiuſdam artis. Quid populo ad iracundiam propenſius? quid in cupiditatibus vehementius? quid in voluptatibus mollius? quid in doloribus abiectius? quid in furore aſperius? Hunc nemo ſine ſumma arte vnquam regat. Nec illæ veteris æui Reſpublicæ tam potentes, tam florentes tenere curſum longiſſimo tempore tam felicem ſine arte boni regiminis potuerunt. Et illi planè ſingulares è populo omni ætate viri extiterunt, qui ad Reip. clauum ſedentes bonis iuxta & malis viuendi legem præſcripſerunt; vt nemo credere debeat, fato quodam Regna & Imperia gubernari & florere, quæ fato ſuo nonnunquam, cum viſum eſt ſummo Regi, intereunt. Atque hanc imperandi diuinam artem cùm Poëtæ veteres, Hiſtorici, Oratores, tum Philoſophi præclariſſimis monumentis ſuis tradiderunt, vt temporum ſuorum experimentis poſteritatis prudentiam augerent, & de hominum Societate quàm optimè mererentur.

In affectibus vehemens.

Veteres Authores Politicam tradiderunt.

CAPVT III.

Quæ materia Politicæ, quis finis, quæ vtilitas, & dignitas?

Ciuilis hæc Doctrina, quam Politicam appellamus, Reipublicæ ſeu Ciuitatis adminiſtrandæ modum conſiderat. Hic igitur eius eſt materia. Quippè in eo tota occupatur, vt quibus legibus hominum ſocietas regi poſſit, quæ officia imperantium ſint, & quæ ſubditorum, quomodo ſingulæ Reipublicæ partes ſuſtineri muniaq; peragi debeant, tradat ipſa & exponat. Vt nimirum & pacis artibus ornari poſſit, & belli viribus defendi. Finis autem Politicæ felicitas eſt Reipublicæ, ad quam conſilia omnia dirigere, & conatus ſuos referre, qui adminiſtrat, debet, nec alio fine imperandi Artis arcana documenta attingere, quàm vt ſciat primùm, tum vt ciues ſibi commiſſos induſtriâ, vigilantiâ, prudentiâq; ſuâ reddat quàm feliciſſimos. Vnde fit, vt nulla ſcientia ſit, vel nomine auguſtior, vel materiâ amplior, vel fructu diuinior, quàm ea, quæ de Rep. hominumq; ſocietate regenda inſtituitur. Nam cæterarum omniũ artium ſcientiarumq; meta ſcopuſq; quidam ipſa videtur, ac talis, cui tanquam Dominæ, Reginæ, Imperatrici reliquæ omnes famulentur. Adeò ſi vnicuique ſcientiæ ſuum eſt decus ampliſſimum, & vberrimus omninò fructus, quem ad Reipublicæ felicitatem producit, maxima profectò erit vtilitas Politicæ, quæ reliquarum omnium fructum in ſe ſola comprehendit. Et verò etiam ipſa ad humani generis vſum diſciplinas omnes alias applicat, & conſtitutos hominum cœtus gubernat ac tuetur. Imperatorum igitur, Regum, Principum, ac Magiſtratuum Scientia eſt Politica.

Materia Politicæ.

Finis.

Vtilitas & dignitas.

CAPVT IV.

Quis dicendus ſit verè Politicus?

Politicus is verè dicendus, qui Ciuili Doctrina præditus Reipublicæ tractandæ perficiendæq; vias omnes ita tenet, vt proſit. Vel eſt vir bonus regendi peritus, & quidam Reipublicæ perficiendæ artifex. Talis ille Platonis Philoſophus, quem, vt Ciuitas ſit felix, clauo apponendum eſſe vult. Tales Græciæ Sapientes præter vnum omnes, qui ſalutaribus conſilijs in patria ſua Reipublicæ adminiſtrandæ præfuerunt. Non ij verò hoc auguſtiſſimo nomine digni cenſeri debent, quos Politicos vulgus adorat. Gnathones ſunt & Ardeliones, in Ciuili conuerſatione gratioſi, moribus omnium accommodi, horarum omnium amici, Vrbani Scurræ, verſuti & verſipelles, qui et tempori ſeruiant Polypi ingenium induunt, & vt decipiant non rarò vultum mutant. Eorum ſumma doctri-

Qui Politicus.

Vulgo Politici minimè Politici.

Eorumdo-ctrina.

doctrina eſt, ſimulare & diſſimulare, verba dare cautè, pugnare doloſè, blanditijs certare, interim inſidias ſtruere, omnia ſe ſcire ſimulare, & omninò nihil aut parum ſcire. Machiauelliſtæ hi appellantur, vt nimirum infami nomine ſint famoſi, & ex nequitia gloriam colligant. Per quos effectum eſt hodiè, vt exoſum pænè Politici ſit nomen, nec ſatis vir bonus habeatur, qui Politicus. Sed error hic vulgi eſt. Politum equidem eſſe Politicum volo, in quo morum elegantia & comitas cum grauitate, & qui alloquijs officia prouocet; ſed ſimul qui pectoris prudentiam, conſilij maturitatem, ſermonis facundiam habeat, vitâ bonus, fide ſincerus, ſemper conſtans, intrepidus, omnibus benè conſulens, & ſalutem populi ſupremam ſibi legem proponens. Eius officium eſt conuenientem Reipublicæ formam pro ingenio naturâq́ populi, proq́ indole ac ratione loci conſtituere, aut rectè conſtitutam legibus, conſilijs, & omnibus prudentiæ officijs conſeruare, cunctaque ad ciuitatis aut Regni vtilitatem ordinare ac dirigere. Et cùm ſummam habere debeat Ciuilis Politiæ rationem, tum primam religionis, longéque ab aſſentatione pernitioſa animum remotum habere. Nemo hic Politicus, qui Machiauelliſta: qui talis, improbus eſt, & è Republica exterminandus. Officium veri Politici.

CAPVT V.

Qualis eſſe Politicus debeat.

VErbo dicam, vir bonus & ſapiens, & cuius proprium bonum virtus. Hæc niſi Politicum noſtrum regat, omnis eius actio calliditas ſit & malitia, & quiduis potiùs, quàm prudentia. Virtutem illi Philoſophia Moralis inſtillabit, à qua, priuſquam in hunc campum petitor deſcendat, informandus eſt. Sapientiam cæteræ Artes dabunt & vſus. Nec ſufficit Iuris, legum, variarumq́ conſuetudinum cognitio. Exploratas etiam habeat diſciplinas alias, Antiquitates omnes, Hiſtorias, & publicos Regnorum ac Imperiorum vbique ſtatus, nec, quantum fieri poteſt, rerum, quæ toto Orbe geruntur & geſtæ ſunt, ſic ignarus. Adeò maioris ſcientiæ eſt Politicum, quàm Iuriſperitum eſſe. Inter eius virtutes eluceant Iuſtitia & Prudentia. Illa niſi adſit, impoſtura eſt omnis prudentia Politica; hæc ſi deſit, eſſe Politicus non poteſt, qui vir eſſe prudens debet ad Reip. bonum. Finem ipſe ſuum ſemper præ oculis habebit, & in omni actione ſpectabit. Is eſt Reipublicæ perfectio, quem ſi conſequatur, iam ipſe quoque perfectus erit; ſi adipiſci propter rerum, quas fortuna ſuo arbitrio rotat, viciſſitudinem non poſſit, laudandus tamen, ſi officio ſuo ſit functus. Euentus in rerum omnium moderatoris Dei manu eſt: hic ſtabilit Reſpublicas ac conuertit. Nutum eius obſeruare ac parere, hominum eſt. Sed erunt fortaſſis, qui fortunam etiam quandam in Politico requirent, vt ſub eius manibus feliciter actiones procedant. Ego verò Politico noſtro Dei timorem ſuadeo, felicitatis ille omnis ac ſapientiæ initium eſt

Politicus virtutem habeat. Deinde ſapientiam. Artes Politici. Virtutes præcipuè. Finis Politices.

CAPVT VI.

An experientiâ tantùm, ac non etiam ſtudio acquiri ſcientia Politica poſſit?

NAſcuntur non pauci Principes ac Reges, & ab vtero quaſi ſceptrum ſortiuntur non tam hominum ſuffragijs electi, quàm naturâ facti. Nemo tamen imperandi peritus naſcitur, & prudentiam humanam Ciuilemq́ Doctrinam aut ſtudio acquirere, aut experientia comparare neceſſe eſt. Multi in hoc ſtudium grauiſſimis laboribus incūbunt, vſu verò deſtituuntur: plurimi longâ experientiâ rebuſq́ tractandis idonei Reipublicæ ſiunt, & prudentiam aliquam agendo colligunt, à ſtudio verò quàm remotiſſimi ſunt. Pauci qui ad ſtudium experientiam adiunxerunt, ſingulares illi tamen & planè diuini in Republica

Nemo naſcitur Politicus. Studio & experientia opus eſt.

viri

viri;nec ſapere illi poſſunt,qui odio quodam bonarum Artium,dum in Reipublicæ adminiſtratore ſcientiam non requirunt, nihil ipſi ſapiunt. Quid igitur? quò Politicum noſtrum vocamus? Opto experientiam, & ſuadeo, ad ſtudium voco. Quanquam nec vſus omninò deeſt,vbi ſtudium eſt. Regia olim ſupellex libri erant; his inſtrumentis Regna ſua & Reſpublicas adminiſtrabant,vt cùm omnibus prodeſſe deberent, plura & meliora,quàm omnes ſcirent. Turpe nimirum eſt alijs imperantem ſibi Imperatorem habere,nec ſuis quicquam, ſed alienis duntaxat oculis videre. Et ſanè ſi felix ac beata Reſpublica eſt, quam Philoſophi regunt, non eſt niſi à Doctrina hæc felicitas. Illa ad virtutem animos excitat & diſponit,humanitatem noſtram exornat, authoritatem conciliat; & libenter illi homines obtemperant, quem ad ſuam vtilitatem ſeipſis prudentiorem agnoſcunt. Quiſquis ad aliquem Reipublicæ clauum ſedere aliquando exoptat,ſi ad libros attento ſtudio prius accedat, hic Societatis humanæ miſerias ac calamitates diſcet,vt hominum mis ereri quandoque poßit; fraudes & aſtutias plurimas cernet, vt caueat, ac nè decipiatur; abuſus videbit non paucos,vt in ſua Rep. tollat; multorum pernitioſas factiones intelliget,vt auertere & extinguere perdiſcat. Hic Regũ & Principum arcana in ſilentio Hiſtoricis fideliter reuelantibus explorabit, & quaſi in Curia quotidie ageret,Senatorum conſilia audiet; quaſi in foro & tribunalibus verſaretur, iudiciorum rationes perſpectas habebit; quaſi in caſtris vitam degeret, militiam omnem & bellandi artem non ignorabit; quaſi per orbem vniuerſum peregrinaretur, omnium populorum mores, gentium inſtituta, Rerumpublicarum formas, & omnes vitæ rationes cognoſcet. Planè paucorum annorum ſtudium longißimæ vitæ fructuoſum eſt compendium, & plus non rarò ad libros ſedendo diſcitur, quàm orbem deambulando acquiritur. Nec ab illa vitæ ciuilis experientia, quæ multos annos exigit, certa haberi ſcientia poteſt; nam boni conſilij non rarò peßimus eſt exitus, & malè quandoque optimus,vt fortunam aliquam hîc agnoſcere liceat, aut rationem latentem ignorare. Studium verò non æui tantùm veteris experientiam manifeſtat,ſed conſiliorum etiam rationes, & clarißimorum iudicia virorum, de quibus iudicare iterùm poſteris licet,aperit. Vt iam omninò credere oporteat non minorem ex libris ipſis,quàm ex publicarum adminiſtratione rerum experientiam hauriri, ac proinde ſtudio,non vſu tantùm Politicam,ſeu Ciuilem hanc Doctrinam comparari. Quam profectò qui priuatis antè laboribus acquiſiuerit, quàm ad Reipublicæ munus acceſſerit,multò & ſecurior erit, & conſtantior aget,quod ea,quæ fient,intelliget, & facere nihil reformidabit, quod benè ſe didiciſſe confidet.

Solo ſtudio Politica comparari poteſt.

Doctrinæ ſtudium conciliat authoritatem.

Ex libris omnia diſci poſſunt.

Etiam ſtudio experientia habetur.

CAPVT VII.

Epilogus Prooemij, & Conſtitutio huius operis.

IGitur poſt illuſtres Scriptores, qui de rebus ciuilibus ſummâ eruditione facundiaq; diſſeruerunt, & Regibus ac Principibus,alijſq; Reipublicæ adminiſtratoribus ſalutaria documenta victuris æternùm monumentis tradiderunt paruo volumine Politicam vniuerſam complexi ſumus, & in quatuor Inſtitutionum Politicarum libros partiti digeßimus, vt totius Ciuilis Doctrinæ Elementa prima Reipublicæ Candidatis ſint in promptu. Hos verò qualeſcunque libros, cùm ex veterum Hiſtoricorum & Philoſophorũ monumentis, tum ex recentiorum authorum Commentarijs, quantum ſtudio Iudicioq; aſſequi potuimus,confecimus, vt Reipublicæ etiam vel hac ratione prodeſſemus, ſi noſtrâ operâ aliquid diſcerent, qui illam aliquando ſunt recturi. Quos rogamus,vt illos tantâ beneuolentiâ excipiant fruanturq;, quantâ nos in ijs conſcribendis diligentia ſtudioſæ & ad Rempublicam acceſſuræ Iuuentutis vtilitatem quæſiuimus.

Politica in quatuor libros digeſta.

FINIS PROOEMII.

NICO.

NICOLAI VERNVLÆI INSTITVTIONVM POLITICARVM SEV ELEMENTORVM CIVILIS DOCTRINÆ LIBER PRIMVS.

De Republica in genere, & Monarchia.

TITVLVS I.

De Reipublicæ Natura.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Reſpublica?

RESPVBLICA eſt Ciuium multitudo rerumque inter eos communium ſummâ poteſtate rectâque ratione gubernata. *Definitio Reip.* Eius materia Ciues ſunt, ſeu hominum cœtus, res item quæ publicæ ſunt & ciuibus communes. *Materia.* Forma eſt ipſa recta ciuium & rerum communium adminiſtratio bonis legibus conſuetudinibuſque temperata, quâ imperantium parentiumque ordo conſiſtit. *Forma.* Per hanc cùm perſonæ, tum res communes ita afficiuntur, vt Reſpublica quoddam vnum ſit corpus bene conſtitutum ac temperatum. Inter eam & Ciuitatem legibus conſtitutam nullum eſt diſcrimen. Ab vrbe diſtinguitur, quod Vrbs muris finiatur.

Teſtimonia & Authoritates.

Lib. 2. de Ciuit. cap. 21.

Lib. 1. de Rep. c. 1.

RESPVBLICA *res populi eſt,* inquit. *D. Auguſtinus Populus autem non omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociatus.* Eam à re, hoc eſt ab imperio publico dictam *Buſius* arbitratur. Quatuor autem apud Politicos ſunt Reipub. ſignificationes. I. pro integro Imperio, regno, natione, prouincia, modo quæ plures ſunt Gentes ſupremâ vna poteſtate gubernentur, etſi legibus moribuſq; diſcrepent. Ita Caſſiodorus magnum Imperium magnamRemp. appellat. Magna Reſpublica erat Romana, quæ orbi pœnè vniuerſo legem ponebat, Magna quoque Reſpublica erat Perſica, quæ ab extremis Indiæ populis ad Helleſpontum vſque ſeptem & viginti prouincias continebat. II. Pro Ciuitate aliqua vna; quomodo Rempublicam olim Babylonicam; & nunc Venetam aut Genuenſem dicimus. III. Pro hominum multitudine certo in loco & ordine legitimo gubernatorum. Quâ ſignificatione Reipublicæ materia deſignatur. IV. Pro regimine ſeu adminiſtratione; quæ ſignificatio Reipublicæ formam exprimit. Atque hæc de nomine, quibus conſideratis variè Rempublicam Politici definiuerunt. Ariſtoteles *Reſpublica*, inquit, *eſt Ciuitatis ordo ac Magiſtratuum tum aliorum, tum eius potiſſimum, qui omnium eſt ſupremus.* Plutarchus hoc modo. *Reſpublica corpus eſt quoddam concinnatum membris, quod diuini muneris beneficio animatur, & ſummæ æquitatis agitur nutu, regiturq́; quodam lumine rationis.* Tholoſanus *Ciuitas eſt ciuium vnitas iiſdem legibus & vnius poteſtati ſubiectorum.*

Lib. 3. Pol. c. 6.

Lib. 1. c 3.

Bodinus, Ciuitas eſt vrbis ipſius & municipiorum atque etiam vicorum iiſdem legibus & moribus vtentium coniunctio. Cæterorum definitiones hæc vna Inſtitutionum noſtrarum fere complectitur. In ea ſummam poteſtatem requirimus, quod ibi nulla Reſpublica ſit, vbi ſumma Imperantis poteſtas non eſt, quæ rectæ rationis legibus adminiſtret. Lib. 2. c 6.

Materiam Reipublicæ ipſos hominum cœtus aſſignamus. *Nam*, vt inquit Ariſtoteles, *Ciues ſunt, in quibus Reipublica forma recipi nata eſt.* Et Cicero. *Vrbes ſine hominum cœtu non potuiſſent ædificari, nec frequentari.* lib. 3. Pol. Lib. 2. Off.

Formam dicimus ipſam Reipublicæ adminiſtrationem. Ita tamen, vt bonis legibus ſit temperata. Talis ſi non ſit Reipublicæ potius confuſio eſt, quam Reſpublicæ. Tum enim prius ſanctum eſt Reipub. nomen cùm legum Sanctionibus Reſp. ſubnixa eſt. Vnde S. Auguſtinus, *Magna Imperia*, inquit, *ſine iuſtitia, nihil aliud ſunt, quam magna latrocinia.* Et M. Tullius Cicero de legibus *Siue Imperio*, inquit, *nec domus vlla, nec Ciuitas, nec Gens, neque vniuerſum hominum genus conſiſtere poteſt.*

CAPVT II.

Cauſa efficiens & finis Reipublicæ.

Cauſa efficiens Deus Naturæ author.

POrrò Reipublicæ ſeu Ciuitatis conſtitutio à Deo & Natura eſt. Quippè Deus ductum quendam & inſtinctum Naturæ hominum inſeuit, vt viuere ſimul & in ſocietate velint, ſeque inuicem tueri & genus ſuum propagare. Vnde ex amore prima maris & fœminæ ſocietas orta eſt, Ciuitatis & Reipublicæ ſeminarium, ſicque conſtituta Familia. Deinde creſcente filiorum & nepotum numero domos alias addere opus fuit, atque inde pagi & oppida. Tum cùm eodem in loco proſpicere omnes neceſſitatibus ſuis non poſſent, facti ſunt ſeorſim alij cœtus per vrbes & ciuitates diſtincti, ſicque paulatim conſtituti Principatus, Regna, Imperia, dum capere vna Regio mortales omnes non poteſt. In Familia Ius dicebat ſenior ſeu Paterfamilias; reliquæ hominum ſocietates vrbibus & certis regionum limitibus comprehenſæ præſtantiori alicui ſeſe regendas ſubiecerunt. Vnde orti poſtea Principes & Reges.

Finis

Finis Reipublicæ eſt humanæ vitæ commoditas ſeu publica felicitas, *Finis.* quæ non in bonorum fortunæ tantum, ſed in virtutum præſertim affluentia conſiſtit, ex qua ſingulorum vtilitas conſequitur. Nam ideò Reſpublicæ ſunt, vt in ijs homines henè beatèque viuant.

Teſtimonia & Authoritates.

IMpij quidam olim impiè aſſeruerunt Reſpublicas à Deo irato pœnæque loco inductas. Nec melius Epicurei homines temere fortuitoque in politicam ſocietatem conueniſſe, quemadmodum nullâ naturæ lege atomi confluunt. Certum autem eſt Deum & Naturam Reipu-
lib.2. Off. blicæ cauſam efficientem eſſe. Vnde Cicero, *Duce*, ait, *Naturâ congregantur homines*. Et Ariſtoteles in politicis *Reſpublicas*
lib 3.cap. 6. *appellat cœtus hominum benè beateq́; viuendi causâ ſociatos*. Congregantur itaq; homines ad publicam felicitatem, ſeu ad bene beateq́; viuendum. Et hic eſt finis. Quam ob cauſam lib. 1. Oeconomicorum Philoſophus dicit: *Ciuitatem eſſe multitudinem domorum agri & pecuniâ, quantum ſatis eſt, abundantem, vt benè viuamus*. Huc per-
lib 5.de Rep. tinent M. Tullij verba, *Vt Gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria, ſic moderatori Reipublicæ beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit Reſpublica*. Hæc autem felicitas cùm in fortunæ bonis, tum in virtute potiſſimum conſiſtit. Neque audiendus hic Plato, qui Reip. finem in contemplatione conſtituit. Dirigi enim vita hominum practica ad practicum finem debet, hoc eſt ad virtutis actionem. Et quoniam, vt ait Iuriſconſultus, legum ideo ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus, non minuitur hominum libertas per Reſpublicas, vt nonnulli ſunt arbitrati, ſed augetur. Audiant Marcum Tullium. *Quis liberè vi-* Parad 5.
uit, niſi is, qui recta ſequitur. qui gaudet officio, qui legibus paret non propter metum, ſed eas ſequitur ac colit, quia id ſalutare maximè iudicat. Adeò qui legibus paret, Deo & naturæ & ſic ipſi paret, ſicque nulli alij ſeruit.

CAPVT III.

Quot, & qui homines ad Rempub. neceſſarij.

CIuium certus ac definitus in Republica numerus eſſe non poteſt, ſuf- *Ciuium*
ficiens ſit oportet, & talis iudicio prudentium æſtimetur; vt nec ni- *non certus*
miâ hominum multitudine Ciuitas oneretur, nec inopiâ laboret. *ad Rem-*
Innumeram hominum multitudinem rebus omnibus neceſſarijs inſtrue- *pub. numerus.*
re, legibuſque coërcere arduum eſt. Quæ paruo etiam ciuium numero ciuitas definitur, facilè vel contagione aliquâ peſtiferâ, vel Martis furore, vel aliâ iniuriâ cladeque exhauritur. Præter autem Reipublicæ Magi- *Tria ho-*
ſtratum, in quo pro numero ciuium, vel multi vel pauci eſſe poſſunt, *minum*
tria hominum genera neceſſaria ſunt, Agricolæ, Artifices, Milites. Hi ad *genera,*
Reipublicæ ſubſidium & propugnationem excubare debent; Agricolæ, vt *neceſſa-*
ad victum neceſſaria ſubminiſtrent; Artifices, vt cæteris extra victum ne- *ria.*
ceſſitatibus conſulant. Ex his & illis aſſumi quoque ad Reipublicæ Magiſtratum poſſunt. Serui ciuium ſunt inſtrumenta, Nobiles ad Reipublicæ regimen & eius defenſionem nati videntur. Sacerdotes & qui Religionem curant peculiari ordine cenſentur, & ſicut primum in Republica munus, ita locum tenent. De ſingulis poſteà.

Teſtimonia & Authoritates.

PLato in prima ſua Republica mille homines, qui arma ferant; in ſecunda quinque millia & quadraginta requirit. Et hanc turbam cùm vxoribus ſuis

& ſeruis ex publico ciuitatis Ærario alendam eſſe cenſet. Ariſtoteles verò id abſurdum; incommodum & difficile oſtendit. Homines iſti in otio viuunt, ſicq; eos alere non decet; & in tam exili bonorum proportione, quàm ad frugalitatem tantum ponit Plato, quis modus? Rerum copiam non excedat, nec certa ſit, nec infinita Ciuium multitudo. Qui maximè neceſſarij ſint lib. 3. dicetur. Rectè verò Ariſtoteles, Non modo, ait, ex pluribus hominibus eſſe ciuitatem, ſed ex ſpecie differentibus, non enim poteſt eſſe ex ſimilibus. Vnde non benè Veteres quidam ex ſimilibus coaleſcere Remp. cenſuerunt, cum copioſior & inſtructior ſit, quo maiores munerum, laborum, artium, ſtatuum varietas.

lib. 2. Polit.

lib. 2. Pol. c. 2.

CAPVT IV.

Quæ res ad Rempublicam communes, & an omnes.

PVblicæ res, quæ vulgò Communitatis appellantur, & communi Reipublicæ adminiſtratione continentur, ſunt cùm diuinæ, tum humanæ, vt religio, Iura, Leges, mores, ædes ſacræ, publica ædificia, viæ communes ſeu plateæ, flumina, vectigalia, Muri vrbis, publica ædificia; Theatra, officia Reipublicæ, & id genus alia. Sunt tamen res quædam ſacræ, quæ priuatis bonis accenſentur. Paſſim autem rerum omnium communionem deprauata hominis natura pati non poteſt; & cùm negligi communia ſoleant, neceſſaria eſt rerum ferè omnium, ac præſertim fundorum, propria poſſeſſio, quæ & iucundior eſt, & ſingulorum induſtriam diligentiamque excitat magis. Quippè rerum ſuarum omnes curam ſuſcipiunt libentur, & ijs delectantur, quarum vſu beneficia exercent. Ita verò rerum proprietas ſingulis iure quodam naturæ conceſſa eſt, vt vſus certo ordine & ex rationis præſcripto communis eſſe debeat. Ideò enim homines in cœtum aliquem & ſocietatem coaleſcunt, vt rerum ſuarum communicatione facta inuicem ſe iuuent. Ad communicationem æſtimatione rerum eſt opus; hæc prudentis Magiſtratus iudicio pro temporum varietate conſtituitur.

Res ad Rempublicam communes.

Neceſſaria tamen proprietas.

Ita vt vſus certâ lege ſit communis.

Teſtimonia cum dubiorum ſolutione.

OMnino iſta inter homines communia ſunt, quæ hic recenſentur. Imò eæ omnes res communes ſunt, in quas habere dominium homo non poteſt, cuiuſmodi ſunt cœlum, aër, ignis, aqua, quæ iure naturali ab omnibus quodammodo poſſidentur.

At Socrates & Plato omnia in Rebuſpublicis communia eſſe debere cenſent. Felicem illam Rempublicam Plato deprædicat, in qua voces iſtæ *Meum* & *Tuum* non audiuntur. Sic ſtabiliorem firmioremque eſſe Rempublicam, ſicque magis vnam. Sed Ariſtoteles fundos & agros ſeorſim poſſidendos eſſe, illamque bonorum communionem reijciendam aſſeuerat. Ratio hic deſignata eſt ex illo. Nec tam iucundus rerum eſſet vſus, niſi per eas beneficia in alios exercerentur. Eâ proprietatis lege felices olim habiti ſunt lacedæmonij, & illam hodie totus orbis amplexatur. Neque tanta vnitas Reipublicæ eſſe debet, vt nulla ſit in ea rerum officiorumque diſtinctio, quæ vbi non eſt, ſola confuſio eſt. Diuina lex, quæ furibus ſupplicium proponit, & furta prohibet, rerum omnium communionem certè non probat. Proprietas rerum ciuitati pacem & quietem adfert. Materia enim communionis diſcordias ſolet excitare, vt reſpondit aliquando Papinianus. Et Paulus I. C. *Propter immenſas contentiones plerumq; res ad diuiſionem peruenit.*

lib. 5 de leg.

lib. 2. Polit. c 3.

In l. Eum Pater, 27. §. dulciſſimus.

Quid verò, quod Plato etiam vxorum communionem introducendum cenſet? Idem aſſeruerunt Stoici teſte Laertio in vita Zenonis, quem legem tuliſſe, ait, quâ patres cum filiabus, filios cum matribus, fratres cum ſororibus coïre permiſerit. Eodem

In l. In re communi. de ſeruit. lib. 5. de leg. & in Timæo.

Eodem dogmate imbuti olim Eſſeni & Carpocratiani fuerunt, & hodie infecti ſunt Anabaptiſtæ. Horum ratio, quod in prima rerum creatione rerum omnium dominium homini à Deo fuerit conceſſum. Sed Ariſtoteles dogma iſtud vel potius phantaſma multis rationibus confutat. (lib. 2. polit.) Quippe contra Naturam eſt, tollitque ſui & ſuorum amorem, curamque vxorum & liberorum, conſanguinitatiſque gradus confundit. Imò illa vxorum communio fœcunditari obeſt fœminarum, quia diuerſa & aduerſantia ſemina partum impediunt, quod nihil aliud eſt, quam naturam deſtruere. Eſt & contra iuſtitiam, quod concordiam & amicitiam dirimat, & Magiſtratibus reuerentiam detrahat. Quid, quod & ipſa natura à promiſcuo concubitu abhorreat, potiſſimum cum conſanguineis? Ammon Dauidis filius cum ſororem ſuam ſtuprauiſſet, naturali pudore & ſceleris conſcientia admonitus illam à ſe abegit, ne eius aſpectu ſauciata ſubinde conſcientia recrudeſceret, vt videre eſt in libris Regum. Ipſa animantia ratione carentia eiuſmodi contra Naturam concubitus vitant. Cameli & Elephanti à matrum concubitu abhorrent teſte Ariſtotele lib. 9. hiſt. animalium, Æliano lib. 4. hiſt. Plinio lib. 17. cap. 42. Cùm aliquando Cameli pullus fraude Camelarij admixtus matri fuiſſet, is cognitâ matre cùm operimentum decidiſſet morſu Camelarium interemit. Referunt Ælianus & Plinius dictis locis. Scribunt ijdem Schytarum Regi equam egregiam fuiſſe, ex qua generoſi mares naſcebantur, ex quibus vnum cum admittere ad matrem procreationis cauſa vellent recuſareique, poſtea tamen coopertam compreſſiſſet, vbi detectam agnouit, corruit examinatus. Nec refert quod in Ægypto olim & Lybia communes fuerint vxores, vt nonnulli tradunt, ac hodie idem de quibuſdam Indiæ populis aſſerunt; nam ſexcenta Barbarorum exempla non arguunt ius Naturæ.

CAPVT V.

Quis perſonarum ad Rempublicam conſtituendam ordo.

OMnis Reſpublica Imperio continetur & ſubiectione. Itaque neceſſarium eſt, vt ſint, qui imperent, & qui obediant: illorum primus ordo eſt, horum deinde. (*Imperantium ordo primus.*) Imperant Principes, Reges, & quicunque Magiſtratus, qui ſupremam à Deo ex populi voluntate poteſtatem habent in Republica. Cæteri obediunt omnes. Inter hos aliqui ita obediunt, vt ſimul acceptâ à ſupremo Magiſtratu poteſtate imperent, vt Magiſtratus Ciuitatum, Senatores, Iudices; Item Duces, Proreges, Toparchæ, & quicunque à Principibus ſubſtituti. (*Alter parentium.*) Hi enim regunt alios, & reguntur ipſi. (*Sunt qui regunt & reguntur.*) Aliqui tantùm obediunt, & cùm Principis, tum Magiſtratuum Imperio parent, nec ipſi, niſi in familia ſuâ dominantur. Tales ſunt paſſim Ciues per opificia diſtributi, & qui ad minora Reipublicæ munera aſſumuntur, vt operam ſuam Reipublicæ locent, cuiuſmodi Notarij, ſimileſque. (*Sunt qui tantùm reguntur.*) Pueri & adoleſcentes in parentum ſunt poteſtate, nondum Reipublicæ ordinibus adſcripti. In eius ſpem cùm alantur & creſcant, eorum inſtitutionis cura publica eſt.

Teſtimonia & Authoritates.

DUobus vinculis natura connectitur, vno poteſtatis, altero ſubiectionis. Hinc duo membra Imperantium, & Parentium. (lib. 3. de Rep. c. 5.) *Qui imperant*, inquit Bodinus, *ſiue illi Imperatores & Reges, ſiue Principes, ſiue populus ſint, iura ſumma poteſtatu habeant, qui* quod verbis imperandi & iubendi vti ſoli poſſint, Magiſtratus appellantur. Quanquam ſecundùm Baldum hac ſpeciali Magiſtratus ſignificatione Princeps, à quo omnium dignitatum ac Magiſtratuum fons & origo proficiſcitur, non comprehenditur; *Quod capita dignitatum, appellatione dignitatum non veniant*, vt inquit Cuiacius, (In l. 2. §. 14. de Orig. Iuris.) Item Bodinus. Poſt Imperantes parentium ordo dignitate inferior

ferior ſequitur, quo nomine cenſentur omnes quoquomodo ſummæ Maieſtati obligati, vt ſubditi, Vaſalli, Clientes. De omnibus & ſingulis ſuo loco. Porrò *imperare & parere non ſolum naturalia*, vt vult Ariſtoteles, *ſed neceſſaria & vtilia Natura, ac rerum naturalium munia ſunt*, *Quippe*, vt ait idem ibidem cap. 2. *Sicut homo animalium eſt optimum, ita ſine iuſtitia, ſine iure ac lege omnium eſt deterrimum.* lib. 1. Pol. c. 1.

CAPVT VI.

Quæ ſumma poteſtas, quâ Reſpublica gubernatur.

Quid ſũma Reip. poteſtas.

SVmma hæc poteſtas eſt ſummum ipſum Reipublicæ Imperium. Vulgò Maieſtatem appellant. Nec aliud eſt, quam ſupremum illud Ius, quod qui Reipublicæ præeſt in ſubditos omnes obtinet. Continetur fundamentalibus Reipublicæ legibus, quibus etiam Imperantis Maieſtas obſtricta cenſetur. Ipſi verò Reipublicæ coæua eſt, ſed in perſonam aliquam vnam vel plures transfertur, cùm neceſſarium ſit, vt homines in cœtum aliquem coacti, Ducis alicuius Imperio contineantur & defendantur. Si ipſe ſe populus regat, Maieſtatem & Imperium retinet, ſuâque ſe authoritate defendit.

Teſtimonia & Authoritates.

lib. 1. c. 8. BOdinus, *Cùm Rep.* inquit, *Maieſtas naſcitur, & cum eadem interit, quam ideo fundamentum Reip. nuncupant.* Pro diuerſa gubernandi ratione vel Monarchica, vel Ariſtocratica, vel Democratica eſt, quod vel in vnum vel in plures conferatur. Exemplo ſit Imperium Romanum, cuius ſumma poteſtas initio manu Regia Monarchicè adminiſtrata fuit; deinde exactis regibus eadem penes populum fuit. Tum iterum in Auguſtum Cæſarem tranſlata relapſo ad Monarchicam gubernationem ſtatu. (Plutarchus in Auguſto) Diuidunt Politici Maieſtatem in Realem & Perſonalem. Realem dicunt ipſius eſſe Reipublicæ, Illique coæuam ac eius fundamentum, quæ imterregni tempore etiam duret, & quamdiu Reip. corpus conſiſtit, permaneat. Vnde qui aduerſus populum ſeu Remp. delinquit, tam Criminis læſæ Maieſtatis eſt reus, quam qui in Principem aliquid committit. Hanc Maieſtatem leges Reip. fundamentales comprèhendunt, quæ vbi conuelluntur, conuerti vel euerti Reip. ſtatum neceſſe eſt. Perſonalis Maieſtas eſt ipſius imperantis ſeu Remp. adminiſtrantis, qui ne Reip. Maieſtas aliquid detrimenti capiat, comiter obſeruare tenetur, eiuſque legibus obſtringitur, quas immutare ſine Reip. conſenſu non poteſt.

TITV-

TITVLVS II.

De formis Rerumpublicarum.

CAPVT I.

Quot ſint Rerumpublicarum formæ ſimplices.

Rerumpublicarum ſeu humanæ gubernationis formæ tres ſunt ſimplices, Monarchia, Ariſtocratia, Democratia. Monarchia eſt vnius principatus, latinè Regnum dicitur. Ariſtocratia eſt paucorum, ſed optimorum qui ob commune Reipublicæ bonum gubernant, principatus. Democratia eſt multorum ſeu popularis principatus, quando nimirum totus populus ſummâ poteſtate regit & publicæ vtilitati conſulit. Poliarchiam vulgò & Rempublicam appellant. Porrò triplicis huius gubernationis hæc ratio eſt. Omnis populus ſeu quæuis hominum multitudo ſeipſam regendi ac gubernandi poteſtatem à natura habet; hanc ſi ad vnum aliquem, cuius Imperio regi velit, transferat, Monarchia fit ſeu Regnum: ſi ad paucos Optimates, fit Ariſtocratia: ſi ſibi illam retineat, ſeque ipſam gubernet, Poliarchia ſeu Democratia exiſtit.

Tres Rerumpub. formæ ſimplices. Monarchia, Ariſtocratia Democratia.

Ratio triplicis formæ.

Teſtimonia & Authoritates.

Vsitata receptaque eſt hæc tripartita diuiſio, vt tres ſint ſimplices Imperij formæ, Monarchia, Ariſtocratia, Democratia. Ariſtoteles, *Neceſſe eſt imperare aut vnum, aut paucos, aut multos.* Plato in Politico, *Si tibi non conſtat vrbium quaſdam ab vno, quaſdam à populo, quaſdam ab Optimatibus adminiſtrari.* Polybius, quem nonnulli alij ſequuntur, ſex Reip. formas enumerat, *Monarchiam, Tyrannidem, Ariſtocratiam, Oligarchiam, Democratiam; Ochlocratiam;* verum Tyrannis, *Oligarchia, Ochlocratia* Vitia ſunt Reip. non formæ. Porrò hoc tempore quod hæc vel illa Reip. forma in ciuitatem aut prouinciam aliquam eſt inducta, diuerſitas fecit ingeniorum & conditionum populi, quam attendere in conſtituenda Reip. formâ omnino oportet. Hermogenes in Compendio Rhetorices, *Politiæ*, inquit, *propriæ tres ſunt, quibus nonnulli tres alias adijciunt, vt manifeſta nobis fiat hæc diuiſio. In principatu euenit aut vnum, aut plures, aut omnes regnare, atque hos vel bonos vel malos. Quod ſi vnus Princeps fuerit & bonus, hic regnum conſtituet; ſin malus atque vnus idem tyrannidem faciet. At ſi plures regnabunt & boni, hi Ariſtocratiam facient; ſi mali Obligarchiam. Si verò dominentur omnes & boni, hi Democratiam; ſi omnes & mali, hi Ochlocratiam facient.* Carolus Sigonius. *Qui hactenus præcepta nobis de Republica reliquerunt, ij ferè vniuerſi in eo conſentiunt, vt tres Rectas eſſe Reſpublicas ſtatuant, & tres contra deprauatas. In bonis Regem numerant, Optimates & populum; in vitioſis Tyrannum, Paucorum factionem, & Plebem.* Idem ſentiunt omnes ferè Scriptorum claſſes. Harum porrò formarum exempla quædam & ſimilitudines ſunt in domibus familijſque. Societas enim patris ad filios regni effigiem præ ſe fert; ſocietas viri & vxoris Optimatum poteſtati ſimilis eſt; vir enim vxori imperium relinquit in ijs, quæ illam decent. Fratrum ſocietas quædam eſt popularis poteſtas, dum ætatis ſublato diſcrimine pares ſunt, ſicut ciues iure, etſi non virtute.

l. 3. Polit.

lib. 6.

Cap. de Politijs.

lib. 1. de Antiq. Iure Romanorum.

CAPVT II.

An miſceri aliquaudo Rerumpub. forma poßint.

Ariſtocratia benè cum Monarchia miſcetur.

EX ſimplicium gubernationis humanæ formarum permixtione quadam aliæ quoque formæ exurgunt. Hæ mixtæ dicuntur. Imprimis Ariſtocratia quandoque ita cum Regno ſeu Monarchia miſcetur, vt Summi Principis poteſtas Optimatum authoritate quodammodo temperetur. Adeò vt prolabi in tyrannidem facilè non poſſit. Quæ ratio adminiſtrationis multis in locis magnâ vtilitate locum inuenit, vbi Ordinum Prouinciæ, ſeu, vt vocant, Satuum Concilia erecta ſunt, à quibus Rex aut Princeps non parum dependet, & quorum in maioribus præſertim Regni negotijs conſenſum requirit. Deinde ex Ariſtocratia Democratiaque Reipublicæ ſorma quædam exiſtit, cùm Optimatum Imperium ſine populi authoritate non ſatis eſt potens, & eorum de ſummis rebus decreta huius conſenſu priùs firmantur. Optimum enim eſt, vt vbi quorundam nimia licentia timetur, ibi remedium ſit omnium poteſtas. Poteſt & Monarchia cum Democratia miſceri; at verò parum felix hæc gubernatio, in qua imperantes omnes, nulli obtemperantes. Infelicior ſanè illa, imò confuſio quædam tantùm, cùm Monarchia, Ariſtocratia, Democratiaque vnà miſcentur. Triceps quippè Ciuitas nullo corpore conſtat; & ſi omnes imperant, Imperium tantùm eſt, ſubiectio nulla, adeoque nulla Reſpublica.

Ariſtocratia item cum Democratia. *Non benè Monarchia cum Democratia.* *Nulla Reſp. vbi omnes formæ Reipub.*

Teſtimonia & Authoritates.

FOrmarum gubernationis humanæ temperiem hic aſſerimus ſecuti Polybium lib.6. Dion. Halicarnaſſeum lib. 2. Ciceronem lib. 3. de legibus, Thomam Morum in Vtopia, alios plures Recentioris æui Scriptores. Refragatur Bodinus, & omnem Reip. formam ſimplicem eſſe contendit. Temperatam & mixtam Athenienſium Remp. fuiſſe author eſt Plato lib. 2. Polit. c. 6. Idem lib. 3. & 4. de legibus Lacedæmoniorum Remp. ex tribus formis à Lycurgo conflatam fuiſſe diſertè ſcribit, & cum eo Iſocrates in Areopago. Iuſtinus, *Lycurgus*, inquit, *adminiſtrationem Reip. per Ordines diuiſit, Regibus poteſtatem bellorum, Magiſtratibus iudicia & annuas ſucceßiones, Senatui cuſtodiam legum, Populo ſublegendi Senatum, vel creandi quos vellet magiſtratus poteſtatem permiſit*. Ariſtoteles tamen eam ex Ariſtocratia Democratiaque conſtitutam fuiſſe arbitratur. Illa vetus Reſp. Romana per Optimates regimenque populare temperata fuit. Hodie etiam temperatus eſt Monarchicus Imperij Status per Ariſtocraticas rationes, ſiue per Electorum Principum Ordinumque concilium ac conſenſum. Mixta quoque Reſp. Veneta eſt; quæ quidem Optimatum eſt, ſed in qua ſplendor quidam Regiæ dignitatis refulget. Neque enim Dux in ampliſſimo iſtius Reip. theatro mutam tantum perſonam agit, ſed Monarcham, certo tamen modo, vt ſcribit Stephanus Iunius Brutus de Iure Magiſtratus in ſubditos. Bodinus ipſe Remp. Heluetiorum popularem Ariſtocratica gubernari ratione fatetur, ac duplicem aut triplicem Senatum habere. Vbicunque verò ciuilium gubernationum formæ miſcentur, nomen tamen ab ea retinetur, quæ cum fulgore dominatur, ita vt nec vim, nec nomen per temperamentum amittat, ſed quandam accipiat moderationem.

lib. 1. c. 2.

lib. 3.

lib. 2. Pol. c. 1.

lib. 6. c. 4.

CA-

CAPVT III.

Quæ Rerumpub. ſint digreſſiones.

EX intentione remiſſioneque ſimplicium Reipublicæ formarum vitia quædam exiſtunt & corruptæ adminiſtrandi formæ. Has Politici Rerumpublicarum digreſſiones appellant. Itaque ex Monarchia ſeu Regno Tyrannis exſurgit, cùm Reges non publicam omnium, ſed ſuam priuatamque ſpectant vtilitatem, palamque in bonorum perniciem incumbunt, & quicquid ex vſu communi eſt, è medio tollunt, remouentque, nec legem curant, ſed ſuam libidinem procurant. Ex Ariſtocratia ſeu Optimatum Imperio Oligarchia reſultat, cùm illi opibus potentes rerum ſuarum amplificationem reſpiciunt, non vniuerſæ Reipublicæ bonum. Fit enim quandoque vt pauci ad Reipublicæ clauum admoti eò inſolentiæ deueniant, vt ſuâ poteſtate ad aliorum terrorem, non vtilitatem vtantur. Quaſi ad diteſcendum primas teneant, non ad regendum. Ex Democratia profluit Ochlocratia ſeu effuſa quædam populi licentia, aut veriùs furentis ac turbulentæ plebis impotentia, quando egenorum maior ratio, quàm publicæ vtilitatis habetur. Atque ita furente plebeculâ Ciuitatis ordo confunditur, Magiſtratus tolluntur, iuris æqualitas & immodica quædam licentia quæritur. Periculoſa & pernicioſa res eſt ſumma poteſtas, cùm in plebis imperitæ manu eſt. Nemo Optimatum ſatis tutus eſt, quem plebis amor non cuſtodit.

Ex Monarchia oritur Tyrannis.

Ex Ariſtocratia prodit Oligarchia.

Ex Democratia fit Ochlocratia.

Exempla corruptarum Reip. formarum.

Tyrannis.

Valet in Tyrannide commune illud axioma,
Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

TAlis fuit in Ægypto ſub Buſiride, qui hoſpites mactabat, vt teſtis eſt Diodorus Siculus lib. 5. Talis ſub Cambyſe Perſa, qui Deorum ſimulachris illudebat, & Optimates viuos nullâ causâ defodi curabat, vt eſt apud Sabellicum lib. 8. c. 3. Talis ſub Phalaride Agrigentino, qui intra bouem æneum miſeros ciues includebat, ignemq; admouebat; vt quidam gemitus exaudirentur teſte Diodoro Siculo lib. 19 Sub Alexandro Phæræo, vt Plutarchus in Polopida. Sub Dioniſio Syracuſanô vt Valerius Max. lib. 9. Sub Tarquinio Superbo teſte Liuio lib. 1. Sub Tiberio, Caligula, Nerone, pluribuſque alijs Romanorum Imperatoribus, de quibus plenæ ſunt Hiſtoriæ.

Oligarchia fuit Athenis, cum de Lyſandri ſententia triginta Tyranni pro libidine cuncta adminiſtrauerunt, vt habet Diodorus Siculus lib. 14. Item Romæ ſub Decemuiris, vt Liuius lib. 3. Item apud Polonos cum Vaiuodæ duodecim ad Reip. gubernacula ſederunt. Ochlocratia fuit Athenis ſub Pericle, Romæ ſub Gracchis. Item apud Argiuos, Corcyrenſes, Thebæos vt teſtantur Iuſtinus lib. 2. Diodorus Siculus lib. 13. & 15.

Oligarchia.

Cromerus lib 2.

Ochlocratia.

CAPVT IV.

Vnde dignoſci bona Rerumpubicarum formæ à corruptis poſſint.

EX fine modoque regendi. Tunc Monarchia eſt, cùm publicæ conſulit vtilitati, qui Rex eſt; nec tantùm ordine bono dominatur, ſed finem habet propoſitum, cum cuſtodia Maieſtatis, legitimè imperare.

Signum Monarchia bona.

Signum Ariſtocratia. rare. Secus ſi fiat, Tyrannis eſt. Tunc Ariſtocratia eſt, cùm pauci Optimates virtute præditi ita Rempublicam ſummâ poteſtate moderantur, vt ſua optimo cuique conſilia probent, publico bono ſtudeant, & ſecundùm diſciplinam, quæ legibus continetur, agant omnia. Eſt enim ipſa Reipublicæ diſciplina finis eorum, & cum dignitate otium. Hæc vbi non reperiuntur Oligarchia eſt. *Signum Democratia.* Tunc Democratia vera eſt, cùm multitudo ciuitatis adminiſtrationem ad communem vtilitatem confert, ſuamque libertatem tanquam finem reſpicit, & quod pluribus videtur, id omnium eſſe commune iudicatur. Popularia ſunt Pax, Libertas, Otium, felicitas. Hac ratione cùm Reſpublica non conſtat, Ochlocratia eſt.

Teſtimonia & explicatio diſcriminis iſtius.

lib 2.cap. 21. EXpreſſit diſcrimen iſtud D. Auguſtinus de Ciuitate Dei. *Scipio*, inquit, *apud Ciceronem lib. 3. de Republica, colligit tunc eſſe Rempublicam, id eſt Rem populi, cum bene ac iuſtè geritur, ſiue ab vno Rege, ſiue à paucis Optimatibus, ſiue ab vniuerſo populo. Cùm verò iniuſtus & Rex, aut iniuſti Optimates, (quorum conſenſum dicit eſſe factionem) aut iniuſtus ipſe populus, non iam vitioſam, ſed omninò nullam eſſe Rempublicam, quoniam non eſſet res populi, cum Tyrannus Factione capeſſeret; nec ipſe populus iam populus eſſet, ſi eſſet iniuſtus, quoniam non eſſet multitudo iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociata.* *In Epigram.* Thomas Morus ita Regem à Tyranno diſtinguit.

Legitimus immaniſſimus
Rex hoc Tyrannus intereſt;
Seruos Tyrannus quos regit,
Rex liberos putat ſuos.

Idem paulò poſt

Quid bonus eſt Princeps? Canis eſt cuſtos gregis, inde
Qui fugat ore lupos; quid malus? ipſe lupus.

Ariſtoteles finem exprimit corruptarum Reip. formarum. *l. 3. Pol. c. 5.* *Tyrannis*, inquit, *vnius Principatus eſt, qui Principis commoditate dirigitur; Paucorum potentia locupletum vtilitatem; popularis gubernatio tenuiorum commodum ſequitur; nec harum aliqua publicam commoditatem ſectatur.* Apertiſſime verò totum hoc diſcrimen Hermogenes in Compendio Rhetorices deſcribit. *Cap. de Politijs.* *Democratia*, inquit, *in hoc differt ab Ochlocratia, quod in Democratia iuxta leges & decreta Principatus, & ordines, omnes ſunt in Ciuitate; in Ochlocratia verò eſt lex incompoſita, inordinata, & abſque vllo Principatu, quo arbitratu tota plebecula viuit. Sed & Oligarchia differt ab Ariſtocratia, quia in Ariſtocratia Optimates dominantur & Reip. conſulunt; in Olygarchia potentiores & opulentiores intendunt proprijs commodis, non vtilitatibus Reip. Regnum item differt à Tyrannide, quia Rex paret legibus, & publicis commodis inſeruit, Tyrannus verò non paret legibus, & ſibi ipſi tantum prodeſſe quærit.*

CAPVT V.

Quanam ſit optima Reipublicæ forma.

PLures, an vnus, an pauci imperent, parum intereſt profectò; quo in regimine autem iuſtiùs ſanctiùſque ciues agant, hoc verò quæritur.

Contineri ſponte ſuâ genus humanum intra iuſtitiæ fines non poteſt, aliqua regiminis forma opus eſt; & hæc optima præſtantiſſimaque, quæ ad naturam propiùs accedens extra naturæ virtutiſque leges aberrare homines non ſinit, quantum certè poteſt. *Monarchia optima Reip. forma.* Hæc Monarchia eſt, adeò vt nihil ſit Regibus diuinius, nihil Regno inter homines vtilius.

Profectò in Ariſtocratia multiplicato Dominorum numero aucta eſt ſeruiendi vilitas, & tot Reges ſunt, quot Senatum Optimates conſtituunt. Et hi quàm non raro tranſuerſi aguntur, dum vel in ſuos amore feruntur, vel in pares inuidiâ iactantur, vel proprij commodi ſtudio laborant?

borant? Neque in eiuſmodi Imperio cæterorum laborioſæ virtuti patent honores: ſummos enim ipſi, atque adeò Reipublicæ potentiam, intra familias ſuas includunt, & generi ſuo ſeruant, minores autem, qui pene plus ſeruitutis habent, quàm dignitatis, clientibus ſuis diuidunt. Et corrupti ſemel Senatus labem quàm difficile eſt eluere? Quippè afflicti ſemel mores Optimatum, non priùs ſanitatem admittunt, quàm Rempublicam ſuo caſu obruerunt. *Non Ariſtocratia.* *Non Democratia.*

In Democratia ſtatuque populari, cùm ſæpè ſummâ leuitate ad imperitos ignauoſque Magiſtratus faſces deferantur, nulla prudentia, nullum conſilium eſt. Factionibus tantùm, & quodam impetu inuidiâque multitudinis ſtudia rapiuntur. Hîc non eximia ingenia æſtimantur, ſed improbæ & factioſæ mentes, cùm volunt, populum ad ſeditiones vel adulationis obſequio, vel orationis ſuauitate torquent. Et ſæpè virtutis ſpecimen eſt virtutem oppreſſiſſe. Meritorum leue pondus eſt, ſæpiùſque bene de Republica meritis mors imminet, quàm merces. Ea eſt vulgi leuitas & inconſtantia: nec minor vllibi libertas, quàm vbi libertas prætenditur.

Vnius Imperio rem communem meliùs geri verè Sapientes ſemper iudicauerunt. Quid ni? Primi mortalium, quique ex his geniti Naturam incorrupti ſequebantur, vnius Imperio ſeſe commiſerunt. Quippè Natura commenta eſt Regem. Vnus Sol eſt in cælo, & prodigium ſit, ſi gemini ſint. Inter bruta animantia mutoſque greges eiuſdem naturæ inſtinctu Dux eſt vnus, quem & in Apum Republica reperias, & in boum Elephantorumque armentis. Ipſe orbis vniuerſi ſtatus Monarchia eſt, & Regem vnum habet Deum, cuius imagines quædam ſint oportet in terris Reges. Et optima profectò ea Reſpublica eſt, quæ diuini regiminis formam imitatur. In familia quoque vnum eſt caput paterfamilias; & nunquid Reſpublica magna quædam eſt familia? Quod ſi præſtantiæ argumentum eſt, diu multiſque placuiſſe, primi & potentiſſimi terrarum populi Monarchiam amauerunt, diutiſſimè retinuerunt, ſub ea glorioſiſſimè floruerunt. Teſtis eſt omnis Antiquitas, & fatentur hæc noſtra tempora. Accedit, quod cùm omnes vnum reſpiciunt, domiti magis & fracti ſint omnium animi, ideóque tranquilliores. Quippè vnius metus & auctoritas continet: vtrumque obedientiæ vinculum eſt, & quietis. Nec niſi Iuſtitiæ adminiſtrandæ causâ reperta ſunt regna, in quibus, ſi Monarcha ipſe ius dicat, ſupra auaritiam, metum, & gratiam eſt: Si alij ab eo electi, iudicium eius & pœnam reformidant; ideò affectu minus peccatur, & abſunt corruptelæ. Sanè cùm ſecretum anima ſit negotiorum maiorum, vix vbi plures, reperitur; quorum ferè aliqui ſemper venales, vt prodant: & cùm ſæpè mutentur, nolunt, qui vicini ſunt Principes, aut paciſci cum ijs, aut arcana conſilia communicare. Vna anima regni eſt, vbi Rex vnus eſt. Iuuant fidi adminiſtri, quorum virtus & fides probata. Magnum hoc bonum, quod hæredem, non ſe ſolum Rex cogitet. *Rationes pro Monarchia.*

Teſtimonia & exempla cum rationibus.

lib.3. VEtus admodum & peruulgata inter Politicos diſceptatio eſt, *quænam ſit inter Reip. formas præſtantiſſima.* Agitata eſt ea apud Herodotum inter Perſarum Optimates poſt mortem Cambyſis. Ottanes pro Democratia contendens rationibus his Monarchiam oppugnat. Quod Monarcha pro arbitrio ac libidine agat omnia impunè moreſque mutet, ſæpiùs in prauos. Quod Tyrannus ſolus bonis omnibus inuideat, deterrimis delectetur; quod iura Patriæ labefactet, fæminis vim adferat, indemnatos interimat. In Democratia autem Iuris eſſe æqualitatem. Megabizo multi- *Pro Democratia.*

multitudinis imperium non placet & Paucorum Dominatum extollit. Eius eſt ratio, quod multitudine nihil ſit inſolentius aut inſipientius: neque tolerandum eſſe, vt qui Tyranni ſæuitiam fugiunt, ad intemperantis plebis ſæuitiam recidant, cuius eſt proprium nihil intelligere. Ab optimis autem optima eſſe conſilia; Plebem ſine conſilio præcipitem ruere, incertam, vagam, inconſtantem.

Pro Ariſtocratia.

Darius pro Monarchia certat, in cuius ſententiam pedibus itum eſt, & vt Monarchia retineretur apud Perſas ſancitum.

Pro Monarchia.

Franciſcus Patritius de Rep. præſtantiorem iudicat Remp. deinde de Vario Reip. ſtatu inquirit. Mouetur ille pro Rep. contra Principatum vnius his rationibus. *Quod in Principe ſingula eſſe abſoluta perfectaq; non poſſint. Nihil enim, vt ait Cic. in ſimplici genere Natura omni ex parte expolitum* reddit. Id probat exemplo Zeuxis, qui perfectam Helenæ imaginem ex diuerſis puellis delineauit. Vnus qui virtutes omnes complecteretur nunquam eſt inuentus. Sed cum in Rep. plures ſint, vnuſquiſque partem aliquam virtutis ac prudentiæ haber, quocirca in vnum collati Ciues, quaſi vnum hominem præſtant, qui multiplici ingenio ac memoriâ pollet, oculis pluribus cernit, & pedibus pæne infinitis nititur. Et vt ait Ariſtoteles, *alij quidem alind, cuncti autem cuncta decernunt*. Triplicem autem Rerump. ſtatum ita ponit, vt vna ſit popularis, altera Optimatum, tertia quæ in paucos diffunditur, atque illa; optimam eſſem in qua leges dominantur. Videri apud eum poteſt Titulus quintus libri primi de Rep.

lib. 1.

Opinio Patricij.

Caſpar Contarenus Patricius Venetus lib. 1. de Rep. Venetorum, Principatum vnius Regiam dignitatem verè ac iure merito ſibi vendicantem, ſi per ſe conſideretur omnium optimum eſſe ait, ſub illò tamen non eſſe optimum hominum ſtatum, propter ſæpiùs in deteriorem partem labile hominis ingenium, & vitæ breuitatem non iudicat, ſed multitudinis gubernationem ciuili Societati magis conuenire. Nullum Regium Principatum apud veteres extitiſſe, aut etiam noſtra tempeſtate, qui non breui in Tyrannidem ſit lapſus; contra plurimas Reſp. multis ſæculis perduraſſe ac pace belloque floruiſſe. Quia tamen multitudo omnis gubernationi per ſe inepta eſt, niſi in vnum quodammodo coaleſcat; & aliqua vnitate contineatur, temperandam Remp. cenſet ex Optimatum & Populari ſtatu, ita vt vtriuſque gubernationis incommoda videntur, commoda verò comparentur. Idem vult hominum gubernationem perperam homini cuipiam demandari, ſed diuinius aliquid eſſe oportere. Nam ouium gregem ouis non regit, nec equorum aut boum armentum bos equuſve aliquis moderatur, ſed homo, excellentius longe animal. Non diuersâ ratione hominem moderari ac regere debet quippiam homine præſtantius & diuinus; ſi hoc eſſe non poſſit, ſaltem id, quod in homine diuinum eſt; nimirum mens ipſa & ratio, cuius imperium per leges exercetur.

Opinio Contareni.

Hugo Grotius libro de Antiquitate Reip. Batauicæ cap. 1. cum in omni re id optimum ſit, quod medium eſt, Remp. illam probat, quæ inter regnum & multitudinis imperium eſt conſtituta. Et cum regnum præcipuè Maieſtate, populi autem imperium æquali libertate commendetur, Remp. illam Principatu Maieſtatem aſſequi, & æqualitatis quantum ſatis eſt præſtare, cum cuiuis è quouis ordine per virtutem ad ſummus honores parten que imperij munit viam.

Opinio Hug. Grotij.

Cæterùm, Pholoſophi, Oratores, Hiſtorici, Poëtæ, qui de hac quæſtione accuratè ſcripſerunt, præter pauciſſimos, Monarchiam optimam. Reip. formam affirmant. Plato in Politico, *Vnius Dominatio bonis instructa legibus lex illarum optima eſt: Gubernationem verò eam in quâ non multi imperant, medium cenſere debemus; cæterum multorum adminiſtrationem omnibus rebus debilem atque infirmam.* Et idem, *Rex* inquit, *Deus quiſpiam humanus eſt.* Ariſtoteles lib. 8. Eth. c. X. recenſitis tribus regiminis formis, *harum*, inquit, *optima regnum, peſſima reſpublica eſt.* Plutarchus lib. de Monarchia. *Si optio*, inquit, *eligendi conceſſa fuerit, non aliud eligat (Sapiens) quam vnius poteſtatem.* Homerus

Varia teſtimonia.

Multos imperitare malum eſt, Rex vnicus eſto

Cic. 1. officiorum. *Mihi quidem non apud Medos ſolum, vt ait Herodotus, ſed apud Maiores noſtros Iuſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati Reges conſtituti.*

Seneca lib. 2. de benef. cap. XX. *quam rationem in occidendo ſecutus eſt, M. Brutus alias tractabimus. Mihi enim cum vir magnus fuerit in alijs, in hac re videtur vehementer erraſſe, nec ex inſtitutione Stoicâ ſe* geſſiſſe, qui aut Regis nomen extimuit, cum optimus Ciuitatis ſtatus ſub Rege iuſto ſit; aut ibi ſperauit libertatem futuram, vbi tam magnum præmium erat & imperandi & ſeruiendi. Dio Caſſius lib. 44. *Penes vnum ſummam eſſe Reip. conducibile*

omnium

omnium maximè eſt ; facilius enim vnus vir bonus, quam multi reperiuntur. Liuius lib. 26. *Regnum res eſt inter Deos hominesq́, pulcherrima.* Curtius lib. vltimo : *Imperium, quod ſub vno ſtare potuiſſet, dum à pluribus ſuſtinetur, ruit.* Corn. Tacitus 1. Hiſt. *Itaque pacis interſt, omnem poteſtatem ad vnum conferri.* Et 1. An. *Vnum Imperij corpus vnius animo regendum videbatur.* Ouid.

Non capit vna duos Maieſtas Regia fratres.
Lucanus lib. 2.

Nulla fides Regni ſocijs : omnisq́, poteſtas Impatiens conſortis erit.

Eadem hæc Theologorum, Iuriſconſultorumque ſententia eſt : & quidem Theologorum Princeps Thomas Aquinas opuſculo ad Cypri Regem de regimine Principum, longè vtilius eſſe probat, multitudinem hominum ſimul viuentium per vnum regi, quam per plures. Et ante ipſum Athanaſius, *Vt multitudo Deorum,* inquit, *nullitas eſt Deorum, ita quoque neceſſe eſt, multitudinem Principum id efficere, vt nullus eſſe Princeps videatur.* Orat. in Idola. Habemus etiam iure ciuili, res melius & commodius per vnum quam per plures geri. Vnde l. neceſſarium, §. nouiſſimè ff. De origine Iuris : *Nouiſſimè ſicut ad pauciores Iuris conſtituendi via tranſiſſe ipſis rebus dictantibus videbatur, per partes conuenit, vt eſſet neceſſe Reip. per vnum conſuli. Nam Senatus non perinde omnes prouincias probè regere poterant. Igitur conſtituto Principe datum eſt ei Ius, vt quod conſtituiſſet, ratum eſſet.*

Inter recentiores omnis diſciplinæ Auctores Iuſtus Lipſius lib. 2. Polit. cap. 2. palam præfert Principatum, quod vetuſtiſſimus, primus, diuiniſſimus ſit, certumque habeatur, omnes antiquas Gentes Regibus primùm paruiſſe. Et, vt Saluſtius in Catil. ait, in terris nomen Imperij primum fuiſſe. Vnde Iuſtinus lib. 1. *Principio rerum, gentium nationumq́, Imperium penes Reges erat.*

Exempla. Vti namque Monarchiâ ſunt olim Aſſyrij, Medi, Iudæi, Perſæ, Macedones, Ægyptij, Parthi, Arabes, Indi, Æthiopes, Scythæ & alij. Hodie verò Monarchiam retinent Galli à Pharamundo Rege, Hiſpani ab Athalarico, Angli à Britone, Poloni à Lecho, Dani à Dano, Hungari ab Attilâ, Boemi à Zecho, Sueci à Magoga, Scoti à Phregufio, Romanum Imperium à Iulio Cæſare. Adeo pro Monarchia quidam eſt gentium omnium ferè conſenſus. Neque Reſpublicæ olim Monarchiam improbauerunt. Teſtes ſunt Græcorum vrbes, quæ antequam cœcâ imperandi cupiditate laborarent, ſub Regio Imperio tranquillè beatéque vixerunt. Athenienſis Reſpublica Reges habuit à Cecrope vſque ad Codrum : Lacedæmoniorum à Selege, vſque ad Cleomenem : Sicyoniorum ab Agialao vſque ad Ceuſippum : Thebanorum ab Ogyge vſque ad Xanthum : Corinthiorum ab Ephyro vſque ad Theleſtem : Romanorum à Romulo, vſque ad Tarquinium Superbum. Quin imò quicumque Populi ſine Monarchia vixerunt, vbi grauis aliqua imminere Reip. neceſſitas viſa eſt, ad Monarchiam ſemper confugerunt, & vel Imperatorem vnum, vel Regem, vel Dictatorem, vt Romani, creauerunt, qui ſummâ cum poteſtate, ceſſantibus interim Magiſtratibus alijs, Reip. conſulerent. Præterquam quod vix vlla vmquam Reſp. fuerit, in qua non ſimul, cum alia Reip. formâ, quædam Monarchiæ imago exſtiterit. Ita olim Lacedæmonij præter Ephoros ſuos Regem habuerunt : Athenienſes Sophum, Carthaginenſes Iudicem vnum. In alijs Rebuſpublicis quidam è nobilitate aut Plebe Princeps fuit, ad quem omnia referebantur, & cuius conſilio pleraque potiſſimum gerebantur. His addamus Monarchiarum diuturnitatem, vt hæc quoque eius præſentiæ ſit argumentum. Aſſyriorum Monarchia ſtetit annis M. CCC. ſecundum Iuſtinum. lib. 1. Secundum Diodorum lib. 11. c. 7. M. CCCC. vſque ad Arbacem, qui Aſſyriorum Imperium tranſtulit ad Medos. Medorum Monarchia ab Arbace CCL. annis ſecundùm Euſebium floruit. Secundùm eumdem Ægyptiorum Monarchia M. DCCCLX. annis durauit, antequam in Prouinciam redacta eſſet à Romanis Ægyptus. Perſarum Monarchia ante Alexandrum Magnum ſtetit annis mille trecentis ; poſtea reſuſcitato iterum Imperio ſub Parthis CCCC. LXXX. annis. Imò etiam hoc noſtro tempore Perſæ regnant, etſi grauiter ab Heraclio Imperatore, Tamerlane, vtroque Selymo Turcarum Imperatore contuſi. Regnum Scbytarum à nullo vnquam ſuperatum, teſte Iuſtino, aliquot annorum millibus perdurauit. Sycionij D. CCC. LXII. annis regnarunt. Gothorum regnum cœpit in Hiſpania ante annum Chriſti CCCC. XIII. Eorum Reges ad Rodericum vſque numerantur XXXIX. Poſt Gothos ſuſcepit in Hiſpania regnum Pelagius anno Chriſti D. CCXXVII. à quo interrupta ſerie vſque ad Philippum IV. hodie regnan-

Diuturnitas Monarchiarum.

tem Reges ſunt XLVIIII. In Franciâ à Pharamundo vſque ad Ludouicum XIIII. qui nunc imperat, Monarchæ fuerunt LXIV. per annos amplius M.CC. Scotorum regnum CCCXXX. annis ante Chriſti Natalem incepit, eiúſque Reges C. & VII. vſque ad Iacobum VI. numerantur. In Anglia viget Monarchia ab anno poſt Chriſtum D. CCCI. Sinarum Reges computantur CCXLIII. ab Vitæo, qui primus Imperium tenuiſſe dicitur, vſque ad Bonogum, qui nuper Rex erat. Monarchia Romana à Iulio Cęſare perſtitit in oriente annis M. CCCC. XCV. vſque ad Conſtantinum vltimum. In occidente vſque ad Auguſtulum ſupra CCCCC. annos, & à Carolo Magno vſque ad Ferdinandum II. ſupra D. CCC. Quod ſi Monarchię aliquando aliquę interierunt, cogitandum eſt, nec ipſa Imperia quantumuis magna interitus expertia eſſe. Vt hanc partem pro Monarchiâ concludamus, notanda hæc ex Sereni Commentarijs apud Stobæum ſerm. 45. Cum Lydis Crœſus imperaret, fratrem in conſortium Imperij accepit. Tum quidam ex Lydijs accedens, *Omnium*, inquit, *in terra bonorum, ô Rex, auctor eſt ſol, neque quicquam extaret interrâ, ſole terram non illuſtrante. At ſi gemini ſoles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia peſſum irent. Ita & Regem vnum quidem accipiunt Lydij, & conſeruatorem eſſe credunt; duos verò ſimul tolerare non poſſunt.* Quod ipſum Dario Perſarum Regi, Alexander Magnus, Iuſtino teſte, reſcripſit, Nec mundum ſoles duos, nec regnum vnum duos Reges pati. Neque tamen cùm Rex eſt vnus, vnius mente Regnum adminiſtratur, ſed vnius auctoritate. Plures enim Conſiliarij ſunt, qui in Conſilium de rebus magnis & arduis vocantur, pluresque rectè ſentientium mentes, vnam Regis Regnique mentem efficiunt.

TITVLVS III.

De Cauſis Rempublicam conſeruantibus.

CAPVT I.

Pietate & Religione imprimis conſeruatur.

NON minùs profectò arduum conſeruare, quàm conſtituere Rempublicam. Inprimis verò cùm omnia mundi Imperia ſummi Naturæ Arbitri ſingulari curâ prouidentiáque conſeruentur; tum deinde mortalium Virtute, Induſtriâ, Potentiâ. Ac prima virtus baſiſque Reipublicæ Pietas eſt & Religio. Quippè hæc vinculum eſt fidei & ſocietatis humanæ, quo ſublato, diſſoluatur mortalium cœtus neceſſe eſt. Imò nec Iuſtitia ibi eſſe poteſt, vbi Religio non eſt. Cùmque à Deo pendeat omnis Reſpublica, hoc vinculo Pietatis & Religionis illi adhæret, & ſtat inconcuſſa. Illud curandum proinde, vt Religionis in Republica ſit vigor, & Ciuium animi ad Deum pietate tendant. Hæc ſummi Numinis fauorem conciliat.

Pietas & Religio.

Teſtimonia & Authoritates.

PRIMA Reipub. baſis Pietas ſeu Religio conſtituitur. Quippe vt Cic. 1. de Natura Deorum, *Pietate erga Deum ſublatâ, fidem & humani generis ſocietatem, tolli neceſſe eſt.* Et Iuſtinianus *virtutum omnium excellentiſſimam*; Mercurius Triſmegiſtus ait, *hominis cuſtodiam Pietatem eſſe.* Quam ob cauſam prima Romuli cura fuit, iactis Vrbis Romanæ fundamentis, Religionem (etſi vanam illam & ſuperſtitioſam) ſtabilire, vt videre eſt apud Liuium. Illum verò ſecutus Numa Pompilius, vt eſt apud eundem, Religionis inſtitutione & vtilibus legibus ferum Romæ populum domuit, ſuúmque Regnum ita firmauit, vt pendente eius lib. 1.

Re-

Regno nemo illi bellum intulerit. Neque ſane fieri poteſt, vt Reſp. aliqua tametſi legibus ciuilibus fundata, ſine religione ciues ſuos in officio contineat. Vbi enim Diuini Numinis metus non eſt, ibi nullius ſceleris eſt metus. *Quid erit homine truculentius, quid immitius, ſi dempto metu ſuperiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere?* Ideóque, vt ait Plutarchus, aduerſus Colotem, *Si Terras obeamus, inuenire poſſumus vrbes muris, opibus, numiſmate carentes: at vrbem nemo vnquam vidit templis ac Dijs carentem; quæ precibus, iureiurando, oraculis non vtatur; non bonorum cauſa ſacrificet, non mala ſacris auertere conetur.* Rectè igitur Plato in Polit. lib. 2. religionem Reip. fundamentum appellat. Iudæorum traditio eſt, vbi deficit lex, ibi non eſt vita politica. Per legem intelligunt rerum ſacrarum curam. Atque ea de cauſa, qui Reſp. feliciter, ſeu pace, ſeu bello adminiſtrarunt, religioni deditiſſimi fuerunt, quam tanquam primum regendi inſtrumentum colebant, & per quam ſibi ſingularem apud Populos auctoritatem conciliabant, vt de Scipione in Capitolium ad Iouem ſecedente; de Q. Sertorio ceruam veluti Deæ cuiuſdam ſpeciem circumducente; de Sylla ſigillum Apollinis populo, vt dicta ſua confirmaret, oſtendente; item de alijs pluribus eſt notum. Et verò decet, vt cum omnis Reſpublica à Deo pendeat, eius in omni Rep. cultus ſummo in pretio ſit & honore. Quod conſiderans Agapetus Diaconus vt eſt apud Baronium tomo 7. Annalium, Iuſtinianum imperatorem ita monebat. *Sceptrum Imperij, cum à Deo ſuſceperis, cogitato quibuſnam modis placebis ei, qui id tibi dedit: cumq́; omnibus hominibus ab eo ſis Prælatus, præ omnibus eum honorare feſtina. Religio & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe Societatem*, inquit Lactantius lib. de Ira cap. 12. *& omnia proſpera eueniunt colentibus Deum, aduerſa ſpernentibus*, ait, Liuius lib. V.

Lactantius lib. 1. de ira.

Exempla ſingularis Religionis.

CAPVT II.

An verò in Republica tantùm vna ſtabilienda ſit Religio.

VNa certè tantùm. Cùm enim religio humanæ ſocietatis ſit vinculum, cuius ſanctitate fœdera commerciaque ſanciuntur, hæc, ſi illa vna eademque non ſit, ſtare ac firma eſſe non poſſunt. Vbi religionum diuerſitas eſt, ibi alij alios tanquam impios auerſantur, & cùm eadem ad Deum cæremoniâ non tendant, ſocietas inter eos nulla, nec vlla ciuium amicitia, vbi non eadem omnium de Deo conſentio. Quantæ verò turbæ, quantæ ciuilium tumultuum tempeſtates excitantur, cùm de religione inter Ciues oritur contentio? Potentiſſimus eſt religionis affectus, facilè incitat vbi aduerſarium videt, & cùm conſcientia ſuggerit excuſationem, impunè peccare ſe putat. Nec incolumis eſſe Maieſtas poteſt, vbi religionum eſt diuerſitas. Vni ſectæ ſi faueat, inimicam habebit alteram, & hinc periculum. Quid Magiſtratus aget Eccleſiaſticus in hac diuerſitate? Statuat & ordinet quod è religione erit, vna pars obtemperabit, cæteri omnes contemnent, damnabunt, non raro motâ ſeditione excutient. Nihil violentius, quàm vbi ſeditioni diuinum Numen prætenditur. Planè à confuſa & permixta Religione turbæ ſunt, familiarum & Reipublicæ interitus.

Vna in Republica Religio eſſe debet.

Teſtimonia & Exempla.

NOn ſatis eſt ſine Religione Remp. non eſſe; vna ea ſit, oportet, quemadmodum hic aſſeritur. Apud Romanos antiqua hæc lex fuit, quæ apud Ciceronem in lib. de Legibus legitur, *Separatim nemo habeſſit Deos, neue nouos, ſed ne aduenas, niſi publicè adſcitos, priuatim colunto.* Adeo ne priuatim quidem alia, quam publica permittebatur religio. Sicut vnus eſt Deus, ita vna eſſe religio debet. Illa promiſcua confuſaque Reſp. tollit vnitatem, sine quâ ſtare ipſa non poteſt. Vnde

Ammianus Marcellinus de Iuliano Apoſtatâ loquens, *Diſſidentes*, inquit, *Chriſtianorum Antiſtites cum Plebe ſciſſa in Palatium intromiſſos monebat, vt ciuilibus diſcordijs conſopitis quiſque nullo vetante Religioni ſuæ ſeruiret intrepidus. Quod agebat ideo obſtinate, vt diſſenſiones augente licentia non timeret vnanimem poſtea Plebem.* Nec alio conſilio Ægyptiorum olim Reges promiſcuam permittebant Religionem, quam vt vnanimem plebem non haberent, ac proinde

Promiſcua Religio apud Ægyptios. aduerſus ſe non coniurantem. Dio Caſſius lib. 52. hiſt. Rom. *Deos quoque ſemper*, inquit, *& vbiq; ita cole, vt moribus Patriæ eſt receptum; ad eundemq; cultum alios compelle. Peregrinarum verò Religionum auctores odio ac ſupplicijs proſequere: non modo Deorum gratia, quos qui contemnit, haud dubiè nihil aliud quique magni faciet, ſed propterea etiam, quod qui noua Numina introducunt, multos ad Peregrinis legibus vtendum pelliciunt: inde coniurationes, coitiones, & conciliabula exiſtunt, minimè vnius Principatui commodæ res.* Igitur cum *id quod verum eſt plus vno eſſe non poſſit, vt ait*, Plato de legibus, vna tantum eſſe in Rep. Religio debet; Neq; aliter conſtare Reip. pax poteſt. Rectè enim Muſonius apud Stob. ſerm. 7. *improbos non poſſe alere concordiam, ait. Lignum curuum non recto nec ligno aliter curuo conueni.* Vbi vera Religio eſt, nefas eſt eam alienis erroribus inquinare. Neque eſt diſcordium in Rep. Ciuium quicquam circa Religionem paciſci: nam quicquam in ea mutare, vel detrahere, vel addere ſacrilegium eſt. Religionis enim cauſa veritatis ipſius eſt cauſa, quæ eadem ſemper eſt, nec vnquam mutatur.

Religionum mixtio religionem ipſam euertit. Vnde Tertullianus. *Non bene conuenit ſigno Chriſti & ſigno Diaboli, caſtris lucis, & caſtris tenebrarum; non poteſt vna anima duobus deberi.* Cyprianus, *cohærere non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas.* Non audiendi proinde neſcio qui Politici, qui his rationibus promiſcuam in

Rationes promiſcuæ Religionis. Rep. Religionem permittendam eſſe cenſent. quod hoc vniuerſum rebus maximè diuerſis & inter ſe pugnantibus ita conſtet, vt nihil eo ſit pulchrius, nihil ſtabilius; quod ex ſonis diſparibus iucundiſſima efficiatur harmonia; quod veteres Philoſophi, rerum omnium principia contraria ſtatuerint; quod Reſ. aut Ciuitas non ſit ſimilium vnitas, ſed diſſimilium multitudo. Non referre ſi Ciues aliter & aliter de Deo ac religione ſentiant, modo legibus vnanimes obediant. Alij non obeſſe aut prodeſſe alterius Religionem vt ait Tertullianus. Ethnicos & Chriſtianos multo tempore ſummâ tranquillitate ſimul olim vixiſſe, vt ſub Conſtantino Magno vſque ad Theodoſium Imperatorem. Sub Theodorico Rege Ariani & Ortodoxi in eadem etiam Curiâ fuerunt. Eccleſiam agrum eſſe ex Chriſti ſententia, in quo & triticum & Zizania creſcant. In homine varias ac diuerſas eſſe perturbationes cum tranquillitate. Hoc tempore in Imperio Turcarum Græcos, Sciſmaticos, Iudæos, Chriſtianos, & Perſicæ Religionis viros eſſe nemo ignorat, ſeditionum autem turbines nulli. Apud Heluetios multis in Ciuitatibus Catholici ſimul & Hæretici viuunt. In Bohemiâ vltra annos quinquaginta Catholici & Huſſitæ ſummam tranquillitatem ſeruauerunt, nec ea admiſſis poſtmodum Lutheranis concuſſa fuit. Idem eſto de pluribus alijs Prouincijs iudicium, vbi religionis conceſſa libertas eſt. Quod illud veriſſimum videatur, quod Theodoricus Imperator ad Senatum Romanum aliquando ſcripſit, Religionem imperare Reges non poſſe, quia nemo cogitur vt credat inuitus. Apud Antiquiſſimas Gentes, eam ſemper fuiſſe perſuaſionem, omnes religiones, quæ à purâ mente proficiſcerentur, Dijs immortalibus gratiſſimas eſſe. Ita diſputant & ratiocinantur, qui ſe hodie Politicos appellant, omnium videlicet temporum & opinionum homines. Reſponſio ad dictas nationes. Vt autem hæc omnia diſcutiamus, inprimis admirabilis eſt elementorum in vniuerſo concordia, quia Dei & naturæ nutum obſeruant, quod ab hominibus liberis expectandum non eſt. Nec aliter Ciuitas diſſimilium eſſe dicitur, quam quia diuerſos hominum ordines, & officia habet; nec vna eſſe poteſt, niſi ab vna mente in Deum, in ius, in legem.

Omnino verò vnius Religio alteri obeſt, cum fieri non poſſit, vt quis cum eo pacem & amicitiam colat, iiſdem legibus obediat, & forum idem teneat, quem infidum credit, à quo per Religionem abhorret. Nec propterea admittenda promiſcua Religio eſt, quia illam nonnulli aliquando Reges ſunt paſſi, quorum authoritas ita eos coërcebat, vt diſſidijs perturbare Remp. non auderent. Florentiſſimæ olim res Hebræorum tunc labefactatæ ſunt, & ſub iugum Romanorum venerunt, cum in Phariſæos & Saducæos populus eſt diuiſus. Certè cum tolerat improbos Deus, non præcipit tolerandos,

nec

nec permittendo excitat. Illud non inficiandum, diuerſæ Religionis homines in Turcarum eſſe Imperio; ſed ita profectò ſunt, vt miſeram ſeruitutem ſeruire cogantur, Remp. autem non tractent, & à militiâ honoribuſque excludantur, grauiſſima vectigalia pendere debeant, & Turcarum libidini ſubiacere. Etſi tamen indignum ſit, Chriſtianorum Reſp. ad Turcarum immaniſſimorum normam formare velle. Imò verò vna eſt Turcarum Religio, & væ illius capiti, qui facto aliquo aut verbo turbet. Apud Heluetios ſtatus eſt popularis, legem ſibi ac religionem quiſque ſibi tanquam Dominus ponit, quod in Monarchia fieri nequit. Ipſi hæretici, vbi præualere Imperio poſſunt, vnam tantum Religionem admittunt, vt in Angliâ, Geneuæ & alibi. Bohemia tanquam fretum quoddam, vix vnquam ſine ſeditionum fluctibus fuit. Quicumque alij Religiones diuerſas admiſerunt, aut latentes ſimultates ſemper habuerunt, aut diuiſi arma in ſe inuicem ſumpſerunt, aut diuerſa Comitiorum ratione Remp. ſuam grauiſſime turbauerunt. Sit ergo hoc fixum, vnam in Rep. ad Reip. tranquillitatem & conſeruationem Religionem eſſe debere, quâ de re iterum alibi dicemus.

CAPVT III.

Iuſtitia, legumque obſeruatio, altera Remp. conſeruans cauſa.

SIne Iuſtitia viuere ne ipſi quidem poſſunt, qui Iuſtitiam oderunt. Hæc *Iuſtitia.*
ergò Reipublicæ ſtatum, & Principis ſolium ſtabilit, dum per eam bene meriti præmia ferunt, facinoroſi ſupplicia. Nec aliam ob cauſam, quàm vt Iuſtitiam ſeruent, conſtituti ſunt Reges. Hi cùm ſunt iu- *Legum*
ſti, felicitas ſunt Reipublicæ: cùm æquitatem conſtituunt, ſummos cùm *obſeruatio.*
infimis pari iure retinent. Efficit Iuſtitia legum obſeruationem; leges quamdiu Principatum tenent nec negliguntur, tamdiu in vigore Reſpublica eſt. Ex hac obſeruatione, Iuſtitiæque rectâ adminiſtratione in ſceleratos animaduerſio conſequitur. Vbi delictorum caſtigatio eſt, ibi incolumis Reſpublica eſt. Perniciosa quippe res eſt Reipublicæ intempeſtiua miſericordia. Ipsâ ſuppliciorum cogitatione, qui peruerſi ſunt, à ſceleribus *Caſtiga-*
abhorrent: & paucorum pœnâ omnes ferè puniuntur, ipſæque maleficiorum inhibitiones læſorum ſunt conſolationes. *tio delictorum.*

Teſtimonia & Exempla.

SEcunda Reip. baſis eſt Iuſtitia, legumque obſeruatio. Si diuinam authoritatem conſulamus, Spiritus Sancti per Salomonem oraculum eſt, *Iuſtitiâ*
Prouerb. 16.cap. *ſolium firmari.* Si humanam, Plato lib. 2. de Legibus *Iuſtitiam fulcrum Ciuitatum appellat*. Plutarchus lib. de doctrina Princip. *Abſque iuſtitiâ Principatum ipſum gerere, ne Iouem quidem ipſum poſſe.* Diuus Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. Dei: *Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* Idem lib. 1. de Ciuit. *Vnicum regnorum columen Iuſtitiam appellat*. Cicero lib. 3. de Rep. *Iuſtitiâ magna Imperia retinentur*. Et idem 2. de Rep. *Sine ſummâ Iuſtitia Remp. regi non poſſe* affirmat. Si ratio-
Ratio huius baſis. nem, ſanè Iuſtitia eſt, quæ fundauit regna, & fundata auxit, ornauitque, iiſque quam obtinent amplitudinem & maieſtatem conceſſit: quæ pacem firmat, bellis obſiſtit, ſecuritatem & gloriam adfert, ſeditiones in Rep. reſtinguit, & eius malis ac vulneribus medetur. Adeò vbi Iuſtitia non eſt, ibi nulla eſſe Reſp. poteſt, vt probat ex auctoritate Ciceronis & Scipionis Africani D. Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 21. & lib. 4. cap. 4. Vnde veriſſimum eſt, quod Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici x. cap. ait, *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniuſtitias & iniurias & contumelias, & diuerſos dolos.* Nec immeritò Ferdinandus Imperator ſolemni ſymbolo vſurpabat, *Fiat Iuſtitia, aut pereat mundus.* Sed de hac virtute iterum titulo XII. dicendum. Quia verò vbi Iuſtitia viget, ibi leges obſeruan-

uantur, ideò magnum quoque Reip. fulcrum eſt, legum obſeruatio. Quam ob cauſam apud Spartanos iuxta tribunal Ephororum Timoris templum erat, vt ijs, qui legibus non parerent, pœnæ metus iniiceretur, vt teſtis eſt Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 4. Ideoque etiam feliciſſimi Democraticæ Reip. Athenienſis aliquamdiu ſucceſſus fuerunt, vt ſcribit Pauſanias in Meſſenicis, quod leges ſuas eligioſiſſimè obſeruaret. Nec aliam cauſa n infortunij Carthaginenſium, felicitatis verò Romanorum belli Punici tempore Polybius lib. 9. adfert, quam quod hi ſtudioſi legum eſſent obſeruatores, illi verò ſuas negligerent. Tamdiu enim Reſp. vigent, quamdiu leges in ijs dominantur, vt teſtes ſunt penè omnes auctores, potiſſimum verò Plato in Critiâ, Ariſtoteles lib. 5 Polit. cap. 8. Xenophon de Rep. Spartana.

Exempla.

CAPVT IV.

Tertia Remp. conſeruans cauſa Induſtria Principum & Magiſtratuum.

NEc tam profectò muri Rempublicam conſeruant, aut etiam numeroſa ciuium multitudo, quàm gubernatorum induſtria. Hæc in ſapientia, & vigilantia conſiſtit. Qui ſapientes ſunt Principes & Magiſtratus, collabentem Rempublicam facilè ad rectam moderationem reuocant, ſtantem tenent & confirmant. Quippè ſapiens Princeps ſalus eſt Reipublicæ. Vigilantia diligentiaque Magiſtratuum ſecuritati eſt ciuibus, & hoſtibus terrori; totius Reipublicæ cuſtodia eſt. Nec decet vacuos à curis eſſe, qui gubernant; ijs enim vigilantibus ſecurè alij quieſcere volunt.

Sapientia & vigilantia Principum.

Teſtimonia & Exempla.

TErtia Reip. baſis eſt Induſtria Principum & Magiſtratuum. Hanc Ariſtoteles 5. Polit. cap. 9. aſſignat. Quippè, vt dicit Plato lib. 7. de Legibus, Magiſtratus ſeduli, vigilantes, induſtrij, tum hoſtibus, tum Ciuibus, terrori, grati bonis, & ſibiipſis & Reipublicæ vtiles ſunt. Induſtrius & vigilans Princeps fuit Auguſtus Cæſar, qui ius aſſiduè etiam in noctem interdum idque valetudine afflictâ dicebat, vt teſtis eſt in eius vita Suetonius. Vigilantiſſimus apud Thebanos fuit Epaminondas, qui aliquando cùm Ciues ludis & compotationibus vacarent, ipſe ſolus arma induit, muroſque conſcendit, ſobrium ſeſe eſſe ac vigilare dicens, quo alijs dormire ac populis indulgere liceret, vt legere eſt apud Plutarchum. Cùm enim omnium officiorum, laus, imò vita in diligentia conſiſtat, vt ait Oſorius lib. 4. de Regis inſtitutione, tum optimè cum Repub. agitur, quando qui illi præſunt, pro illa excubant & vigilantes ſunt. Nam otio & voluptatibus dediti Principes commiſſam ſibi Remp. ſemper perdunt, vt de Sardanapalo, & quam plurimis alijs fidem Hiſtoriæ faciunt. Veſpaſianus autem Imperator, etiam malè habens, Imperatoria negotia tractabat, Mediciſque reprehendentibus non aliud reſpondebat, quam Imperatorem mori ſtantem oportere, vt in eius vita Scribit Suetonius.

Exempla Principatum vigilantium.

In principe indocto.

CA-

CAPVT V.

Concordia quarta Remp. conſeruans cauſa.

COncordia Reipublicæ vinculum & vnio eſt. Quippè concordem & benè moratam ciuitatem labefactare nullæ poſſunt vires. Itaque vt diuturna Reipublicæ felicitas ſit, fouenda omnium concordia, impediendæ factiones & ſeditiones, idque ſeueris legibus & pœnis, inter nobiles potiſſimum & potentes. Morbus hic odiorum & factionum in Reipublicæ viſceribus tandem in Reipublicæ pernitiem erumpit. *Concordia Ciuium.*

Teſtimonia & Exempla.

QVarta Reip. baſis eſt Concordia. Teſtes ſunt Plato & Ariſtoteles 3. Polit. cap. 8. *Nihil pernicioſius Ciuitati, quam diuiſio, nihil melius, quam vnio.* Nam ſecundùm D. Auguſtinum *Concordiâ Ciuitates conſtruuntur, qua diſcordiâ deſtruuntur. Hæc enim duas ex vna Ciuitates fecit.* Vnde, vt teſtis eſt Plutarchus, cum rogatus eſſet Ageſilaus, quare Sparta ſine mœnibus eſſet? oſtendens Ciues vnanimes, *En,* inquit, *Ciuitatis Spartanæ mœnia.* Imò *Ciuium concordiam quouis muro firmius munimentum eſſe* dicebat Antiſthenes. Quo ſenſu Tireſias Celticus quidam Princeps Scipioni quærenti, cur Numantia prius inuicta ſtetiſſet, poſtea verò euerſa fuiſſet? *Concordia,* inquit, *victoriam, diſcordia exitium præbet.* Per eam enim opes etiam exiguæ fulciuntur, &, vt inquit Homerus, *Coniuncti pollent etiam vehementer inertes.* Quippe tum fit *funiculus ille triplex, qui non rumpitur,* ſecundùm Salomonem. *Diſcordia autem & ſeditio,* teſte Liuio, *omnia facit opportuniora inſidiantibus.* De ſeditionibus lib. 4. dicemus. *Exempla.*

CAPVT VI.

Potentia quinta Remp. conſeruans cauſa.

REipublicæ nerui in potentia conſiſtunt; hæc proinde ad Reipublicæ conſeruationem facit vel plurimum. Tanta eſt verò, quantum Ærarium, & hoc ex cenſu Principum & vectigalibus exiſtit. Igitur vt Reſpublica ſtet, floreat, ac conſeruetur, danda opera, vt diues in Republica ſit Ærarium. Vinci hodie vix poteſt, quem Ærarium non fallit; nec diuturna putatur Reſpublica, quæ pecuniâ & diuitijs deſtituta eſt. Certè ſtare priuatæ opes non poſſunt, ſi opulenta non ſit ciuitas. Adeò quæ potentiam habet Reſpublica, & iuſtè ſapienterque adminiſtratur cum virtutis ſplendore, ſtare diu incolumis poteſt. Iuuari quoque per fœdera poteſt, de quibus nos alibi. *Potentia Reip.*

Teſtimonia & Authoritates.

QVinta Reip. baſis eſt Potentia, quæ in Ærario & vectigalibus conſiſtit, de quibus lib. 3. dicendum. Nam, vt ait Thucydides, *Ita demum cuiuſque Ciuitatis libertas firmè retinetur, ſi adſit potentia, qua hoſtibus finitimiſque populis reſiſtere poſſit.* Vnde cum initio Principatus Nero Imperator curare vectigalia non videretur, reprehenderunt eum Senatores, inquit, Dio lib. 42. *Diſſolutionem Imperij docendo, ſi* fructus, quibus Reſp. ſuſtineretur, diminuerentur. Omnino ſine ſimplicibus aliquibus nequit Reſp. vlla conſiſtere, cum pecunia neruus ſit Reip. Quippe, vt Demoſt. *opus opibus eſt, ſine quibus nihil fiet, quod opus.* *lib. 4. hiſt.*

CAPVT VII.

Iuuentutis inſtitutio ſexta Rempublicam conſeruans cauſa.

Inſtitutio Iuuentutu.

PRæclarum etiam Reipublicæ conſeruandæ inſtrumentum eſt recta Iuuentutis inſtitutio. Vnde grauiter & verè ſapientes pronuntiant eos, qui non rectè liberos erudiunt, Reip. facere iniuriam, cuius fundamentum eſt adoleſcentum educatio. Vt in ſemente poſita ſpes meſſis eſt, ita ciuitatis in educatione pueritiæ aliæ eſſe quoque poſſunt cauſæ, integra & ſalua Imperantis auctoritas; Magiſtratus ſeu officia Reipublicæ virtutis merito, non pecuniæ pretio attributa; moderatio quædam in omnibus obſeruata, Nobilium Familiarum conſeruatio, & id genus. Suo loco de ijs.

Teſtimonia & Authoritates.

SExta Reip. baſis eſt recta Iuuentutis inſtitutio. Vt enim in ſemente poſita ſpes meſſis eſt, inquit, Muretus Orat. 2. ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ pendet. Atq; hinc Diatogenes Pythagoricus fundamentum totius Reip. adoleſcentum educationem eſſe dixit: perinde, vt hortus pereat neceſſe eſt, niſi olitor, antequam arbores marceſcant, nouellas inſerat, quarum luxuriantes ſurculos præſcindat, diſtortos corrigat, vitia emendet. *Qui* itaque, aitCic. Act. 5. in Verrem, *non rectè inſtituunt & erudiunt liberos, non ſolùm liberis, verum etiam Reip. faciunt iniuriam.* Non ſolùm autem domeſticæ educationi admouere oculum oportet, ſed & publicis inſtitutionibus, in Academijs & publicis ſcholis, de quibus lib. 3. tum etiam de ijs alijs omnibus, quæ ad Reip. conſeruationem ſpectare aliquo modo poſſunt. Nam is liber de ijs eſt, per quæ Reſp. ſtat.

Inſtitutio etiam publica eſſe debet.

TITVLVS IV.

De cauſis Rempublicam euertentibus.

CAPVT I.

Deo permittente Reſpublicas immutari & euerti.

Immutantur Deo ita permittente Reſpublicæ.

A DEO Magiſtratus omnis & potentia eſt, perque ipſum Reges regnant, & Principes dominantur. Verùm quemadmodum ab eius manu & diuina bonitate potentiſſima Imperia, & florentiſſimæ Reſpublicæ exiſtunt, ita in ijſdem mutationes, conuerſiones, interitus, cauſis iram eius excitantibus, permittit. Nec deſunt diuinæ quædam denuntiationes, quæ prodigijs ſæpè multis, & vatum oraculis innoteſcunt. Quippè nullæ vnquam magnorum Imperiorum ſine prodigio aliquo conuerſiones, & denuntiatum eſt ferè ſemper, quod poſtea defleuerunt homines, grande malum. Ita in humani generi malis, & quodam populorum interitu cœlum & tota natura loquitur, ſi non voce, ſigno aliquo.

Teſti-

Teſtimonia & Authoritates.

Quid conuerſiones.

Et Euerſiones.

Teſtimonia ſacra.

CONVERSIONES Rerump. aliquæ ſunt, aliquæ verò etiam euerſiones. Conuerſiones ſunt, cum Reſp. in aliam ſtatus ac regiminis formam mutantur, vt cum in Ariſtocratiam vel Democratiam Monarchia degenerat. Euerſiones autem ſunt cum Reſp. intereunt, cum vniuerſus populus cum ſtatus ſui formâ regimineque deletur. Harum in Rebuſp. mutationum non eandem Philoſophi veteres cauſam aſſignauerunt; nos hic eas Diuinæ adſcribimus voluntati. Hoc aliquot Scripturarum ſacrarum teſtimonijs eſt adſtruendum. Inprimis Danielis 2. cap. *Ipſe mutat tempora & ætates; transfert regna atque conſtituit; dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam.* Deinde 2. Regum cap. 3. *Sic faciamus cum eo, vt transferatur de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid ſuper Iſraël, & ſuper Iudam à Dan vſque Berſabée.* Item 3. Regum. Cap. 11. *Dixit itaque Dominus Salomoni, quia habuiſti hoc apud te, non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo.* Denique 1. Regum cap. 15. *Et ait ad eum Samuel Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Ex quibus manifeſtum eſt in ſolâ diuinæ Maieſtatis, vt ſic dicam, manu regna terræ eſſe, & Reſp. in quibus cum inſignes conuerſiones fieri videmus, ſuſpicere & timere ineluctabile Diuinæ eius Prouidentiæ decretum debemus. Omnino certum eſt omnem Remp. à Deo pendere, cum vt conſtituatur, & conſeruetur tum etiam cauſis ita poſcentibus ſubuertatur. Cuius certiſſimæ ſcientiæ luculentiſſimum teſtimonium eſt 1. Paralyp. cap. 29. *Tua eſt Domine Magnificentia & potentia, & gloria atque victoria, & tibi laus; cuncta enim quæ in cælo ſunt & in terrâ tuâ ſunt.*

Tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes Principes. Tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria; tu dominaris omnium, in manu tua magnitudo & imperium omnium. Cuius loci auctoritas omnem tollere dubitationem poteſt & debet.

CAPVT II.

Cauſa Dei iram ad Rerumpub. conuerſionem excitantes.

Vitia Adminiſtrantium.

Item populi.

DEum verò concitant, & iuſtiſſimâ inflammant irâ Principum ac Magiſtratuum inprimis vitia, populi deinde. Illorum quidem Iniuſtitia, Auaritia, Libido, Superbia, Ambitio, omnium contemptus: Huius verò Inſolentia, Inconſtantia, Leuitas, Diſcordia, Odium nobilium, Imperitia, Proteruitas, & nimia petulantia. Quando enim ſimili labe infecta Reſpublica eſt, indigna eſt, cui faueat magnus ille Rector; nec rarò vnius Principis mala vita Reipublicæ certa eſt ruina. Ipſa etiam cùm ſuorum ſcelerum mole laborat, vt ruat, neceſſe eſt. Fauere iniquis Regibus nec debet Deus, nec poteſt. Tandem iuſta, ſed grauis, pœna in flagitijs ludentes opprimit; & aliquando qui aliorum ſanguine delectabatur, ſuo ſe reſpergi ingemuit. Ac ſæpè qui ambitionis vlnis quod non debet amplectitur, quod tenet amittit.

Teſtimonia & Exempla.

Teſtimonium Ezechielis.

CAuſę quę diuinam iram ad Rerump. euerſiones aut conuerſiones excitant, grandi quædam ſunt Rerump. ipſarum, aut Principum vitia. Atque inprimis impietas ſeu neglectus Diuini Cultus, blaſphemia, Idololatria. Vnde Ezechiel. cap. 25. *Fuge ſupra Sanctuarium meum quia pollutum eſt, & ſuper domum Iuda, quoniam ducti ſunt in captiuitatem, idcirco ego trado te filijs orientalibus in hæreditatem, & collocabunt Pallatia tua in te, & comedent fruges tuas, & bibent lac tuum.*

Potens

Exemplum vrbis Hieroſalem. Potens illa & pulcherrima vrbs Hieroſolymitana, non aliam ob cauſam ſolo adæquata eſt, quam quia Dei cultum neglexit, impietatem & blaſphemias ſecuta, vt ait Ioſephus in Antiq. Iudaicis. Idipſum agnouerunt veteres Poëtæ, qui finxerunt Deos Troiam, amicam Ciuitatem deſeruiſſe, atque ob Paridis adulterium euerti paſſos eſſe; vt refert Auguſt. lib. 3. de Ciuitate Dei. cap. 3. Neque etiam aliam ob cauſam Salomonis tranſlatum eſt regnum, quam quia à Domino mentem auertit, & Deorum plurium cultu ſeſe polluit. De malitia vniuerſa dicebat Samuel ad Populum. *Quod ſi perſeueraueritis in malitia, & vos & Rex veſter pariter peribitis.* (Et Troiæ.)

Poſt impietatem ſecundùm obtinet locum Iniuſtitia, iniuria, legum iniquitas. Nam vt eſt apud Eccleſiaſticum cap. X. *Regnum à Gente in Gentem transfertur propter iniuſtitias & iniurias &c.* Quippe vt inquit in Thyeſte Seneca —— *Vbi non eſt pudor*

Nec cura Iuris, ſanctitas, pietas, fides,
Inſtabile regnum eſt.

Documentum. Duo ſunt brachia Rerump. Arma & Leges, quæ vt, ait, Iuſtinianus in Proëmio Inſtitutionum, habere Imperatoria Maieſtas debet, vt legibus armata, & armis decorata, belli & pacis tempus rectè poſſit gubernare. Nec tam ſanè arma Remp. tuentur, quam leges & iudicia, & conſtans inuiolati Iuris ſtudium, adeò vt ſtare diu Reſp. illa non poſſit, in quà peruerſa ſunt iudicia.

lib 1. Vnde Ochus ille Rex, de quo Athenæus cum feliciter diutiſſimeq; regnaſſet, & à filio regni ſucceſſore iam morituris interrogaretur, quid faciendo tam diu tranquillum beatumq; regnum ſuum ſeruaſſet? *Iuste*, inquit, *erga Deos hominesq; faciendo.* Sicut enim religio primum eſt adminiſtrandæ Reip. fulcrum, ita alterum proximumque eſt ius & æquitas.

Exempla. Tertio ordine cenſeri poteſt ſubditorum nimia oppreſſio per tributa vectigaliaque. Propter eam decem Iſraëlis tribus à Roboamo Rege defecerunt vt eſt 3. Reg. cap. 12. propter eam in medio regni curſu Matthiam Coruinum Hungari deſtituerunt teſte Hungariæ Hiſtoria. Propter eam Franci Theodorum Regem, vt refert Bodinus lib. 6. de Rep. cap. 2. de regno deiecerunt, etſi ea non ſatis fortaſſe iuſta videri cauſa poſſit. Ad hanc verò ſubditorum oppreſſionem cum auaritia & nimiâ habendi cupiditate Principes ferantur, tum hanc cohibere in ſe debent.

Accedit quarto loco libido & intemperantia. Nemo neſcit ex Liuio lib. 1. expulſos Româ Reges propter vim caſtiſſimæ Lucretiæ illatam. Et notiſſimum eſt exſcindendæ Troiæ cauſam Helenæ à Paride raptum extitiſſe. Quid, quod nuper, vt teſtis eſt Boterus, duæ Vrbes in Africâ potentiſſimæ à Rege Perſarum defecerunt, propterea quod eius Præfectus ſponſam alienam Regis exemplo rapuiſſet: quo ſtatim occiſo Rex ipſe Feſſarum Abuſabita cum ſex liberis à domeſtico ſeruo cæſus eſt, quod eius vxori ſtuprum intuliſſet. Plures alij cum impuræ libidini, quam virtuti ſeruire maluiſſent, ab Imperio exciderunt. lib. 1. Polit. c. 4.

Quinta cauſa ſit Tyrannis ſeu crudelitas, quæ tamen, tum prius Reip. conuerſionem adfert, cum tanta eſt, vt humanitatem omnem exuiſſe Tyrannus videatur. Ac potiſſimum cum in Nobiles & Principes Reip. viros ſæuit, quorum ſanguis iniuſtè effuſus, vix vnquam ſine effundentis ſanguine expiatur. Ferrè Tyrannum plebs poteſt, Nobilitas non poteſt, cui ipſa contumelia grauior eſt crudelitate. Exemplorum plenæ hiſtoriæ ſunt.

Cætera Principum vitia conuerſionis aut euerſionis non rarò dant occaſionem, propter quæ fit, vt ſuprema authoritas contemnatur, & inſoleſcente populo Reſp. intereat.

Sed & ipſorum ſubditorum ſeu populi vitia Reip. huc illuc impellunt grauiterque concutiunt, non aliter, quam maligni in humano corpore humores ſanitatem eius & temperatam conſtitutionem corrumpunt. Sunt autem illa potiſſimum, inuidia, lites, diſcordia, diffidia, ſimultates, inſanus Populi furor, Ambitio nobilium, inclinatio ſubditorum ad peregrinos Magiſtratus & Principes. Non alia Imperij Græcorum interitus fuit cauſa, quam diſcordia ciuilis, vt teſtatur Iuſtin. lib. 3. Et Laonicus Calcondilas lib. 1. de rebus Turcicis. *Græcorum res*, inquit, *ancipiti fluebant ut fortuna, cum inteſtinis diſcordijs agitarentur.* Propter Bizantij regnum Reges ambo, auus & nepos Andronici ex familia Paleologorum orti, cum autem ſeditionibus iactarentur, quidam hunc, pars illum ſequebantur. Ita factum eſt, vt planiſſimè res ipſorum interierint. Quippe, vt oraculum eſt Chriſti, Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Ad hæc vitia accedunt, Matthæi cap. 12.

dunt, voluptates, luxus, ebrietas, abundantia, ſaturitas & otium. *Quæ vrbs*, inquit Val Max. lib. 4. *voluptati nimium tribuit, imperium maximum amiſit; quæ labore delectata eſt, occupauit.* Quippe vbi eiuſmodi vitia regnum obtinent, egeſtas oritur, vnde varias ſequi mutationes neceſſe eſt. Hinc Sen. lib. 1. Epiſt. *Hoc multarum*, inquit, *tibi vrbium oſtendet euentus, quarum in ipſo flore luxurioſa imperia ceciderunt, & quicquid virtute erat partum, intemperantiâ corruit.* Memorabile eſt in Capua Campaniæ vrbe exemplum, cuius incolæ, vt teſtatur Cicero Agrar. 2. ſemper ſuperbi fuere, propter bonitatem agrorum & fructuum, magnitudinem vrbis, ſalubritatem & pulchritudinem: ex eademque copia & rerum omnium affluentia natam arrogantiam tandem effeciſſe, vt à Romanis obſideretur, fameque expugnaretur, Senatus ſecuri percuteretur, Ciues ſub haſtâ venderentur, ager omnis publicaretur. Similem ob luxum calamitoſſimus fuit Sybaritarum euentus; item Muleaſſis Tunetani Regis. Quin etiam inter cauſas euerſæ Sodomæ apud Ezechielem 16. cap. referuntur: ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia, otium ipſius & filiarum eius.

Exemplum.

Camerarius.

Porrò qui euitare conuerſiones in Rep. ſeu Regno ſuo volunt, id caueat prudentes Monarchæ, ne vnius alicuius nimiam eſſe patiantur dignitatem & potentiam. Per eam enim extollitur ad faſtum & corrumpitur.

Documentum.

Per Tiberium Seianus ad ſummum dignitatis faſtigium euectus, nimiâ armataq; potentiâ fictionibus inuadere imperium tentauit, vt videre eſt apud Tacit. lib. 4. Ann. Perennis nimiâ potentiâ inſoleſcens inſidias Commodo Imperatori ſtruxit, vt habet Herodianus in Commodi vitâ. Item Ælianus Neruæ, Caſſius Antonino, vt ſcribit Capitolinus. Aſpartis, Marciano defuncto, tantæ potentiæ fuit, vt ſolus Leonem ad Imperium euexerit, vt ſcribunt Zonaras & Diaconus. Eodemque Zonarâ teſte nulla res ſæpius exitialis fuit Imperatoribus Græcis, quam magna potentia Ducum. Vnde cauendum eſt, ne cum ſummis Magiſtratibus poteſtas armorum iungatur. Qui enim arma in manu habent, eorum arbitrij eſt, ait Ariſtoteles lib. 7. Polit. c. 9. vt maneat vel non maneat Reſp. Quâ de cauſâ imprudentiæ M. Tullium Ciceronem Brutus arguebat, quod adoleſcentem Octauium nimijs honoribus efferendo, ad nimiam potentiam in Rep. obtinendam armauiſſet. Et ita Secechus, vt eſt apud Cromerum lib. 5. rerum Polonicarum, cum penes eum vires totius exercitus eſſent, Boleſlao 3. Poloniæ Regi regnum eripuiſſet, niſi ab ipſo fuiſſet præuentus. De cauſis mutationum externis, quæ in vi militari, aut violentia alia, vel diuinâ vltione conſiſtunt, nihil hic eſt quòd agamus.

Exemplum.

CAPVT III.

Fato etiam quodam, & Religione diuerſâ intereunt Reſpublicæ.

EST & Reipublicæ ſuum quoddam fatum, & quæ originem habet, expers interitus eſſe non poteſt. Quæ nata ſunt, intereunt. Certis deſcripta periodis ſtare ſemper durareque non poteſt. Adeò vitiorum impulſu facilè in exitium ruit; quæ exitio obnoxia eſt. Ruinæ teſtes ſunt, & quædam magnarum Ciuitatum velut cadauera. Sed illa religionis diuerſitas, quâ Europa hodie laborat, non animos tantùm hominum, verùm etiam ipſas Reſpublicas immutat. Nouarum rerum ſtudioſi ſectarij regimen pati antiquum non poſſunt, nullum volunt. Libertatem & æqualitatem plenis buccis crepant, vt nimirum excuſſo Principum iugo in omne nefas liberè abeant, & ſceleribus ſint æquales. Quicumque ſibi populus legem ponit, nullam habet. Nam imperare qui debet & parere, neutrum facit, tantùm inſoleſcit.

Reſpub. interitui ſunt obnoxiæ.

Religionum diuerſitas Rerump. ruina eſt.

Teſti-

Teſtimonia & Exempla.

Exempla.

IMmortales eſſe Reſp. nemo vmquam aſſeruit, interitui obnoxias eſſe experientia tot lapſis retro ſæculis oſtendit. Numquam tot hactenus præclariſſimæ Reſp. euerſæ fuiſſent, niſi euerti quodam fato ſuo potuiſſent. Nullâ autem fermè re Rerump. tam facilè mutationes, quàm mutatione Religionom introducuntur. Cùm enim Religio, teſte Polybio, potiſſimum vinculum & firmamentum Reip. ſit, nihil eâ ad moderandas ſtabiliendaſque Reſp. eſt firmius, quæ ſi conuelli permittatur, de Rep. conclamatum eſt. Teſtes ſunt Belgicæ Prouinciæ, in quas cùm Religionis introducta libertas eſt, Regium iugum earum aliquot excuſſerunt, & Monarchiam in populare regimen commutauerunt. Illa Religionis libertas puriſſimum filiorum Franciæ nitorem defœdauit, & florentiſſimum regnum ita diuiſit, vt multæ hodie vrbes Regem non agnoſcant. Eadem Germaniam diſtraxit, & velut Aquilam Cæſaream lacerauit. Sed de hac re iam ſuprà dictum, & alibi iterum dicendum.

Lib. 6.

CAPVT IV.

Nec fortuitò Reſpublicæ mutantur, nec à ſyderibus pendent, nec fatales habent terminos.

Reſp. non fortuitò pereunt.

NEque ſanè temerè tantùm ac fortuitò, nulloque ordine ac conſilio Reſpublicæ vel oriuntur, vel extinguuntur. Certa quippè eſt diuinæ Maieſtatis prouidentia, à qua legem accipit quitquid naſcitur aut interit. Nec tam humani conſilij, quàm diuinæ Sapientiæ opus eſt, quicquid à nobis rectè fit. Et omnium rerum gubernatio ſupremi eſt naturæ vniuerſæ adminiſtratoris Dei. Neque etiam ab errantium ſtellarum curſu humana pendent. Quid enim expertia animarum ſydera poſſunt, vbi hominum ingenia iudiciaque laborant? Sed nec illi fatales quorundam anni Rerumpublic. perniciem trahunt. Vis annorum nulla talis, nec ille cœlorum motus metam aliquam habet fatalem. Ab annis Reipublicæ pernicies non eſt, ſed à vitijs.

Non vi ſtellarum.

Non annorum.

Quorundam errores; & vera opinio.

Epicureorum.

EPicurus, & qui illum olim ſunt ſecuti, exiſtimauerunt Reſp. temerè, fortuitò, nullo ordine ac conſilio oriri extinguique. Quâ opinione cùm diuinam tollant prouidentiam, & hanc pulcherrimam mundi machinam fortunæ quoddam opus luduſque conſtituant, ab ijs, qui Deum naturæ vniuerſæ authorem gubernatoremque agnoſcunt, planè ſunt reijciendi. Alij etiam olim extiterunt, qui certos quoſdam annorum limites conſtituebant, quos tranſilire Imperia non poſſent. Quorum opinio tamen fluctuans & incerta fuit: nam nunc annum quingenteſimum, nunc I Ɔ X X. nunc I Ɔ C C. metuendum eſſe pronuntiabant; atque his annis multa naſci, multa denaſci, alia oriri, interire alia Imperia putabant. Eos annos climactericos appellabant, & velut fatales Imperiorum periodos. Huius opinionis eſt Leunclauius, in procemio Hiſtoriæ Muſulmannæ: *Certa temporum momenta quadam, cùm omnibus in genere, tum maximè tyrannicè ſtatuta diuinitus Imperijs, quæ ſi necdum adpetierint, fruſtra tentare videmus Hereicos etiam Principes, quicquid vel ad tuendum ſuas ſuorumque fortunas, vel ad repetendum ablatas iniuſtè Prouincias, ſuſcipiunt. Sin abſoluto curſu quaſi periodo ſuâ fatales iam vices metaſq; cœlitus præfixas attigerint, tum ipſa mole ſua nutant, tum hoſtu etiam, cunctorum opinione debilis impulſu præcipitata corruunt; vt orbis vniuerſus mutationẽ prodigioſam non à viribus humanis, ſed ab inſpectabili & præpotenti Numine, mirificâ res mortaliũ prouidentia gubernante, profectam agnoſcat.* Ita ille: ſed hæc ſententia dum Rerump. mutationes certis

Aliorum quorundam.

Leunclauij opinio.

ctis periodorum & temporum metis ac circuitibus metitur Stoicum fatum inducere tueriq́ue videtur, à Chriſtianis meritò damnatum. Falſam etiam illam eſſe de climactericis annis opinionem experientia teſtatur, quæ alijs annis ac temporibus euerſa Imperia oſtendit, vt Hiſtoriæ fidem faciunt. Vide C. V. Tituli II. Quod ſi certis periodis deſcripta ſunt Imperia, referre ad infallibilem Dei diſpoſitionem & ordinationem oportet. Nonnulli verò Aſtrologi Principatuum mutationem cælo & ſideribus adſcribunt, quaſi eorum reuolutio occultâ quâdam ratione imperiorum conuerſiones efficeret. Verum hęc opinio, vt ait, Tholozanus lib. 21. de Rep. cap. 9. Iniuriam irrogat cælo. Si enim tot deſtructiones, ſeditiones, bella, ſcelera, fatalem accipiunt à cælo neceſſitatem, horum omnium malorum cauſam eſſe cælum & ſtellas dicemus, & ea poſita neceſſitate nullam Deo poteſtatem aut iudicium relinquemus. Certè nullam inferunt hominibus aſtra neceſſitatem, nec immutare poſſunt voluntatem. Hinc Craſſus, vt refert Plutarchus, cùm moneretur à quodam Caldæo, ne bello Parthos laceſſeret, priuſquam Sol Scorpij ſidus euaſiſſet, Non inquit, Scorpiones metuo, ſed Sagittarios, alludens ad Parthos, quorum ſagittis Romanorum Legiones ſub Craſſo in Caldæa fuſæ proſtrataq́ue fuerunt. Hieremias Propheta cap. x. *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* Contra omnem rationem eſt rebus illis cæleſtibus ſenſu conſilioq́ue carentibus diademata faſceſq́ue quodammodo deferre. Plato *Reſp.* ait, *mutari in formas vicinas ac propinquas, ut Ariſtocratiam tranſire in Democratiam, Oligarchiam verò in Democratiam.* Ariſtoteles verò in formas mutari contrarias tenet, vt *Monarchiam in Tyrannidem, Ariſtocratiam in Oligarchiam, Democratiam in Ochlocratiam.* Quorum duorum ſummorum Philoſophorum opinionibus nihil addemus; ſtatuendum eſt enim & tenendum mutationum omnium in Rebuſp. cauſam ſolam eſſe Diuinæ Maieſtatis voluntatem, quam certæ quædam excitant cauſæ, vt oſtendimus cap. 1. huius tituli,

Sed damnata.

Quorundam Aſtrogorumdam.

Refutatio.

In vita Craſſi.

CAPVT V.

Bello & externâ hoſtium vi quandoque Reſpublicæ corruunt.

ETiam Bellum Rerumpublicarum quoddam eſt fatum, nec rarò florentiſſimæ Ciuitates hoſtium manu in cineres abierunt. Iuſta aliquando cauſa eſt, & permittit ſummus Iudex; nonnumquam tantùm inuidia eſt hoſtium, vel cupiditas, ac tunc fortiori plerumque, etſi iniuriâ, cedendum eſt. Victor legem ponit, & libidine ſuâ gladioq́ue Rempublicam immutat aut euertit. Accedit quandoque priuatorum quorundam factio conſpiratioq́ue, quando illi cum hoſte colludunt, & illi ſuam Rempublicam produnt.

Sæpè bello & vi externâ pereunt.

Reijcitur in alium locum.

VIs externa mutationum etiam in Rebuſp. eſt cauſa. Quippe maximæ & potentiſſimæ vrbes omni ætate bello euerſæ corruerunt, vt Babylon, Hieroſolima, Heliopolis, Corinthus, Tyrus, Carthago. Aliæ per ignem, aliæ per diuinam quandam vltionem. Sed de vi externâ lib. 4. dicemus.

TITVLVS V.

De Reipublicæ Amplificatione.

CAPVT I.

Duplex Amplificandæ Reipublicæ modus, Internus & Externus.

Modus vnus Internus Ciuium propagatio & terræ cultura. Alter externus per alterius prouinciæ acceſſionem.

NON omittendum ſanè Reipublicæ augendæ ſtudium, ſi cum modo fiat. Quippè res vnaquæque ad ſui amplificationem ſponte & naturâ ſuâ tendit. Modus duplex eſt, Internus vnus, alter Externus. Internus natura induſtriaque conſtat, cùm nimirum populus multiplicatur per Ciuium propagationem, Territorijque culturam: aut quando alterius Reipublicæ ciues ad noſtram tranſeunt, vel florentis ciuitatis opibus, vel libertate, vel religione, aliáve causâ allecti. Loca, quæ antea ſterilia, ſi per culturam fructuoſa reddantur, magnum adferunt Reipublicæ augmentum. In ipſius quoque Reipublicæ dignitate & publicarum priuatarumque opum copia multum momenti poſitum eſt ad incrementum. Quin imò quæ rectè adminiſtratur Reſpublica, augetur non aliter, quàm arbores, quæ culturâ creſcunt. Externus Rempublicam amplificandi modus eſt, cùm ad Rempublicam noſtram Prouincia alia vel Ciuitas, vel quoduis terræ ſpatium adijcitur. Imperij quippè ſui fines extendere, modò iuſtè fiat, omninò licitum eſt.

Variorum modorum Explicatio cum exemplis.

INTERNVM hunc Reip. amplificandæ modum inprimis in Ciuium propagatione, terræque culturâ, tum in Reip. ipſius ſplendore opulentiáque conſtituimus. Videtur autem ea eſſe Imperiorum natura vt ſuâ ſponte ad amplificationem incitentur, quaſi eo firmius, tutiuſque ſit vnumquodque, quo anguſtius, amplius & potentius eſt. Vulgo iam vſurpatum eſt. *Sub Rege magno viuere ſummam eſſe libertatem.* Nam illi ſatis ſuperque eſt, vndè cupiditates ſuas expleat, & ſub ipſo ab iniurijs vicinorum Principum ſubditi, ſunt tutiores, ijque potentiſſimi Regis imperio facilius coërcentur, qui ſeditionibus aut bellis ciuilibus turbare regni tranquillitatem poſſeut. Anguſtâ vnius Tyrannide concludi miſerrimum eſt. Hinc Iuſtinianus Imp. *Imperatoris officium eſſe*, ait, *Augere & recuperare*, quam ob cauſam in Imperatoris inauguratione dùm illi globum ſphæricum tradit Palatinus Rheni, *accipe*, inquit, *globum ſphæricum, vt omnes terræ Nationes, Romano Imperio ſubijcias, & Auguſtus glorioſus valeas appellari.* Quippè dictum Auguſtum nolunt ab augendo; nec Imperatori illi fas eſſe Imperij fines minuere.

In Procemio Inſtitutionum Ciuilium.

Primus modus.

Porrò propagatio Ciuium fit per matrimonium, quod ſicut eſt, Cic. teſte, lib. 1. offic. Principum vrbis conſtituendæ, ita ſeminarium Reip. amplificandæ & conſeruandæ. *Imò perpetuitatem humano generi largitur, & immortalitatem Reip. artificioſè introducit*, vt eſt in Nouellis 22. & 26. Inde apud Romanos lex Iulia de maritandis ordinibus, quâ omnes cogebantur vxores ducere, ne orbitas in vrbe præualeret, & vt fortiores Imperij vires hominum adiectione, fierent. Apud Spartanos, vt Cœlibes ad matrimonium cogerentur, nudi forum obire hyemis tempore debebant, à Virginum certantium

tium ſpectaculo arcebantur, & erant eius honoris, & obſeruantiæ expertes, quam ſenioribus iuuenes præſtabant. Hoc tempore Hiſpaniarum Rex Philippus IV. certis pro numero prolium conſtitutis priuilegijs, ſuos ad matrimonium inuitat. Iuuare verò multum poteſt, ſi facilior ſit prolium educatio, quam procurare Principes debent, cùm multi vel idcircò à prolium multiplicatione abhorreant, quod educare eas non poſſint. Olim Ægyptij hominum numero gentes ferè omnes ſuperauerunt; nec eius frequentiæ cauſam aliam adfert Diodorus Siculus lib. 1. quam quod filiorum educatio, propter victus & amictus frugalitatem, minimo illis conſtaret. Hanc educationem Imperatorum aliquot liberalitas non parum iuuit. Coccejus Nerua pueros puellaſque parentibus egenis natos publico ali ſumptu iuſſit. Traianus & Adrianus ijſdem alimenta detulerunt, vt Plinius & Spartianus teſtes ſunt. Quod attinet ad Territorij culturam, ea quoque magnum adfert Reip. incrementum, de qua lib. 3. Non immerito verò conqueritur Bodinus, quod deſerta & inculta Galliæ loca, ſi vias & aquas adiungamus, duos auferant totius regni trientes. Splendor autem & opulentia Reip. externos alliciunt, ac potiſſimùm ſi priuilegia magna ſint, & ſummâ eurâ libertas foueatur. Ita Romæ leges erant tutelares, quibus peregrini fouebantur; & multa pro ijs priuilegia Athenis, Epheſi, Thebis, alibique fuerunt.

Documentum. *cap. 3. & 6.* *Secundus Modus.*

CAPVT II.

Externus Reipublicæ amplificandæ modus iterùm varius.

POrrò adijci ad Rempublicam Prouincia alia varijs iterum modis poteſt. Inprimis per emptionem, cùm Princeps aut Reſpublica aliqua iuſto emptionis titulo agrum aliquem vel regionem ſuæ ditionis facit. Hic modus carere ſumma æquitate, ſi populi, qui in alienam poteſtatem tranſit, conſenſus accedat, non poteſt. Deinde per vnionem, cùm duæ Reſpublicæ, Prouinciæ, vel Regna in vnum Imperium coaleſcunt. Vel cùm ex pluribus ſeparatis antea dominijs, vna Reſpublica aut Prouincia conſtituitur. Verendum hic quandoque, ne non tam vniatur minor Reſpublica maiori, quàm ab hac ſupprimatur, & quaſi deuoretur. Minoris nomen ferè ſemper extinguitur, & priuilegia vix ampliùs audiuntur. Licita huiuſmodi coniunctio tamen eſt, ſi vis abſit, & ſponte fiat. Tertius eſt modus per deditionem ſubmiſſionemque ſpontaneam, cùm vltrò populus aliquis in alicuius Regis aut Reipublicæ poteſtatem ſe dedit; quod nimirum exiſtimet, melius ſibi eſſe ſub eius poteſtate viuere, quàm ſuæ relinqui libertati. Quartus modus per bellum, quod ſi iuſtum ſit, iuſtus eſt hic Reipublicæ augendæ modus. Tunc populus cum vrbe, agro, aqua, terminis, delubris, rebuſque omnibus in victoris poteſtatem iure venit, ſiue hic ſit expugnatione coactus, ſiue per deditionem acceptus. Iuſtè poſſidetur, quod iuſto bello acquiritur. Quintus ſit modus per Colonias, quæ quando deducuntur, Reſpublica incrementum accipit, & quæ acquiſita ſunt, firmantur. Addi etiam modus poteſt per ædificia, quibus Reſpublica aliqua amplificatur & exornatur. Vnde ſi eorum condendorum amorem Principes & Magiſtratus Ciuium animis iniecerint, fiet, vt ipſi multiplicentur, & locum, in quo exſtruxerint, excolant laborioſè.

Primus per Emptionem. *Secundus per Vnionem.* *Tertius per ſpontaneam deditionem.* *Quartus per Bellum.* *Quintus per Colonias.* *Sextus per multiplicationem ædificiorum.*

Varij modi explicantur & confirmantur.

EXternus Reip. amplificandæ modus in eo conſiſtit, vt Reip. fines per Vrbium vel Prouinciarum adiectionem extendantur. Id fieri oſtendimus per Emptionem, Vnionem ædificiorum. Emptio dignum eſt Principibus commercium, & ferè per Legatos fit. Sic Clemens VI. Pontifex Comitatum Auenionenſem à Ioanna Neapolis Regina emit. Niſi fortè permutaſſe cum ijs penſionibus videri poſſit, quas illa quotannis Eccleſiæ pendere debebat. Sic Philippus Valeſius Franciæ Rex ab Humberto Principe Delphinatum emit. Sic florentiſſima Reſp. Florentina per induſtrios, quos adhibuit, homines quoſdam, promptâ paratâque pecuniâ mirificè eſt aucta. Sic Reſp. Tigurina magnum ſumpſit incrementum, quæ plus quàm Ducatum poſſidet, & ferè nihil non niſi iuſto emptionis titulo. Sic aliæ plures creuerunt Reſp. vt Vlmenſis, Ducatus Wirtembergicus, & aliæ in Germaniâ plures. Item Veneta. Exiſtimat quidem Machiauellus minùs generoſum eſſe hunc Reip. augendæ modum; quòd glorioſius ſit Reip. fines armis & virtute extendere, quàm Vrbem aut Prouinciam aliquam pecuniâ ſibi parare; & ea vix ferro conſeruari, quæ auro ſunt acquiſita. Summa tamen hoc in modo iuſtitia eſt.

Exempla Emptionis.

lib. 2. diſcur. c. 30.

Per vnionem vel Ciuitas vna magna ex pluribus paruis oppidis coaleſcat, vel Regnum vnum ex varijs Prouincijs concreſcit; ita tamen, vt vnitarum Prouinciarum priuilegia integra ſaluaque permaneant. Sic Reſp. Romana vicinos etiam hoſtes in Ciuitatem accipiendo creuit, dum Romulus Sabinos ſibi conſociat, & Tullus Hoſtilius populum Albanum in Vrbem transfert, vt videre eſt apud Liuium lib. 1. Alij alios Romam adſciuerunt. Qua arte ita valebant Romani, vt pleroſque populos eodem die hoſtes habuerint & ciues. Exitio verò ea res Athenienſibus & Lacedæmonijs ſemper fuit, quod victos pro alienigenis arcuerint. Ertauitque Carthaginenſium Dux Amilcar, qui victos captiuoſque hoſtes ſemper ad internecionem delendos iudicauit. Circa annum CIↃ. CCC. LXXXVI. Iagello magnus Lituaniæ Dux, ductâ in vxorem Hedwige, Ludouici Hungariæ & Poloniæ Regis filiâ, ſuſceptoque ſacro baptiſmate, in quo Vladiſlaus eſt appellatus, Poloniæ Lituaniam vniuit, ſimulque Samogitiam & Ruſſiam adiunxit, vt refert Alexander Gaguinus tom. 1. rerum Polonicarum. Eidem regno Liuonia acceſſit circa annum CIↃ. IↃ. LXI. cùm graui bello multiſque cladibus à Moſcouita affligeretur. Deſiderius Longobardorum Rex Wittenbergiam ex tribus alijs erexit, vt habet Beatus Rhenanus in Antiq. Germ. lib. 2. Henricus IV. Galliæ Rex anno CIↃ. IↃC. VII. Ditionem ſuam Nauarricam, & quaſcumque alias patrijs auitiſque titulis habebat, ita Regno Franciæ vniuit, vt diuelli ab eo in poſterum non poſſint. Philippus II. Hiſpaniæ Rex Luſitaniam ad Hiſpaniæ Regna adiunxit, ſeu cum Caſtellæ regno coniunxit, etſi ægrè Luſitani id ferrent. Vnita eodem modo Noruegia Daniæ eſt, etſi non magno, vt aiunt, huius regni emolumento.

Vnionis.

Documentum.

Per deditionem voluntariam ſpontaneamque multorum exterorum, vt tradit Xenophon lib. 1. Cyropædiæ, Cyri Perſarum Regis Imperium creuit. Et, vt Liuius lib. 4. auctum eſt Romanum Imperium, cùm plures exiſtimarent, melius ſe ſub eorum poteſtate viuere poſſe, quàm in ſua libertate. Hæc deditio aliquando fit per teſtamentum, quo modo populus Romanus regno Attali Pergamorum Regis eſt potitus, vt habet Florus; & aliquando ex legato Alexandri Regis Ægypti Alexandriam & Ægyptum accepit, teſte Cicer. Orat. 2. pro lege Agrar. Interdum cum pacto deditio fit, quod omninò ſemper eſt ſeruandum, etſi coacta vtcumque videri voluntas poſſit. Liberi enim etiam ſunt, qui dedere ſeſe hoc modo malunt, quàm extrema pati.

Exempla Deditionis.

lib. 2.

Per Colonias modus etiam Reip. augendæ eſt. Hæ ex populi incremento & inquieta plerumque turba oriuntur ac deducuntur, atque præſidij loco eſſe ſolent. Nam cùm neceſſarium ſit in acquiſitâ nouâ ditione, vt Equitum Peditumque præſidia conſtituantur, eorum ſunt loco Coloniæ, nec magno Principes ſumptu eas deducunt, & plerumque eos, qui nocere ſibi poſſent, abducunt. Fuit illa olim magna conſeruandorum Imperiorum ratio, etſi hoc tempore exoleuit. Hinc Lipſius lib. 2. de Conſtant. cap. 28. *Colonijs nihil ad vim Imperij firmius; nihil viciſſim in ſubditos triſtius cogitari poſſe,* ait. Vrbes enim aliquæ & partes agrorum nouis

Exempla Coloniarum.

nouis Colonis ex hoſtili terrâ aſſignabantur. Colonias olim plurimas Romani deduxerunt, & hodie in vtramque Indiam Hiſpani deducunt. Nolim autem ad Coloniarum rationem reuocari Gentium migrationes. In locum Coloniarum multi hodie Principes propugnacula & Præſidia militum ſuæ Gentis conſtituunt, quorum fidei Prouinciæ nouæ conſeruationem committunt & credunt.

Denique amplificandæ Reip. modus eſt per bellum. Quæ enim bello iuſto expugnantur victori cedunt; iuſtiſſimæ eorum poſſeſſiones fiunt, ita vt repeti numquam eadem ex cauſa poſſint, vt habet Dionyſius Halicar. lib. 3. Antiqui. Rom. Et ideo quod iuſto bello acquiritur, iniuſtè repetitur. Qua de re lib. 4. ſicut de Ædificijs lib. 3.

CAPVT III.

Proponuntur alij augendæ Reip. modi.

LOci amœnitas, quæ vel naturâ vel arte comparata eſt, allicere non parum homines ſolet. Placet quippè purus & incorruptus aër, placent fontes, flumina, conualles iucundæ, & vmbroſa nemora, aliaque huiuſmodi, quæ hominis naturam afficiunt & recreant. Ipſa etiam vrbis alicuius ædificia artificioſè exſtructa, amplæ ornatæque plateæ, quæque hominum curioſitatem, vel nouitate vel magnificentiâ detinent, plerumque inuitant ad migrandum. Maius tamen momentum habet vtilitas ad conciliandam hominum cum hominibus aliquo in loco habitationem, quâ deficiente, nec amœnitas, niſi ab otioſis, æſtimatur; nec cuiuſquam auctoritas ad alliciendum multùm poteſt. Ea verò conſideratur vtilitas in loci ſitus opportunitate, in apportandi, auehendique commoditate, in ſoli fertilitate; hæc enim plurimùm ad commerciorum rationem, quam hominum maxima pars ſequitur, faciunt, & ad commodiorem parandi victus occaſionem. Cùm etiam ſine aduenis vix vllum ſit Reipublicæ augmentum, inuitandi illi ſunt, & varijs artibus attrahendi, communicatione honorum ac priuilegiorum, immunitate aliquâ & libertate. Creſcunt quoque Reſpublicæ per Academiarum conſtitutionem, cùm artes ſtudiaque florent; fit enim, vt ingens Scholaſticorum adſit multitudo. Item ſi Regia ſedes ſeu Principis Palatium, in quo multi etiam ſeruiunt peregrini, & indigenas vxores ducunt, aliqua in vrbe ſit. Vel certè publici Prouinciæ alicuius Concilij ſedes, in qua iudicia omnia exerceantur & prouocationes audiantur. Tum enim eò frequens hominum eſt confluxus. Aliæ eſſe rationes poſſunt, vel Religionis, vel commoditatis alterius, vel refugij, quod fideliter concedatur, gratiâ.

Propter loci amœnitatem. *Propter vtilitatem.* *Per aduenarum aduentum.* *Per Academias.* *Per Regiam ſedem.* *Per ſedem concilij prouincialis.*

Teſtimonia & Exempla cum explicatione.

PRoponuntur hoc capite hi augendæ Reip. modi. Si vrbs commoda, elegans, magnifica, aëre ſalubri vtatur; ſi negotiationibus & mercimonijs ſit clara, ſi Academiam florentem habeat, aut regiam Aulam; ſi peregrini alliciantur.

Quod attinet ad primum, ad beatam Ciuium vitam nequaquam ſanè ſufficit populum bonis legibus inſtitutum habere, niſi opportunitas vrbis ea ſuppeditet, quæ ad vſum vitæ tranquillæ ſufficiant. Vnde in condendis vrbibus, prima eſſe cura ſolet, vt ſaluberrimus ſit locus; altera vt fertiliſſimus; tertia vt ad negotiationes & res bellicas commodiſſimus. Hinc Pallas, vt tradunt, Sapientiæ Dea Muſæum Græciæ conditura locum in Attica ſaluberrimum, & aëris temperie optimum elegit: Vbertas ſoli Neapolitanum regnum ita commendat, vt merito Cereris & Bacchi certamen à Floro vocetur. Nec aliam ob cauſam plurimæ in Italiâ Galliaque Vrbes tot incolis exundant, quam quia præter perennem vitalemque ſalubritatem fertiliſſimos campos habent. Talis eſt Mediolanenſis ager, qui cunctis

Sit Vrbis opportunitas.

Sit. fertilitas.

rebus tam neceſſitati mortalium, quàm voluptati opportunis cùm abundet, populoſiſſimam facit vrbem. Suus commoditas & auget, & diteſcere facit Ciuitates: propter quam Veneti, Genuenſes, Maſſilienſes, Angli, Belgæ, Galli ad inſignem Reip. ſuæ magnitudinem peruenerunt. Conſtantinopolim ſitus commoditas tantam facit, dum in Iſthmo ſita tribus partibus portuoſo mari alluitur, meritò Europæ totius Arx dicta. Alexandriam duo maria vndique alluentia in tantas opes attollunt. Ad hanc commoditatem cum Vrbium magnificentia accedit, tum deeſſe nihil videtur. Ideò non immeritò Auguſtus Cæſar gloriabatur, Romam, quam tantopere excoluerat, marmoream ſe relinquere, quam latericiam accepiſſet. Mirum in modum hæc allicit, & in magnificis vrbibus habitare profectò eſt periucundum.

Siti mercimonia.

Propter mercimonia clariſſimæ hodie ſunt Vrbes & ſimul ampliſſimæ, Venetiæ in Italiâ, Lugdunum in Galliâ, Ormus in Arabiâ, de quâ dicitur, quòd ſi mundus annulus eſſet, eius gemma Ormus foret; Vlyſſipona in Luſitaniâ, Seuilia in Hiſpaniâ, aliæ alibi innumeræ. In quibus magnâ curâ id agitur, vt priuilegia mercatoribus etiam extraneis conſeruentur, & quædam iuriſdictio concedatur.

Academiæ

Faciunt etiam non parum ad Rerump. magnitudinem Academiæ, & Scholæ, quas vulgò Vniuerſitates appellant, cùm in ijs cum applauſu diſciplinæ omnes explicantur. Nam tum à remotiſſimis etiam quibuſcumque viſitantur. Et plurimæ hodie ſunt in Galliâ, Germaniâ, Italiâ & alibi Vrbes, quæ antequam Academias haberent, obſcuræ iacebant, nunc verò ad eam magnitudinem ex ſolo ſtudioſæ iuuentutis concurſu peruenerunt, vt cum vrbibus præcipuis certent.

Palatia Regum.

Tandem adferunt magnitudinem Rebuſpublicis Palatia, Regumque Aulæ ſeu Principum habitatio: fit enim, vt ampliores exiſtant propter exteriorum Principum & Legatorum aduentum, item propter ſubditorum, quibus cum Principe res eſt, concurſum. Accedit, quod ædificijs ſplendidioribus exornentur, & ijs artibus affluant magis, quæ ad victum veſtitumq; neceſſariæ ſunt magis. Quippe abſentia Principis ab Vrbe ſuâ Regiâ incommodi plurimum adfert. Vnde Platina in vitâ Gregorij XI. *Quo tempore Pontifices*, inquit, *Româ relictâ Auenione annos plus minus ſeptuaginta habitarunt, Vrbem planè deſertam vndique corruere vidiſſes.* Vbi verò rediit Gregorius XI. aliam protinus faciem induiſſe apparuit. Honorius Imp. Româ relictâ Rauennæ ſedem Imperij conſtituit, ac confeſtim vrbs iſta maximis ædificiorum priuatorum publicorumque operibus, nec mediocribus ciuium opibus creuit. Eandem Valentinianus III. pro Imperij ſede habuit, cauſamque hanc attulit, vt omni monumentorum & armentorum genere inſigniretur. Dici idem poſſet de Conſtantinopoli, Lutetia Pariſiorum, Praga, & alijs. Quod verò de Regijs Palatijs, hoc de ſummo tribunali iudicandum. Hoc enim vbi eſt, eò, propter cauſarum forenſium multitudinem, quam plurimi confluant neceſſe eſt: quæ res immanem pecuniæ vim, immenſaſque vrbibus opes accumulant. Argumento eſt Iuriſconſultorum, Procuratorum, Scribarum numerus infinitus, qui ex tenui re ad opes ampliſſimas perueniunt. De Aduenis ſeu peregrinis lib. 3. dicendum.

Modus per nuptias.

Cæterum vt aliquid hic adijciamus, per affinitates & nuptias Imperia quoque amplificantur. Exemplo eſſe poteſt illuſtriſſima Domus Auſtriaca, quæ ad maximum ſuæ potentiæ incrementum per affinitates aſcendit. Primò enim Maximilianus Archidux cum Mariâ vxore, quæ erat Caroli Audacis filia, Belgium ſine bello accepit. Philippus deinde eius filius cum Ioannâ Ferdinandi & Iſabellæ filia Hiſpaniam & tot illi adiunctas Prouincias dotis nomine poſſedit. In quæ omnia cùm Carolus V. Philippi filius ſucceſſiſſet, Philippo Secundo filio ſuo reliquit, qui cognationis quoque & affinitatis Iure Luſitaniæ Regnum tanquam maternam hæreditatem ſibi vindicauit. Quæ profectò iuſtiſſima eſt augendæ potentiæ ratio, ſine metu ſecura, & ſine ſanguine decora.

Per adoptionem.

Addi poteſt modus per adoptionem, nec tantùm vt ſucceſſio quæratur ab eo, qui ſine imperio eſt, (quod ſæpiùs in Romano Imperio factum eſt) verum etiam, vt per eam nouus Principatus ad alium adijciatur. Ita cum Ludouicus Dux Andegauenſium à Ioanna Neapolitana adoptus eſſet, regnum Neapolitanum occupauit, vt refert Froſſardus lib. 2. Hiſt. Gall. & Bodinus lib. 6. de Rep. Ita cùm Margareta Danici ſanguinis vltima Regina Ericum Ducem Pomeraniæ ex nepte Mariâ prognatum cum Procerum conſenſu adoptaſſet, trium Daniæ, Succiæ, Nortwegiæ regnorum hæredem effecit, anno CIↃ. CCCC. VIII. vt Albertus Krantzius lib. X. Saxon. c. 26. & Daniæ cap. 1. Dauid Chytræus in Chronic. Saxon. lib. 4.

CAPVT IV.

An verò expediat tantum eſſe Reipublicæ alicuius augmentum.

GYgantea corporum moles varijs ac magnis non rarò malis agitatur, modica verò ſtatura ſæpè cum ſanitate eſt. Ita etiam magna illa Imperia vix vmquam ſine grandibus malis ſunt, & ipſa nimia magnitudo ſuis viribus tandem fatiſcit; parua autem & mediocria rarò aut ſerò concutiuntur vel deficiunt. Principem ſuum latè imperitare multi ſubditi non ferunt, atque eius potentiam, cùm poſſunt, impediunt. Nonnumquam etiam vni Prouinciæ alterius acceſſio tandem eſt exitioſa. Optimè conſtituta ſit ea Reſpublica, planeque purgata, quæ magni ſit capax augmenti, oportet, ne non commodo, ſed damno ſit incrementum. Itaque ſi aliquando, certè non ſemper, expedit Reipublicæ augmentum tantum, vt nimia eſſe potentia videatur. Multi Principes dum adiungere Prouinciam aliam ſuæ contenderunt, ſuam amiſerunt. Nec difficiliùs magna Imperia decreſcunt, quàm creuerunt. Si per Bellum fiat, plura profectò Belli impendia ſunt, quàm præmia; & quicquid bello acquiritur, aureo hamo capitur. Cùm iſta Reipublicæ amplitudo eſt, non de eius augendæ, ſed conſeruandæ ratione cogitandum eſt; & gubernare malle debent Principes, quàm occupare. Tuta quippè Prouincia eſt, quæ viribus ſuis modum imponit. Si iuſtæ tamen adſint augmenti cauſæ, prudens examinet Princeps, & maturo conſilio, quod expedit, conſtituat. Minora augmenta periculi tantum non habent. *Rempublicam augere expedit aliquando, non ſemper.*

Teſtimonia & Exempla.

PVlchrè & piè apud Senecam Albutius, *Aliquis etiam*, inquit, *magnitudinis eſt modus. Non procedit vltra ſpatia ſua cælum, Maria intra terminos ſuos agitantur. Quicquid ad ſummum venit, incremento non relinquit locum.*

Lucanns lib. 1.

In ſe magna ruunt, lætiſq; hunc Numina rebus
Creſcendi poſuère modum.

lib. 1. *Magnitudo mediocris imperium durabile magis reddit*, ait B. Saluianus lib. 5. de Gubernatione Dei. Et eodem ſenſu Boterus, *Nimia magnitudo ſuis ipſa viribus fatiſcit.* Et verò quarumdam Rerump. conditio non fert, vt extendantur. Et Hannibal ad Scipionem apud Liuium lib. XXX. *Optimum quidem fuerat, eam Patribus noſtris mentem à Dijs datam eſſe, vt & nos Italiæ, & vos Africæ, imperio contenti eſſemus. Neque enim, ne vobis quidem Sicilia, atque Sardinia ſatis digna præmia ſunt pro tot claſſibus, tot exercitibus, tot tamq; egregijs amiſſis Ducibus.* Quippe qui bello extendere Imperium contendunt, aureo hamo piſcari dicuntur, quod plura ſint belli impendia, quàm præmia.

Non potuit Romana Reſp. tantam ſuam amplitudinem retinere. Veneta ad ſimilem pertingere non potuit, etſi ciuilibus turbis minùs obnoxia. Adeò etiam metuunt Veneti ſuæ libertati, vt Senatores ſuos nimis potentes & externo bello illuſtres fieri nolint. Pulchrum Thomæ Mori conſilium eſt, lib. 1. Vtopiæ, *Populi*, inquit, *Achoriorum bello Regi ſuo regnum aliud, quod hæreditate ſibi deberi contendebat, obtinuerant. Vbi verò non minùs moleſtiæ in retinendo, quàm acquirendo ferre ſe animaduerterunt, ſemper eſſe rebellionem aliquam, dimitti milites numquam poſſe, ſuum ſanguinem ſe impendere, nec tutiorem eſſe pacem, mores verò corrumpi, & leges contemptui eſſe, inito conſilio Regi optionem fecerunt, vt vtrum vellet regnum retineret, vtrumque non licere, & plures ſe eſſe, quàm qui à dimidiato Rege gubernarentur. Ita Rex coactus eſt Regnum nouum amico, alicui dare, & antiquo contentus eſſe. Ea potentia* Exemplum.

Documentum.

tia tuta eſt, quæ viribus imponit modum. Valerius lib. 4. cap. 1. Quam ob cauſam Scipio non pro augendâ amplius, ſed pro conſeruandâ Rep. vota eſſe ſuſcipienda dicebat.

Quantò grandiora ſunt corporis humani membra, tantò maioribus agitantur malis. Vt omninò præſtet modicam ſtaturam cum ſanitate habere, quam Gygantæam cum perpetuis afflictionibus molem. Idem verò de Imperio iudicium eſt, quod de corpore. Cogitare Principes debent, *melius eſſe bene imperare, quam Imperium amplificare*, vt eſt ſymbolum Rodolphi primi Imperatoris.

CAPVT V.

Quomodo, quæ acquiſita ſunt, poſſint conſeruari.

Acquiſita Regna conſeruantur Beneuolentiâ.

ADamantina vincula, quibus quæ acquiſita ſunt Regna, continentur, timorem vireſque armatas eſſe Tyranni dicunt. Sed errant. Solida ac vera regnandi vincula ſunt Beneuolentia, Ciuiumque promptitudo & gratia; quæ etſi aſperis illis molliora ſint, validiora tamen ſunt & ad Imperij diuturnitatem. Itaque cùm alicuius vrbis vel Prouinciæ acceſſione aucta Reſpublica eſt, dare operam oportet, vt maiorem ſibi fauorem concilient noui occupatores, quàm Domini veteres habuerunt. Neque enim còrpora ſolùm, ſed & animi in poteſtatem ſunt redigendi.

Illa virtute acquiritur Iuſtitiâ.

Ea porrò Beneuolentia virtute acquiritur, ac potiſſimùm iuſtitiâ, tum pace etiam, & rerum abundantia. Iuſtitia vinculum eſt Reipublicæ, libertatem ſecundùm leges conſtituit, & quandam æqualitatem, quæ gratiſſima eſt, inducit, dum omnium in tuto fortunas locat, facinoroſos pœnâ mulctat, ius vniuerſis nullo perſonarum reſpectu impertitur.

Pace.

Pace nihil hominibus, præſertim bello afflictis gratius, quâ conſtante firmiter omnia conſiſtunt ac durant; eâdem ruptâ ac vacilliante, ruere in peius omnia neceſſe eſt.

Abundantia rerum.

Rerum abundantia mirum quantum homines afficiat. Quippè rerum omnium affluens copia facilem reddit victum, & vt obſcurorum hominum obloquia diſcordiæque ceſſent, facit. Nonnunquam è re Principis eſt Reip. formam immutare, & nouam conſtituere. Videat & cautè agat Princeps, ne odium pro amore conſequatur. Hactenus de Republica in genere.

Teſtimonia & documenta.

De Arte Amandi.

Notum illud ex Ouidio

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri,
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

Imò verò ſecundùm Claudianum

——*Plus eſt ſeruaſſe repertum, quam quæſiſſe nouum.*

VNde cùm Auguſtus Cæſar, teſte Suetonio, in eius vita, Alexandri magni res in Oriente geſtas legeret, admiratus fuit Alexandrum non magis cogitaſſe, quâ ratione viaque parta regna conſeruaret, & adminiſtraret, quàm quâ viâ partis alia adijceret. Profectò cùm ſit egregiæ virtutis Principatum acquirere, tum eſt diuinæ cuiuſdam potentiæ, retinere. Et cùm Imperij alicuius felicitas non magis magnitudine, quàm firmitate ſit æſtimanda, illud primò poſtremoque curandum eſt, vt acquiſitus Principatus formetur ſtabiliaturque. Dicere equidem ſolebat Dionyſius Tyrannus, *Duo eſſe adamantina regnorum vincula, timorem & vires armatas.* Sed cùm ipſe expertus ſit, non eſſe illa ad Imperij diuturnitatem valida, miſero & infelici exitu ſuo, tum rectè hic ſtatuitur, vt qui quæ parta ſunt, conſeruare vult, ſubditorum imprimis amorem ac beneuolentiam acquirat. Plus enim amor, quàm timor regnantibus prodeſt. Quippè quando Princeps timetur à populo, ei

Documentum.

inſi-

inſidias parat pro obſequio. Ea verò beneuolentia comparari hic per iuſtitiam, per pacem, per rerum omnium abundantiam dicitur.

Inde gloriabatur Alphonſus Aragoniæ Rex, *quod Iuſtitiâ bonis gratus eſſet, clementiâ verò etiam malis. Nec eſt quicquam tam peculiare Imperialis Maieſtatis, quàm humanitas ſiue clementia, per quam ſola Dei ſeruatur imitatio.* l. 23. in princ. Cod. de Nupt. Ideò in nouo & acquiſito Principatu nec multa ſimul, nec ardua ſtatim aut acerba ſunt imperanda, & ſeorſim quicquid expedit, eſt agendum. Documentum etiam eſt hac in re, non protinus auitam euellere Religionem, ſi aliam incolæ non nôrint, ſed paulatim lentâ & leui doctrinâ ad ſaniorem opinionem ducendi ſunt animi. Præterea ipſe Princeps ſit popularis. *Quippè omnes duci dexteritate malunt, quàm authoritate impelli.* Cauendum etiam, ne nouus populus ſubito impetu prematur ſpolieturque. In popularitate autem illa agricolarum & plebis habenda potiſſimum ratio eſt: ſunt enim maxima Reip. pars; quid autem ſint aut poſſint, ignorant. Deníque, vt vno omnia præcepto complectamur, Princeps erga Remp. nouam eo ſit animo, quo pater erga familiam, & ſubditi tamquam liberi illi obedire gaudeant.

Alia documenta.

De Monarchia ſeu Regno.

TITVLVS VI.

De poteſtate Regia, Quæ, & qualis.

CAPVT I.

Quis Monarcha ſeu Rex, & quomodo fiat.

QVEMADMODVM Monarchia vnius eſt Principatus, ita Monarcha eſt, qui ſolus eſt Princeps, ſummâ poteſtate Rempublicam adminiſtrans. Solet hic varijs nominibus cenſeri, Rex à Regendo, Princeps quaſi primum caput, Dux à Ducendo, Imperator ab Imperando. Nihil quippè intereſt, modò rerum omnium teneat poteſtatem, quo nomine tandem appelletur. Imperatores tamen & Reges dicuntur maiorum Prouinciarum, quæ Regni ius habent, Monarchæ; minorum Reguli Principum & Ducum Comitumque titulis inſigniuntur. Porrò Regem Regia poteſtas legitimè collata facit. Ea eſt facultas quædam Rempublicam vniuerſam ſeu ſubditos gubernandi legitimo modo collata. Neque enim qui Rempublicam vel vi, vel fraude, inuadit, Rex eſt, ſed tyrannus, & Regni vſurpator. Legitimus is verò Rex eſt, quem vel ſubditorum ſuffragia, vel ſucceſſionis iura ad ſupremam in Republica poteſtatem euexerunt. Vel ſanè quem iuſtus alius titulus dominum fecit.

Quis ſit Monarcha ſeu Rex.

Quæ regia poteſtas.

Teſtimonia & Authoritates.

QVID Monarcha ſeu Rex, quæue illum poteſtas conſtituat, hoc caput exponit. Qui ſummam Reip. poteſtatem ſolus tenet Monarcha eſt, etſi vario apud varias Gentes nomine cenſeatur. Romani Regem appellant; Hebræi Melech; Poëni Sufes; Græci βασιλεὺς; Turcæ Sultanum; alij Prytanem, Dictatorem, Imperatorem, Principem; alij denique alia nomina habent, quæ omnia vnam & ſupremam vnius poteſtatē ſignificant. Porrò *Principes Regeſq; electi ſunt*, ait Iſidorus, lib. 3. de ſummo bono cap. 47. *vt terrore ſuo*

Varia nomina Monarchæ.

Cauſa Regum conſtituendorum.

ſuo populos à malo coërcerent, atque ad rectè viuendum Regibus ſubderent. Ariſtoteles lib. 5. Polit. cap. 10. *Regnum in præſidium proborum bonorum contra iniurias popularium eſt conſtitutum, & Rex ipſe ex numero proborum virorum creatus eſt.*

Marius Salomonius lib. 3. de Principatu: *Principes ſolùm ad commoda populorum, quo facilius humanam atque ciuilem ſocietatem innocenter cuſtodirent, multis ſe beneficijs inuantesq; creati ſunt.* Vida lib. 2. de Reip. dignitate: *Imperium gentium initio delatum fuit ad vnum, iuſtum ſimul & ſapientem habitum, vt ille præeſſet cæteris, exiſteret vnus in Ciuitate iuſti & æqui cuſtos ac vindex, gereretq; vnius Ciuitatis perſonam, & communi vtilitati ſeruiens Ciues ſibi ſubiectos æquitate & fide defenderet, eſſetq; cæteris virtutibus ſpecimen.* Idem eſt Scriptorum aliorum ſenſus. Conſtituuntur autem Reges & ſupremam illam poteſtatem ſuam vel ſuffragijs eligentium accipiunt, vel naſcendi conditione, & ſanguinis iure, de quibus modis poſtea.

CAPVT II.

Quotuplex ſit Remp. adminiſtrandi poteſtas, item Monarchia.

Duplex gubernandi poteſtas. *Suprema.* *Subordinata.* *Monarchia duplex.*

EA verò ciuilis Monarcharum poteſtas, quâ Rempublicam adminiſtrant, vel ſuprema eſt, vel ſubordinata. Suprema eſt, quæ ſuperiorem non habet, & quam qui nactus eſt, neminem ſe Imperio maiorem ſua in Republica agnoſcit. Huiuſmodi eſt Imperatorum, Regum, nonnullorum etiam Principum, Ducum, Comitum, Ciuitatumque Liberarum. Subordinata eſt, quæ ſuperiorem habet, & quam qui obtinent, alium ſe maiorem, cuius Imperio ſubſint, agnoſcunt. Talis eſt Principum eorum ac Ducum, qui vel Imperatoris vel Regis alicuius aut Principis maioris Imperio ſunt obnoxij. Ipſa autem Monarchia, ſi gubernandi ius ſpectemus, in duas diſtribui formas poteſt, quarum vna Regalis dicatur, altera Dominica. Regalis eſt, cùm Monarcha ita Rempublicam ſua in poteſtate habet, vt tota ſit eius, ſubditi verò libertate & rerum ſuarum dominio fruentes ita legibus ipſis obtemperare tenentur, ſicut ipſe Dei & naturæ Imperium obſeruat. Hæc multis hodie in Regnis forma eſt, vbi Reges vel ſecundùm præſcriptas antè leges poſitaſque conſuetudines adminiſtrant, vel ſecundùm prudentiam ſuam rectæque rationis arbitrium imperant. Dominica eſt, cùm Monarcha populis ſibi ſubditis tamquam ſeruis aut militibus imperat. Quæ forma ſit pro ingenijs ſanè Barbarorum.

Regalis. *Dominica.*

Teſtimonia & Exempla.

MOnarchia gubernandi iure in Regalem & Dominicam diſtribui ſolet. Item in ſupremam & ſubordinatam. Vtraque hic deſcripta. Monarchia Regalis hodie in Galliâ eſt, cuius Rex omne omninò ius, pacis, fœderum, vectigalium, magiſtratuum, priuilegiorum, aliarumque omnium rerum habet. Adeò quicquid ei lubet, ferè licet; quicquid dicit, pro lege eſt: non plus tamen licere ſibi exiſtimat, quàm decet, & æquitas admittit. Quam ob cauſam ſuis omnibus gratus eſt, & in ſalutaria eorum conſilia pronus. Etſi dicere ſoleant, ſummam hanc & nullis legum repagulis coërcitam poteſtatem primò Ludouicum X I. inuexiſſe, qui iactitare ſolebat, ſe Regnum Galliæ quaſi ex tutela in plenam pubertatem Redigiſſe. Eadem poteſtate vtuntur Caſtellæ ſeu Hiſpaniæ Reges. Nam poſt Maurorum Arabumque inuaſionem & ſublatum ab hoſtibus Rodericum, qui ſupererant in Aſturiæ montibus Chriſtiani plenam in omnes & omnia poteſtatem arbitriumque liberum Pelagio viro ex Regio Gothorum ſanguine, optimo fortiſſimoque detulerunt, cuius poſteri etiamnum annos plus octogintos continuâ ſerie regnant. Tale etiam

Vbi regalis ſit Monarchia.

etiam Anglicanum Regnum eſſe Thomas Smithus lib. 2. de Rep. Anglorum cap 4. & 5. affirmat. Nec aliud eſſe Parlamentum in Angliá, quàm amplum Regis conſilium, quod cogere ipſe ſolet, vt vel leges abroget, vel condat, vel de publicá regni Regiſve vtilitate agat, ita tamen vt Maieſtati eius derogare, qui adſunt, omninò nihil poſſint. Idem teſtatur Oratio quædam habita à Sereniſſimo Angliæ Rege Iacobo V I. in Ordinum conuentu I X. Nouemb. CIↃ. IↃCV. Regiam etiam nunc in ſuos poteſtatem habet Magnus Hetruriæ Dux, & ad ſuum arbitrium Rmp. dirigit, vt Theſaurus Politicus atteſtatur. Quod attinet ad Monarchiam Dominicam, vt ea cognoſcatur dici ſolet, *quod Iura naturalia & Ciuilia benè gubernare boni Principis ſit, Ciuilia autem tollere ſit Domini*. Quo ex dicto manifeſtum eſt Dominum non tam honoris, quàm conditionis nomen eſſe. Quomodò Tiberius Imperator dicere ſolebat ſe eſſe Dominum ſeruorum; Imperatorem militum, Principem cæterorum, hoc eſt liberorum, vt teſtis eſt Diony. lib. 57. Hiſtor. Rom. Ipſe Auguſtus Cæſar Domini nomen tamquàm opprobrium ſemper exhorruit, ne aſſumpto hoc nomine, reliqui omnes ſerui eſſe viderentur, vt eſt apud Sueton. cap. 53. Quo ſenſu ſcribens ad Imperatorem Phocam Gregorius magnus *hoc intereſſe dicebat inter Reges Gentium, & Reip. Imperatores quod illi ſeruorum Domini ſint, Cæſares liberorum*. Dominica hæc Monarchia ferè ſemper apud Barbaros in vſu fuit, qui naturâ ſerui ſunt, & quibus eiuſmodi Imperium ſalubre eſt, nec aliud ipſi expetunt. Quod vt probet Chriſtophorus Beſoldus refert quod anno 1582. cum Stephanus, Poloniæ Rex ruſticos ex Liuoniâ euocauiſſet ſignificaſſetque ſe duræ illorum ſub Nobilibus conditionis miſereri, ac velle ipſos à plagis ac vulneribus vendicare, mitiſſimamque delinquentibus mulctam imponere, reſpondêre ſe conſuetudines ſuas antiquas mutari nolle, malleque dura omnia perpeti, quàm vt res nouæ introducantur, pati. Eiuſmodi Dominatus olim in Ægypto, & apud Perſis fuit, apud quos, vt teſtatur Barnabas Briſſonius lib. 1. de Regio Perſarum Principatu, Rex ſubditos omnes ſolâ exceptâ vxore pro ſeruis & mancipijs habebat; nec ipſi Regis fratres alios ſeſe dicebant. Quin imò qui flagellari ab eo iuſſus erat, beneficium agnoſcens, quod eius memor Rex fuiſſet, gratias agebat. Pari modo hodiè apud Turcas Sultanus omnium Dominus eſt, & mancipium ille, quiſquis ſubeſt. Tota etiam ferè Aſia, quicumque Principes ſunt, eiuſmodi domini ſunt.

De Dominica Monarchia.

Vbi illa fu.

CAPVT III.

A quo ſit Regia poteſtas.

Regia poteſtas à Deo eſt per hominum voluntatem.

REgia omnis Poteſtas Principatuſque à Deo eſt. Neque enim vlla Poteſtas eſt, Doctore gentium teſte, niſi à Deo. Quippè ab illo, tamquam altiſſimo, omnis eſt virtus, & per eum Reges regnant, legumque conditores iuſta decernunt. Reges & Principes, quantum quidem fas eſt, tamquam homines à Deo ſecundos colimus, & ſolo Deo in ciuili adminiſtratione minores. Nullum tamen diuina Maieſtas in regiæ Poteſtatis faſtigio collocat, niſi quem hominum conſentiens voluntas elegerit, aut approbarit. Vt quodammodò Reges à Deo hominibus dentur, ab hominibus recipiantur quâdam eorum electione, vel tacito in ſucceſſionem conſenſu. Illud certiſſimum; non humanis tantùm ſtudijs Regum conſtitutionem niti, ſed fato, & è cœlo ipſos dari.

Teſtimonia & Authoritates.

ITa Auctoritas diuina perſuadet. Diuus Paulus Gentium Doctor epiſt. ad Roman. cap. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo.* Vbi eum de Politicâ Principum poteſtate loqui Irenæus Baſilæus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, alijque ſcriptores ferè omnes veteres affirmant. D. Petrus

Teſtimonia ſacra.

epiſtola

epiſtola 1. cap. XI. *Subiecti eſtote omni humanæ Creaturæ propter Deum, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Regem honorificate.* D. Paulus ad Titum epiſtola. cap. 3. *Admone illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe.* Prouerb. VIII. cap. *Per me Reges regnant, & legum Conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt Iuſtitiam.* Apud Danielem cap. II. vbi de Nabuchodonoſore, *Deus cæli regnum & fortitudinem & Imperium dedit tibi.* Sapientiæ VI. cap. *Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſsimo.* Plura ſunt eiuſmodi in ſacris voluminibus loca, quæ Regiam poteſtatem ortum à Deo habere, iuſtamq; illam & legitimam eſſe manifeſtè declarant. Nec aliud indicant exempla apud Tobiam. cap. 1. & Danielem cap. 3. Admonitio apud Ieremiam cap. 38. reprehenſio Sedechię Regis Iuda II. Paralipom. vlt. Quæ omnia ſi confirmanda ſunt, aut certè potius auctoritatibus humanis explicanda eitandus imprimis eſt D. Auguſtinus lib. V. de Ciuit. Dei. cap. 21. *Non tribuamus,* inquit, *dandi Regni & Imperij poteſtatem niſi vero Deo, qui dat felicitatem in regno cælorum, non niſi ſolis pijs; regnum verò terrenum & pijs & impijs, ſicut ei placet, cui nihil iniuſtè placet. Ille igitur vnus, verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deſerit genus humanum, quando voluit Romanis regnum dedit, qui dedit Aſſyrijs, vel etiam Perſis; qui Mario, ipſe Caio Cæſari; qui Auguſto, ipſe & Neroni; qui Veſpaſianis, vel Patri vel filio ſuauiſsimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſsimo. Et ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Apoſtatæ Iuliano, cuius egregiam Indolem decepit amore dominandi ſacrilega, & deteſtanda curioſitas.* Atque hæc omnia cùm ita ſe habeant certum eſt teuereri vnumquemque Maieſtatem Regiam debere. Quam ob cauſam Tertullianus lib. de Idol. cap. 25. *Quod attinet*, inquit, *ad honores Regum vel Imperatorum ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio nos eſſe oportere, ſecundum Apoſtoli præceptum, ſubditos Magiſtratibus & Principibus, & Poteſtatibus.* Seleucus in Proœmio legum *Curſtos*, inquit, *oportet obedire legibus, Principes reuereri; & quod præcipitur facere; ſiquidem poſt Deos proximis honoribus afficiuntur parentes, leges, ac Principes.* Plutarchus in vitâ Themiſtoclis inducit Artabanum ita cum Themiſtocle loquentem. *Hoſpes, vobis propoſitum eſt libertatem atque æqualitatem maximè admirari; nobis verò, id eſt, Perſis, cùm multa atque pulcherrima ſint leges, illa omnium honeſtiſsima eſt, obſeruare Regem, ſimulachrumq; Dei omnia obſeruantis, adorare.* Adijciendum hic adhuc Thomæ Mori epigramma.

Teſtimonia profana.

De cultu Monarcharum.

Totum eſt vnus homo regnum, idque cohæret amore,
Rex caput eſt, populus cætera membra facit.
Rex quot habet Ciues (dolet ergo perdere quemquam)
Tot numerat partes corporis ipſe ſui.
Exponit Populus ſeſe pro Rege, putat que
Quilibet hunc proprij corporis eſſe caput.

Rex caput regni.

Cæterum ita Regiam Poteſtatem à Deo eſſe aſſerimus, vt illam tamen proximè per hominum voluntatem conferri ſtatuamus. Ita paſſim præſtantiſſimi Theologi enunciant, Caietanus Tractatu II. de Auctorit. Papæ. Driedo lib. 1. de libertate Chriſtiana. Franciſcus Victoria in relect. de Poteſtate Ciuili, Ludouicus Molina tom. 1. tractatu II. diſp. 21. Bellarminus, Zuarez, & alij. Ita etiam Iuriſconſulti tenent. Neque enim Deus quemquam ad Regiæ Maieſtatis faſtigium ſola ſua hominibus manifeſtata voluntate euehit, ſed Reip. interueniente conſenſu, quem approbat & firmat.

CAPVT IV.

Cuius ſit Iuris Regia Poteſtas.

Regia Poteſtas, Iuris eſt Naturæ Gentiumq;.

NAturæ Gentiumque iuris eſt. Illa Dux fuit, hæ conſpirauerunt, vt & regna conſtituerentur, & Reges crearentur, vt eſſent nimirum qui imperarent, & qui parerent. Quemadmodum enim Naturæ inſtinctu homines in Prouinciam aliquam vnam aut ciuitatem coiere, vt mutuis ſe auxilijs tuerentur, ita eodem ſe regendi gubernandique poteſtatem in vnum ex tota multitudine à ſe electum, de quo ſumma erat ſuſcepta animis opinio probitatis & prudentiæ, tranſtulerunt.

Expli-

Explicatio Regiæ poteſtatis.

ITa legimus in l. ex hoc Iure ff. de Iuſtitiâ & Iure. *Iure Gentium ſunt inſtituta Dominia, & regna conſtituta.* Quemadmodum autem Iure Gentium factum eſt, vt diſtincti eſſent in orbe Principatus, ita humanis legibus & iuri Ciuili abſcribendum eſt, quod hæc prouincia huius ſit aut illius Regis, quodque hoc regnum, aut Philippus, aut Ludouicus, aut alius adminiſtret. Porrò cùm in Regiâ Poteſtate imperandi rationem, & certam authoritatem certis finibus circumſcriptam agnoſcamus, fatendum eſt, illam imperandi rationem à Deo eſſe, qui tanquam Auctor naturæ, hominibus mentem indidit, quâ in Societate humanâ ſeſe alicui præſtantiori ſubmitterent, illique obtemperarent: authoritatem verò ab hominum voluntate pendere. Quæ quoniam pro Gentium diuerſitate diuerſiſſima eſt, ſit vt diuerſo quoque modo Reges imperent, aliter in Hiſpaniâ, aliter in Galliâ, aliter alibi. Et à Deo, & ab hominibus.

TITVLVS VII.

De Modis capeſſendi Regni, Succeſſione & Electione.

CAPVT I.

Qui ſint modi Regni capeſſendi.

PRISCIS temporibus, quem vnum ex tota Republica prudentiſſimum & iuſtiſſimum iudicabant, deque omnibus benè mereri poſſe ſperabant, ad illum Reipublicæ Imperium deferebant, Regemque ſibi conſtituebant. Procedente deinde tempore hoc genus poteſtatis filijs Regum mandari cœptum eſt, de quibus ſpes eſſet, non tantùm in Imperium, ſed in virtutes & præclara patrum facinora ſucceſſuros. Et id quidem apud multas hodie gentes moribus & conſuetudine receptum eſt, vt Regum filij Patribus in Imperium ſuccedant. Apud nonnullos Ordinum omnium voluntate Reges eliguntur, non naſcuntur. Itaque duo ſunt Regni capeſſendi modi, quos mos aut lex Gentium inuexit, Succeſſio & Electio. Succeſſio eſt, quâ Gentile Regnum eſt Principi è Principe nato. Electio verò, quâ Regnum per ſuffragia liberi populi confertur. Sunt & alij equidem modi, per Adoptionem, Per Donationem, per Emptionem, per Bellum, per quandam ſuperioris poteſtatis auctoritatem; item per Permutationem. Verùm hi rariores, & vix ſine Reipublicæ conſenſu, qui tacitæ inſtar Electionis eſt, niſi ſumma vis adſit. Vſitatum eſt vel eligi Reges, vel naſci. *Duo modi Regni capeſſendi. Succeſſio & Electio. Quid Succeſſio. Quid Electio. Alij modi.*

Ratio diuiſionis.

VARII hoc Capite capeſſendi Regni modi proponuntur. Per bellum, per emptionem, per Adoptionem, per modos alios, de quibus titulo quinto diximus. Moribus tamen gentium & conſuetudine duo recepti ſunt modi, per electionem & ſucceſſionem. Atque ita opus fuit, vt illa potentiæ cupido, *quæ vetus ac pridem inſita mortalibus eſt*, vt ait, Tacitus lib. 2.

Hiſto. quodam repagulo reprimeretur. *Natura enim mortalium auida Imperij eſt*, vt ait Saluſtius, in bello Iugurthino. Et verò ſi aliter regia hæc ad Principatum via pateret, incerta regnorum omnium conditio eſſet, & non rarò Principatuum eſſent Nundinationes, aut vis viam ſibi aperiret.

CAPVT II.

Quanam ſit præferenda, Electio, an Succeſſio.

Rationes pro Electione.

HEroicis illis temporibus, cùm virtutis aut roboris prærogatiua Principatus aſſignaretur, electio in vſu fuit. Per eam virtutibus campus aperitur, vt qui Principatus ſpe ducuntur, ad eas adſpirent. Capi etiam per eam optimi aptiſſimiq; poſſunt, & ætate ad regendum idoneâ, qui cùm potentiæ innutriti non fuerint, moderatiùs agunt, non ſuperbiunt; & cùm ad filios, niſi nouâ electione, tranſmittere Imperium non poſſint, ſubditorum fauori conciliando ſtudent, non eos opprimunt. Ac periculoſum ſanè videtur viam regnandi artem præceptorum pleniſſimam, ex cuius erratis Reipublicæ pernicies pendet, puero alicui tradere, qui hæreditatis iure hoc habet, vt regat. Deſpicit plerumque ciuium improbitas ſimplicem & inutilem adhuc ætatem. Vnde ex aliquando clades Regnis eueniunt, quæ multorum poſteà annorum felicitate vix reſarciuntur. Eapropter multæ Gentes lege & more Electionem tanquam optimam induxerunt.

Rationes pro Succeſſione. Et hæc præferenda.

Alij verò populi minore diſcrimine ſumere Principem malunt, quàm quærere, ſicque prauas aliorum ſpes cohibere, dum ſucceſſor non in incerto eſt. Itaque ſucceſſionem amant & retinent, tanquam pacatiorem, ſecuriorem, & ex Regum populorumque vſu. Nam vbi ſucceſſio eſt, nullum Interregnum eſt, ac nulla proinde competitio, nulla belli materia, ſicque Optimatum ambitus exarmatur. Vbi nati ſunt Reges Regno tanquam liberorum ſuorum patrimonio cum fide iucumbunt, & velut proprium bonum in filijs ac poſteris duraturum curant. Eorum filij, qui vt imperent, naſcuntur, ad regnandum à puero inſtituuntur, & grandius quiddam eorum ingenijs naturæ quâdam & diſciplinæ rectitudine ſingularique Dei beneficio inſinuatur. Vt non immeritò miremur eos citliùs alijs viros eſſe, altiora cogitare, maiorum ac parentum virtutem imitatione quâdam æmulari & referre. Et verò etiam adſtrictioris Imperij, reuerentiæ & obedientiæ eſt ſucceſſio, dum vitari aut differri ægrè vindicta poteſt, ſuccedente Patri filio Patris vltore. Et nunquid, cùm vna in familia regnandi fortuna conſenuit, ita Regum præteritorum reuerentia in poſteris viuit, vt etiam puerorum ad ſceptra purpuramque natorum cunas veneremur? Nemo ijs parere indignatur, quos tam citò ſcit Imperium, quàm lucem ſubire. Et ipſa conſuetudo, quæ altera velut natura eſt, ipſo vſu quaſi naturale reddit Imperium, & populus patrum Imperijs aſſuetus, filiorum ac nepotum Regna odiſſe non poteſt. Sanè ſi qui optimi ſunt, per electionem ad illum humanarum rerum verticem ſuffragijs attollerentur, nemo non electionem anteferret. At verò rara Electio eſt, quæ ſine priuato cuiuſque affectu reſpectiue fiat. Pecunia & corruptelæ ſæpè trahunt ſuffragia, & res promiſſis doniſque geritur. Quin imò, dum Electio expectatur, Regnum vacat interea, ac tum ſcelerum omnium eſt Regnum, nulla vis legum, nulla Iuſtitiæ auctoritas. Ipſi Optimates ſæpè, quem Regem fecerunt, deſpiciunt, vtpote ex ſuo ordine hominem, nec maiores liberos relicturum. Et huiuſmodi Rex, dum

dum obliuiſci primæ ſortis non poteſt, in quam recidere ſuos hæredes poſſe videt, propriori curâ ſubducitur à publicorum munerum ſedulitate, vt Regni Electores filio, aut cognatorum proximo conciliet: aut certè ita familiam ſuam Regni opibus explet, vt Regem ex ea fuiſſe omnes aliquando intelligant. Accedit, quod Rex perniciosâ plerumque indulgentiâ ita ſibi Optimates deuinciat, vt non ſuis tantùm peccatis Rempublicam lædat, ſed Optimatum etiam erroribus.

Teſtimonia & Exempla.

Teſtimonia pro Electione.

CONtendunt varijs hic opinionibus Politici. Pro Electione rationes firmæ, nec infirmæ pro Succeſſione ſunt. Eas quia hic ferè omnes vtrimque repræſentamus, dabimus auctoritates tantùm & exempla. Pro Electione Plinius in Panegyrico, *Imperaturum omnibus ligi debere ex omnibus*, ait. Nam, vt ait Tacitus lib. 1. Hiſt. *optimum quemque electio inueniet*. Vnde Alexander Magnus interrogatus ſub vitæ finem, quem Imperij faceret hæredem, nec filium Herculem, nec fratrem Aridæum, nec alium quempiam ſucceſſorem ſibi deſignauit, *ſed digniſſimum*, reſpondit, vt eſt apud Iuſtinum lib. 12. Quippe, vt ſcribit D. Hieronymus, *Principatus in populos non ſanguini, ſed vitæ deferendus eſt.*

Non equidem Regum aut Principum filij contemnendi ſunt, ſed, vt ait Tacitus lib. 1. Hiſtoriarum, *Naſci & generari à Principibus fortuitum, nec vltra æſtimatur.* Hinc Conradus primus Imp. ex admiratione virtutis & ſapientiæ Henrici Aucupis, etſi inimici, ad eum faſces Imperij deferri iuſſit, teſte Carione in vitâ Conradi. Qui electus eſt, arctioribus conſtringi legibus, quæ Regni fundamentales ſint, poteſt: vt minus proinde audeat aduerſus regni vtilitatem aut libertatem. Imperium Germanico-Romanum liberâ electione defertur. *Iuris namque Imperij apex eſt*, inquit Ottho Friſingenſis, *Non per ſanguinis propaginem deſcendere, ſed per Principum electionem Reges creari.*

Exempla pro Electione.

Bohemi vi Aureæ Bullæ, & ex quodam Priuilegio electionem ſibi vindicare voluerunt, ſed ſucceſſionem ſibi Auſtriæ Archiduces ſuo iure ſibi retinent. Poloniæ electiuum eſt Regnum; Daniæ etiam non ita pridem tale; & pro electione diu Hungari contenderunt. Quin imò ſuprema illa Pontificatus Romani dignitas electione liberrimâ defertur. Priſcis verò temporibus Carthaginenſes & alij plures populi electione ſunt vſi.

Teſtimonia pro Succeſſione.

Pro Succeſſione eſt illud Taciti II. Hiſt. *Minore diſcrimine ſumi Principem, quàm quæri.* Sed imprimis diuina auctoritas Deuteron. cap. 17. ſucceſſionis legem ſanxit, *vt longo tempore regnet ipſe Rex, & filius eius.* Refert Thucydides antiquiſſimus Scriptor, ſumma illa Regna Aſſyriorum, Medorum, Tyriorum, Perſarum, Ægyptiorum, Hebræorum, Lacedæmoniorum, Macedonum, Epirotarum, Sycioniorum, Celtarum, Athenienſium, ac plura etiam alia per ſucceſſionem delata olim fuiſſe. Quam etiam formam hodiè tenent Turcæ, Indi, Africani, Tartari, Arabes, Æthiopes, Moſchouitæ, Galli, Hiſpani, Angli, Scoti. Quin imò populi illi, qui Reges eligunt, demortuorum Regum filijs eam concedunt prærogatiuam, vt cùm habiles & idonei exiſtunt cæteris præferantur, ſi que ſucceſſionis beneficio bellorum ciuilium ſtirpes elidantur. Vnde fit, vt quibuſdam in Regnis voti reſtricti electio ſit, non abſimilis ſucceſſioni; quod de Suecicæ Regno Olaus Magnus lib. 8. Hiſtor. Septemt. refert. Anno enim CIƆ. IƆXXVII. vt teſtis eſt Chytræus in Saxon. lib. 15. Guſtauus primus non ſolùm in Erici præſentia quieti honorique patriæ conſuluit, verùm ad omnem poſteritatem ſaluti & tranquillitati totius Regni vagam illam ancipitemque & turbis ac ſeditionibus obnoxiam eligendi rationem adſtrinxit, & ad familiam vnicam ſucceſſionis ius alligauit. Poſtea verò Guſtauus Secundus ſucceſſorium fecit Regnum.

Exempla pro Succeſſione.

Fundamentum firmiſſimum eſt apud Tacitum lib 4. Annalium, *Neque*, inquit, *aut claſſes, aut legiones perinde firma Imperij munimenta, atque filiorum, qui in eodem ſuccedunt, copia eſſe ſolet.* Vulgatum eſt iam illud, *Nouus Rex noua lex*, quod intelligi de electo Rege debet; nam vbi parenti filius ſuccedit, Rex idem quodammodo eſſe videtur: quo ſenſu Franciæ Cancellarius Franciæ Regem nunquam mori dicebat. Ipſi electi Reges omnem ad Principatum viam liberis ſuis, quantum eſt in ſe, muniunt, & vt obtineant, multùm aliquando Regni potentiam diminuunt.

Hinc Carolus IV. cum Wenceſlaum filium euchere ad Imperium contenderet, laborantibus etiam pro eo Pontifice Romano Cardinalibuſque, nec tamen elicere Principum ſuffragia poſſet, omnia eis Imperij vectigalia anno CIↃ. CCC. LXXVI. conceſſit eſt vt teſtis, in Caroli vitâ Criſpinianus; item Carion. Quàm autem periculoſum ſit interregnum nemo neſcit. Tum enim ſine Gubernatore fluctuat & periclitatur Reip. nauis. Ante Rodolphum primum Haſpurgenſem per annos amplius octodecim ſine Cæſare Imperium fuit, tuncque interregni tempore Richardus Cornubiæ Princeps Ioannis Anglorum Regis filius, & Alphonſus Caſtellæ Rex, diſſentientibus ſeptẽ virorum ſententijs ſunt electi, quorum hic cum recuſauiſſet, & à potiore Electorum parte alter reprobaretur, vaſtata miſeris cladibus eſt Germania. Eodem in Imperio cum anno CIↃ. CCC. XXXXVI. electi eſſent Eduardus Angliæ Rex, Fridericus Marchio Miſniæ, Guntherus Comes Swartzemburgenſis contra Carolum IV. Ioannis Bohemiæ Regis filium, duobus Imperium detrectantibus, & tertio per venenum ſublato Carolus tandem Imperio per largitiones eſt potitus, vt refert Onuphrius in tractatu de Comitijs Imperatorijs, cap. 12. Non deſunt alijs in Regnis exempla, quæ ſatis manifeſtè declarant, nihil eſſe Reip. melius, quàm certum habere ſucceſſorem.

CAPVT III.

Quid ſi infans ſit, qui ſuccedere debet.

Si Rex infans, Mater ad Regimen admouenda.

SI puer aut infans ſit, qui in Regis Patris ſuccedere ſolium debet, & purpuram induere, matri Reginæ, ſi ea viuat, concedendum eſt ad tempus regimen, adiuncto ei prudenti aliquo Senatu. Detur etiam Regi puero tutor ante pubertatem, & poſt pubertatis annos Curator. Periculum eſſe non poteſt, vbi prudens adminiſtrat Senatus, & Reginæ auctoritas teneram ætatem defendit.

Exemplum vnum.

ITa receptum in Franciæ Regno eſt, vt cum primogenitus eſt impubes nec è pueris adhuc exceſſit, eius Mater, ſi viuat, Regentis titulo ad gubernacula admoueatur & pueri vices gerat. Sic enim incommoda quàm plurima vitantur. Et omninò matrem, quam Proceres, ſubſtitui præſtat. Inter hos enim vix deeſſe factiones poſſunt, & ſi vnus tantùm conſtituatur, cæteri offendentur, ipſeque ſuas fortaſſis opes cogitabit.

CAPVT IV.

Quibuſnam per ſucceſſionem ius acquiratur.

Legitimi liberi ſuccedunt.

LEgitimis Regum liberis ius eſt ad coronam. Hic gentium omnium eſt conſenſus, & ipſius naturæ ius. Vnde magna cura Principibus ſit, ne quæ alieni thori proles ſupponatur. Vt non fiat, parientibus in conclaui Reginis Principes ſanguinis fœminæ adeſſe, vt plurimùm, ſolent.

Non Spurij.

Spurijs nullum eſt ius ad Regnum, nec in tantùm Regia ſtirps illis ſauet, quos Ius, & populorum exempla reijciunt. Electi aliquando Regnum obtinuerunt, non ſtirpis iure. Nec dubium, quin poſſint, ſi legitimi deſint, & ſingulari indole præſtent, modò natalibus reſtituantur, & legitimos Principis auctoritas efficiat. Rarum id tamen ſit, & ſaluâ Gentis lege moreque.

Exempla

Exempla varia huius rei.

SVcceſſio, vt hic aſſeritur legitimis liberis, non Spurijs ius dat ad coronam. Quâ in re gentium omnium eſt conſenſus. Ne fraus autem ſubeſſet cautio ſæpè adhibita. Anno CIↃ.IↃCI. XXVII. Septemb. pariente Mariâ Mediceâ Reginâ Henrici IV. coniuge aſſuerunt in conclaui puerperæ ſanguinis Principes, cum natus eſt Ludouicus XIII. qui nuper regnabat. Ita refert Petrus Matthæus Hiſtoriæ Henticianæ tom. 1. lib. 4. vbi addit ita fieri ſemper ſolere, & id lege Salicâ mandari. Eodem modo cùm Conſtantia Regina Neapolitana vxor Henrici Imperatoris anno 1234. vterum, quanquam quinquagenaria maior ferret, vbi pariendi tempus adfuit, ne quis fucum aut fraudem ſuſpectaret, expanſum eſt medio in foro tentorium, & facta Nobilibus fœminis veniendi poteſtas, coram quibus peperit Regina Fredericum. Ita refert Lipſius lib. 2. Monit. Polit. cap. 4. Et ibidem de Oginâ Luxemburgicâ Balduini Pulchro-barbi Flandriæ Comitis coniuge, quæ cùm quinquagenaria grauida eſſet facta, reſque eſſet multis ſuſpecta, erectum eſt Comitis iuſſu in medio Attrebatium foro tabernaculum, in quo multis præſentibus honeſto loco natis fœminis peperit illa, quæ ſterilis antea credebatur. Dublauius lib. 23. idem religioſè ſeruatum in Hungariâ ſcribit, dum Anna Vladiſlai vxor Ludouici mater eniteretur.

Exempla de Spurijs.

Quod attinet ad Spurios. Lex eſt imprimis cap. XXIII. Deut. *Non ingredietur Mamzer, hoc eſt, de Scorto natus, in Eccleſiam Domini, vſque ad decimam generationem.* Deinde iure Canonico & Ciuili, à dignitatibus & beneficijs officijſque repelluntur. Cap. cum cunctis, Cap. innotauit; Cap. vt filij &c. L. generaliter. §. ſpurios L. Spurij ff. de decurionibus. Apud Spartanos Ariſto Rex Demarathum filium tãquam Spuriũ repulit, vt eſt apud Suidam. Apud Heredotum lib. 3. lex iſta eſt, *Ne filio ſuperſtite legitimo regnet Nothus.* In regno Galliæ tempore Caroli Magni ea lata lex eſt. *Ne in poſterum in regno Gallorum Spurij filij, etiamſi eos Pater vt filios agnouerit, ſuccedant.* Idem obtinuit in Regno Suecorũ Gothorum, Noruegiorum. Agis Rex Lacedæmoniorum Leotychidam tanquam Spurium pro ſuo agnoſcere noluit, quod cum Timæâ eius Matre conſuetudinem habuiſſe Alcibiades videretur, vt eſt apud Plutarchum in Ageſilao. Et in Flandriâ, vt auctor eſt Paulus Æmilius lib. 8. Hiſtor. Francorum. Ioannes & Balduinus filij Spurij Margaritæ Flandriæ Comitis à ſucceſſione ſunt repulſi. Vulgò hæc cauſa eſt, quod Spurij ferè ſemper nequam & improbi fiant, nec exempla deſunt. In Macedoniâ Perſeus Philippi Regis Spurius legitimo filio Demetrio per calumnias circumuento & necato regnum occupauit. Teſte Plutarcho in Paulo Æmilio. Idem fecit Iugurtha Spurius Micipſæ Regis occiſo Hiempſale, & expulſo adherbale legitimis filijs, vt teſtis eſt Saluſtius in bello Iugurth. Phraates Spurius Orodis Regis Parthorum patrem ſenem & XXX. fratres, vt ſolus imperaret, interfecit. Ita Iuſtinus lib. 42. Apud eoſdem Parthos Phraates Spurius Mithridatis Regis patre occultè interempto regnauit. Vt recentiora tempora videamus Henricus II. Alphonſi XI. Hiſpaniarum Regis Spurius Petrum fratrem legitimum poſt Patris mortem iugulauit, regnoq́ue potitus eſt, vt fidem faciunt Annales Hiſpaniæ, & Ritius lib. 3. de Regib. Hiſpan. Item Iacobus Spurius Ioannis Regis Cypri vocatis in auxilium Paganis Carlotæ filiæ legitimæ regnum ademit. Teſte Bonfiniu, lib. 8. Decadis 3. Narrat Cuſpinianus de Manfredo Frederici ſecundi Imperatoris Spurio, quod Patrem ex graui morbo conualeſcentem & in Appuliam mouentem, ſuffocarit, quia inſtitutum ab eo hæredem Conrardum fratrem acceperat. Ita Spuriorum ingenia plerumq; ad quoduis facinus ſunt parata, & audaciam inſignem habent. Hi profectò ſi pari Iure cum alijs regnare poſſent, propoſitum eſſet pro Maieſtate turpitudinis exemplum, & Regiæ impudicitiæ memoria ſubditorum animos perpetuò commoueret. Regnauerunt tamen aliquando; qui Spurij natalibus erant, vt Iepthe apud Iudæos; Iudicum. XI. Arnulphus Imperator Spurius Carolomanni Regis Boiorum, teſte Ioanne Magno lib. 9. rerum Septemt. Lamuſius Rex Longobardorum poſt Agelmundum, cùm eius mater publicè quæſtum corporis ſui proſtitutione feciſſet, teſte Fulgoſio lib. 3. cap. 4. Haraldus Rex Daniæ Spurius Suenonis ſecundi, teſte Saxone Gram. lib. 2. Gillus Rex Scotiæ Spurius Oueni teſte Ioanne Leſlæo, lib. 2. rerum Scoticarum. In Caſtellâ Henricus cognomine notus, vt

Spurij pleruṁque nequam

Spurij aliquando Reges.

teſtes ſunt Annales Hiſp. & Ioannes Mariana lib. 1. de Regis inſtitutione. Qui omnes & plures alij aut vi aliquâ, aut propter ſingularem virtutem ad tegna peruenerunt. Nihil hâc in re tamen facilè contra patriæ morem & leges faciendum eſt; nec omninò facilè eligendi ſunt Spurij.

CAPVT V.

Quis præferri in ſucceßione debeat?

Primogenitus. Regnum, quod ſtirpis & ſanguinis iure defertur, Primogenito debetur. Sic exigit natura, & lex Gentium, quæ in Patris locum & opes Primogenitum reponit. Adeò ſi gemini ſint eodem partu nati, qui primus lucem aſpexit, naſcendo ius ad purpuram ac ſceptrum acquiſiuit.

Authoritates & Exempla.

Naturæ & Gentium lege Primogenito regnum deberi hic aſſeritur. Hoc enim ætatis priuilegium eſt, hic ordo naſcendi. De hac ſucceſſione lex fuit apud Lacedæmonios teſte Plutarcho in Archeſilao: apud Parthos teſte Iuſtino lib. 41. apud Macedones teſte Diodoro lib. 16. *Exempla Gentium.* apud Gothos teſte Ioanne Magno lib. 16. Et quondam apud Polonos teſte Martino Cromero lib. II. Apud Athenienſes, Meſſenios, Epirotas, Spartanos, vt videre eſt apud Pauſaniam lib. 1. Item apud Ægyptios. Hodie idem perpetuâ lege obſeruatur in Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, Dania & alibi: hinc Artabaſanes apud Iuſtinum lib. 2. Darij Maximus natu filius ætatis priuilegio regnum ſibi vendicat, quod ius & ordo naſcendi & natura ipſa Gentibus dedit. Et apud Liuium lib. XL. Perſeus Demetrij Regis natu maior filius, ita fratrem ſuum Demetrium vitæ ſuæ inſidiantem, vt in regno ſuccederet, apud Patrem accuſat. *Frater*, inquit, *non commeſſantium more inuicem iam diu viuimus, inter nos regnare vtique vis, huic Spei tuæ obſtat ætas mea, obſtat Gentium ius, obſtat vetuſtus Macedoniæ mos, obſtat etiam Patris iudicium. Huc tranſcendere niſi per meum ſanguinem non potes.* Sunt qui contra hoc ius primogenito debitum egerunt *Contraria exempla.* aliquando. Dauid Salomoni minimo omnium filio regnum detulit, ſed hoc ille exemplum non ſine inſtinctu afflatuque diuino reliquit. Alij priuatis affectibus indulſerunt, ac malo ferè ſemper euentu. Ita Ptolomæus Rex Lagi filius cùm minorem filium rupto Gentium iure regno impoſuiſſet, violata naturæ iura mox vidit; nam alter fatrem ſuum parricidio ſuſtulit. Ita cum Ptolomæus Phyſco vxoris blanditijs inductus iuniorem filium ſuum ſeniori antepoſuiſſet, ſenior ſceptrum recepit, & iuniorem in exilium egit. Ita Ludouicus Pius Caroli Magni filius, cùm vxoris Iudithæ ſuaſu Carolum minorem Ludouico ſeniori prætuliſſet, bellum in ſe motum, & arma ſumpta ſenſit. Fatendum equidem eſt, quod ſi inſignis ſit in Patrem primogeniti impietas, fas ſit Patri illum à ſceptro remouere. Philippus ſecundus, Carolum primogenitum ſuum & tot in Hiſpania Indijſque regnorum ſucceſſorem futurum non deſiderauit, quod in Patrem videretur impius. Ita fecit Ioannes Aragonius Rex, qui ſublato etiam propter impietatem Carolo. 1. genito ſuo ad Ferdinandum iuniorem regni faſces detulit. De quibus omnibus paſſim regnorum Annales fidem faciunt. Aliàs nihil facilè in ordine ſucceſſionis immutandum: neque enim id ſubditi facilè admittunt. Vnde cum anno CIↃ. XC.V. Vladiſlaus Rex Hungariæ Colomannum fatrem ſuum ſacris initiari curauiſſet, & Pariſios ablegauiſſet, intereà verò in ſpem regni Almum ex fratre nepotem adoptauiſſet, vbi obijt, Hungari Colomannum reuocauerunt, & cum Romani Pontificis venia Regem maritumque fecerunt, hominem tamen ſtaturâ puſillum, lingua balbum, oculo luſcum, pede claudum, dorſo gibboſum, vt eum Lipſius 2. Monit, cap. 4. deſcribit.

CA-

CAPVT VI.

An ſi primogenitus ſit inſanus ius ad Regnum retineat?

SI natura ſit inſanus, ac ſuæ non compos mentis, nullum ipſi ad Regnum naſcendi conditio ius confert. Iure enim Rex eſſe non poteſt, qui regere alios ac ſeipſum mentis defectu non poteſt. Itaque tum ad ſecundò genitum regnandi ius ſpectat, & vbi naturæ Parens concedit, deferenda huic purpura eſt. Id poſtulat Reipublicæ ſalus. Quod ſi morbus mentis impotem reddiderit, & ad tempus inſania ſit, adiutore aliquo idoneo ſubleuandus eſt, non iure ſuo deſtituendus, potiſſimùm ſi iam in ſolio ſit Patris. *Ad ſecundò genitum ius ſpectat.*

Explicatio & Exempla.

NAtura ſemper inhabilis fratri cedit, inquit, Baldus l. hoc amplius. Cod. de Secund. Nupt. Itaque rectè hic aſſeritur, quod ſi naturà & perpetuò ſit inhabilis primogenitus, regnum ad ſecundogenitum tranſeat. Neque enim regnum priuata hæreditas eſt, aut vt talis, quæ auferri publicà poſtulante ſalute non poſſit, transfertur. Quæ priuata hæreditas eſt, tolli propter inſaniam ſeu delirium non poteſt; poteſt quæ publica eſt. Qui caſu vel morbo inhabilis fit, Rex eſſe non deſinit. Sic Cleomenes Spartanorum Rex priuatus regno non eſt, cum in regno factus eſſet inſanus, vt teſtatur Herodotus lib. 6. Neque etiam cum factus amens eſſet Gallorum Rex Carolus VI. cuius patruus Regnum tum ſibi commiſſum adminiſtrauit. Pari modo cum Ozias Rex Iudæorum leprà diuinitus percuſſus eſſet, regnum retinuit, ſed illud per filium adiutorem gubernauit, vt videre eſt lib. 4. Regum cap. 15.

CAPVT VII.

Quid ſi Ordinibus ſit ſacris initiatus, vel Religionis alicuius votis & Sacramento obſtrictus?

SAcerdos & quicunque ſacris initiatus eſt Ordinibus iure in Regem poteſt inaugurari. Nullum quippè ius vetat, & exempla non deſunt magno Gentium conſenſu. Obſtare aliquando peculiare Gentis inſtitutum poteſt. At qui perpetuæ obedientiæ Sacramento ligatus libertatem ſuam alteri obſtrinxit, & in Ordinis alicuius ſacri Regulam iurauit, quodque debuit, iurato animo vouit, ac veſtem commutauit, ſuccedere in Regnum ampliùs non poteſt. Poteſt tamen ſi votis eum & Sacramento ſummus Sacrorum Rex Romanus Pontifex abſoluat, ac priſtinæ libertati reſtituat. Celebria ſunt exempla, & quod ille fecit, iure feciſſe credendum eſt. Summa eius quippè Poteſtas erroris eſt expers, & Fata, quod factum eſt, felici ſucceſſu approbarunt. *Sacerdos fieri Rex poteſt. Non Religioſus niſi votis abſolutus.*

Exempla varia de Sacerdotibus & Religioſis.

DE Sacerdotibus hic aſſeritur, non item de voto obſtrictis alicui Religioſo ordini viris, niſi venia, à Pontificum maximo ſit. Pro Sacerdotibus exemplum eſt illuſtre in Henrico I. Luſitaniæ Rege, qui cæſo in Africa Sebaſtiano, *Sacerdotes Reges.*

cum Cardinalis & Archiepiſcopus eſſet, ad ſceptrum ſuo iure peruenit. Quippè *Clericatu in perſonâ ſacrâ ius ſucceſſionis regiæ non antiquatur*, vt ait Martinus Landenſis q. XXX. de Primogenitis. Eodem modo Colomannus Hungariæ Rex ſacris ordinibus initiatus, vt ſupra retulimus, Rex eſt factus. Fieri idem alibi poteſt, ſi Gentium inſtituta non obſtent. Pro Religioſis varia extant exempla. Caſimirus qui ordinem Diui Benedicti ad Cluniacum profeſſus & Diaconatus vinculo obſtrictus erat, authoritate Romani Pontificis abſolutus eſt, & Poloniæ Proceribus petentibus redditus regnum accepit, pièque viuens ac iuſtè regnans liberos ex ſe genitos reliquit. Ita teſtatur Mart. Cromerus lib. 4. & Baronius Anno CIↃ. XL. Nicolaus Venetorum Dux antea apud Monachos D. Nicolai profeſſus fuerat; ſed Alexandro III. Pontifice permittente Vitalis Ducis filiam Annam vxorem duxit, ſuſceptiſque ex eâ ſex filijs ac filiabus tribus (reparandæ quippè ſobolis causâ ſolutus vinculo religionis fuerat) ad religioſum ordinem reuerſus eſt. Legere fas eſt apud Surium, & auctor eſt qui vitam ſcripſit B. Laurentij Iuſtiniani. Ramirus Aragoniæ Rex cum monachus & Abbas annis XL. in Fomerienſi Cœnobio fuiſſet Romano relaxante Pontifice purpurâ & regio ſceptro ornatus vxorem duxit, & ex eâ filiam ſuſcepit, vt ſcribit Sanchez lib. 7. de matrimonio Diſp. XXVI. Nolumus autem hic, quæ hac de re Theologi curioſius diſputant, attingere; quod factum eſt, aut fieri poteſt, confirmamus.

Religioſi Reges.

CAPVT VIII.

An Pontificis Romani authoritate inſtitui creariq́ Reges ac Duces poßint.

Pontifex Reges inſtituere poteſt.

SVmmi Sacerdotis hac in re poteſtatem ratio aſſerit. Euentum Hiſtoriæ docent. Adeòque quod ſummâ illius authoritate factum eſt aliquando, fieri poteſt, nec ambigendum. Adſint idoneæ cauſæ oportet. Vt ſi feudum Romanæ ſit Eccleſiæ, ſi Prouincia Pontifici vltrò oblata, iuſque Regium cum titulo poſtulatum; ſi Regio aliqua libertate ſuâ fruens Chriſtianorum religionem, ritus, & ſacra complectatur. Aliæ eſſe plures poſſunt.

Exempla Regum à Pontifice Max. Inſtitutorum.

SVmmâ ſuâ authoritate non ſemel Romanus Pontifex Regem aliquem aut Ducem inſtituit. Fidem Hiſtoriæ faciunt. Carolus Magnus Franciæ Rex à Leone III. Pontifice Occidentale Imperium accepit, & primus Occidentis Imperator accepto Auſtrali Diademate eſt factus, eiuſque Imperij ſucceſſio etiamnum perdurat. Idem Pontifex eodem tempore, Pipinum Caroli filium Italiæ Regem creauit & coronauit. Ita teſtantur Platina, Onuphrius, & qui alij Pontificis huius vitam ſcribunt. Item Scriptores vitæ Caroli Magni, Carion, Cuſpinianus. Anno CIↃ. I. cùm Hungaria Regem non haberet, Stephanus Regalem dignitatem à Sergio Romano Pontifice obtinuit, teſtes ſunt, Albertus Crantzius lib. 2. cap. 18. & Bonfinius decad. 2. lib. 1. Venceſlaus Dux à Ioanne vigeſimo ſecundo, vt teſtis eſt Crommerus in Hiſtoria ſuâ, Poloniæ Rex eſt creatus, anno 1076. Demetrius Ruſſorum ſeu Ruthenorum Rex primus à Gregorio ſeptimo declaratus eſt, anno 1080. Edgarus primus Rex Scotorum ab Vrbano ſecundo renuntiatus eſt. Anno 1012 Alphonſus primus Luſitaniæ ſeu Portugalliæ Rex beneficio Eugenij tertij inauguratus eſt. Ita teſtantur Annales regnorum iſtorum, & vitæ Pontificum. Innocentius tertius Hieroſolymorum Regem creauit Ioannem de Pregna, vel vt alij, Brenna, qui Viennæ Allobrogum Princeps erat. Præceſſerant quidem alij, Godefridus Lotharingiæ Dux, &

In Imperio.

In Hungaria.

Polonia.

Scotia.

Luſitania.

Hieroſolyma.

Bal-

Balduinus eius poſteri ab exercitu Chriſtiano Reges electi, ſed vix ad quartam aut quintam generationem regnarunt, teſte Blondo decad. 2. lib. 6. Mindaco Lithuanorum Duci anno CIↃ. CC. X. ab Innocentio IV. regium nomen impertitum eſt apud Cromerũ lib. 8. Magni Duces Moſcouiæ & Hetruriæ ſæpè in hunc vſque diem pro regali dignitate apud Sedem Apoſtolicam contenderunt. Et quidem Coſmum Medicem Florentiæ Principem Pius V. ſolemnibus ceremonijs Hetruriæ Magnum Ducem inaugurauit, quantumuis Maximilianus Secundus Imperator, & Philippus Secundus Hiſpaniæ Rex, alijque reniterentur, vt habet Ioannes Baptiſta Hadrianus lib. 20. & 21. De hàc re totâ vide Thomam Stapletonium lib. 2. de Magnitudine Eccleſiæ Romanæ cap. 1.

Lituania.

CAPVT IX.

An in ſucceſſione ſufficiat ſummi Principis primogenitum eſſe.

SIne iuris naturalis ac ſanguinis præiudicio inaugurari Princeps patrio ſolemniqúe ritu debet, vt & iuramentum patriæ totique Regno præſtet, & à populo tacito quodam conſenſu, qui feſtis ac fauſtis acclamationibus ſe prodit, recipiatur, cæteraque in publicis fieri ſolita inaugurationibus, obſeruentur. Quem enim ita populus recipit, quodammodo eligit, & obligatio Principis pignus eſt ſecuritatis. Nec facilè ab hoc more recedendum, ne non tam regius hæres veniſſe, quàm inuaſiſſe videatur.

Requiritur etiam inauguratio ſolemnis.

Deſignati varij præſules, qui Reges inungunt.

OMitti inaurationis ceremoniæ non debent. Ideò ſedis Apoſtolicæ auctoritate conſtituti ſunt certi Antiſtites, qui Reges inungunt, & certâ verborum formulâ alijſque ceremonijs vtuntur. Rex Franciæ inungitur ab Archiepiſcopo Rhemenſi ex inſtitutione Hormiſdæ Pontificis. Rex Angliæ ab Archiepiſcopo Cantuarienſi ex Adriani tertij priuilegio. Rex Scotiæ ab Archiepiſcopo. S. Andreæ de conceſſione Vrbani ſecundi. Rex Germaniæ ab Archiepiſcopo Moguntino, Rex Poloniæ à Gneſnenſi, Bohemiæ à Pragenſi, Hungariæ ab Albæ-Regalis, Sueciæ ab Vſpalenſi, Daniæ à Londenſi Epiſcopo; alij ab alijs in Reges inunguntur & coronantur, vt earum omnium Gentium Scriptores, Dubrauius, Cromerus, Bonfinius, Ioannes Magnus, & alij memoriæ prodiderunt. Non eſt autem huius inſtituti ſingularum Gentium ceremonias in ſolemnibus inaugurationibus obſeruari ſolitas referre. Videri illæ & cognoſci ex Hiſtoricis poſſunt.

Rex nſentur Præſules.

CAPVT X.

An etiam in Regia ſucceſſione primogenitus cenſeatur patre nondum Rege natus?

CEnſeatur ſanè. Si enim ſanguinis merito ſucceſſionis prærogatiua acquiritur, eiuſdem ſanguinis ſunt, qui ante, & qui poſt Regnum ſunt nati. Ius ſucceſſionis naſcendi ordinem reſpicit, non tempus. Nec intereſt, an quis in ſumma dignitate genuerit, an ante dignitatem, ſed an omninò & primò genuerit. A natura hoc ius eſt, dignitatis acceſſione non mutatur. Nonnunquam aliud Regum facit voluntas æſtimatâ

Priuato patre natus etiam primogenitus eſt.

libero-

liberorum indole, nec patriæ mores repudiant. Vbi indoles à regnandi peritia non abhorret, naturæ ordinem ſequi iuſtius eſt. Ætatis hoc priuilegium eſt.

Varia Exempla, & Teſtimonia.

Affirmamus hoc capite, & rationem damus. Mota hæc diſcordia fuit, vt videre eſt apud Iuſtinum lib. II. & Herodotum lib. VII. inter Darij liberos Ariobarzanem priuato patre natum, & Xerxem patris Regis filium. Vbi patruus eorum Artaphernes arbiter datus pro Xerxe pronuntiauit, ſiue indole vtriuſque motus, ſiue dictâ ratione. Eandem litem mouit diu poſt Darij Pariſatis vxor, ſed diſpari ſucceſſu. Perſuadere enim ægro marito volebat, vt Cyrum filium in Regno natum Arcaſæ (qui poſteà dictus eſt Artaxerxes) in iure ſceptri præferret: at verò non impetrauit. Carolus Siciliæ Rex, filium, quem Rex genuerat, filijs alijs ante regnum primogenitis prætulit & ſucceſſorem declarauit. Non id vbique obſeruatum eſt, & contrarium rationi iuriſque magis eſſe conſentaneum videtur, quemadmodum allegata hoc capite ratio conuincit. Litigant interim Iuriſconſulti, quorum aliqui filium natum, antequam pater Rex ſit, nequidem Regis filium dici volunt, multò minùs in Regno tanquam natu maximum ſuccedere. Gregorius Tholoſanus lib. VII. de Rep. cap. IX. exiſtimat, quòd ſi pater ante a priuatus ad Regnum vel electione liberâ vel per arma venerit, nec ei impoſita lex ſit, vt hæreditarium ſit Regnum, diſponere pro arbitrio ſuo de Regno poſſit, illudque cuicunque volet ex filijs deferre; imò etiam extraneis.

Pro filio patris iam Regis.

Contraria.

Iure tamen gentium & humano æquum eſt, & receptum, vt bona paterna filijs debeantur potiùs, quàm extraneis. Cùm autem liberi Regni noua delatio eſt, eo titulo tantùm ſuccedere filij debent, quia filij, nec habenda temporis ratio eſt, ante aut poſt dignitatem. Sicut de filio Senatoris pronuntiat Vlpianus in l. Senatoris filius de Senat. *Neque intereſt, inquit, an in Senatoriâ dignitate conſtitutus eum ſuſceperit, an ante dignitatem Senatoriam.* Concedendum eſt tamen, quòd ſi primogenitus ex priuato tantùm patre ſit, ac nullo omninò, etiam ex parte matris, Principum ſanguine, minor autem natu parentem habeat Regem & Regiæ quoque ſtirpis matrem, primogenito præferri minor debeat. Id in Xerxe contra Ariobarzanem ſeruatum. Hic cum natus eſſet priuato Dario, & ex priuati vxore ſine vllo Principum ſanguine, non immeritò poſtpoſitus eſt Xerxi filio Darij iam Regis, & filiæ Cyri Perſarum Regis, Cambyſiſque ſororis. Adeòque regij ſanguinis iure Regnum ei debebatur, nec tam patri ſucceſſit, quàm ad matris ſuæ Regnum venit. Eadem ratione cum mortuus Æneas Aſcanium filium ex Creusâ vxore primâ ſuſceptum, & Syluium ex Lauiniâ Latini Regis filiâ vxore ſecundâ reliquiſſet, delatum eſt Syluio Regnum, quod illud matris fuiſſet, cuius erat ipſe hæres. Vide Hotom. quæſt. Illuſt. c. 2.

Teſtimonia.

CAPVT XI.

Quid de ſucceſſionibus alijs, Primogenito non ſuperſtite, iudicandum.

Nepos patruo præferendus. Deficientibus liberis ſuccedit frater, illi agnatus.

SI Primogenitus viuo patre decedat, eius filius Regis nepos patruo ſuo potior exiſtit, & ad coronam eſt adſciſcendus. Is enim in auiti Regni ſpem natus eſt & educatus, Proinde eâ ſpe iureque ſpoliandus non eſt. Quippè acerbum nimis eſt, Patris obitum nouâ filij calamitate cumulari. Nec maiorum Gentium exempla iudiciaque deſunt. Deficientibus liberis defuncti frater ſuccedit; ſi ſuperſtes non ſit, agnatus lineâ non gradu propinquior. Tot autem promanant lineæ, quot filios Rex aliquis relinquit, ex quibus prior linea quamdiu durat ſuccedit, eâque abſum-

abſumptâ vocatur ſecunda, ac ita reliquæ deinceps. Quod ſi Regalis ſtirps omninò extinguatur, libera eſt Ordinum poteſtas, quem ſibi velint Regem eligere, aut Reipublicæ, ſi ita expediat, formam immutare.

Exempla pro vtraque parte.

Pro Patruo.

HÆc quæſtio problema quoddam eſſe videtur. Vtrimq; rationes ſunt & exempla gentium, nec tam in iure aliquo, quàm in ſubtilitate ſita quæſtio eſt. Hic nepotem patruo præferimus, vt veriſimilius apparet: interim id optimum erit, quod popularibus legibus eſt conſtitutum, ſeruare. Patruum præferendum eſſe proximi ſanguinis ratio ſuadet. Nam patruus. Nepotem toto gradu antecedit. Apud Numidas olim communi iure patruus nepoti præferebatur. Idem Vandali vſurparunt, apud quos, vt ſcribit Procopius lib. 3. Honorius filius ſecundus Genſerici Regis prælatus eſt Gundabundo filio Genſonis primogeniti Genſerici. Hodie apud Moſcouitas, ſi impubes ſit filius relictus nepotem patruus præcedit; non item ſi iuſta ſit nepotis ætas. Apud Lacedæmonios, vt refert Pauſanias lib. 3. in Laconicis, Leotychidi nepoti Ageſilans prælatus eſt. In Caſtellâ Aurelius frater Froilæ fratri ſucceſſit prætermiſſo nepote ex fratre, vt teſtantur Annales Hiſpaniæ. Et Froila ſecundus poſthabitis nepotibus ex fratre Ordonio regnauit, vt in iiſdem eſt Annalibus. In eadem Caſtellâ regnauit Sanctius IV. poſt Alphonſum X. fratrem, quatuorque millia hominum, qui in tumultu Alphonſum fratris ſui Ferdinandi filium Regem acclamauerant, cecidit, vt eſt apud Ritium lib. 3. de Regibus Hiſpaniæ. In Regno Galliæ Ludouicus Pius Bernardum Italiæ Regem deiecit & in vinculis coërcuit, quare ius ſibi à Patre Pipino primogenito Caroli vendicabat contra patruum; vt in vitâ Caroli Magni Paulus Diaconus refert. Anno CIↃ. CC. IX. Robertus Rex Neapolitanus ex ſententia Clementis quinti ius Regni tenuit contra Carolum Numbertum Hungariæ Regem, è Carolo Mortello Roberti maiore fratre natum. Galliæ Proceres Henrico patruo Campaniæ Comitatum adiudicarunt omiſſâ nepte ex primogenito Campaniæ Comitis filio, teſte Godefrido lib. de Expeditione in terram Sanctam circa annum CIↃ. CC. XVI. Et Paulus Æmilius ſcribit Philippum Pulchrum Galliæ Regem addixiſſe Comitatum Atrebatenſem Maltildæ vxori Othonis Comitis Burgundiæ excluſo nepote ex primogenito, adhuc infante. In Scotiâ verò antiqua Regni lex fuit, vt liberi Regum ante maturam ætatem relicti excluderentur à Regno admiſſis ad ſucceſſionem Patruis, vel alijs ſanguine propinquis. Legem tamen illam Kennetus ſecundus aboleuit, vt teſtis eſt Ioannes Leſſeus lib. 2. Scot.

Pro nepote.

Nepotem tamen præferendum patruo eſſe dicemus, ſi expreſſa hoc capite ratio conſideretur. In Angliâ poſt mortem Henrici ſecundi cum pro ſucceſſione lis eſſet inter Arthurum Nepotem & Ioannem patruum, Philippus Auguſtus Galliæ Rex iudex conſtitutus pro Nepote pronuntiauit teſte Polydoro lib. 13. & 15. Hiſt. Angl. & Paulo Æmylio in Carolo Pulchro. In eadem Angliâ mortuo Edouardo. III. Richardus ſecundus Eduardi ex filio nepos patruis poſtpoſitis eſt coronatus. Ibidem Polydorus. In Hiſpaniâ defuncto Henrico Rege infans erat relictus Ioannes duos & viginti menſes natus, cui ad Regnum præferre patruum eius Ferdinandum omnes volebant, ipſe ſolus Ferdinandus reluctabatur, & ſecunda Comitia petebat, ne infanti ius ſuum præriperet, & veterem Hiſpaniæ conſuetudinem antiquaret. Indictis itaque ſecundis Comitijs infantem clamyde tectum intulit, cumq; rogatus eſſet à Magiſtro equitum, quem Regem renunciari placeret, acri voce & vultu, quem, inquit, niſi Ioannem fratris mei filium? & ſimul puerum in ſublime extulit, Regemque appellauit, quem & alij ſunt ſecuti. Ita Annales & Scriptores Hiſpaniæ. Poſt mortem Agathoclis Siciliæ Regis orta inter filium & nepotem contentione, occiſo filio nepos Regnum occupauit, vt legere eſt apud Iuſtinum lib. XXXIII. In ſimili autem contentione Senatus aliquando Spartanus Areo Nepoti Regnum adiudicauit contra Cleonymum patruum, teſte Pauſania lib. 3. de Laconicis. Et Lycurgus Regnum Charilao fratris filio ceſſit. In Imperio ſub Henrico I. & iterum Othone Magno ob ſimilem litem per Comitia iudicio armorum res commiſſa eſt. Pugnatum eſt ſingulari certamine, & Nepotes vicerunt. Vide

Sige-

Sigebertum in Chronicis. Anno ciↄ. c. xlii. Galliæ Proceres pro Nepote iudicarunt in domo Borboniâ ſub Ludouico Craſſo. Idem fecit Pariſienſis Senatus ratione Britanniæ Ducatus, vt eſt apud Paulum Æmylium in vitâ Caroli Pulchri. Exſtat eiuſdem rationis ſententia Roberti Regis Neapolitani in controuerſiâ de Comitatu Sancti Seuerini. Conſideraulſſe omnes videntur Nepotem eundem cum Patre cenſeri, patriſque perſonam repræſentare, ac proinde ſuccedere in iura debere.

CAPVT XII.

Quodnam ſit ius liberorum natu minorum?

Solus Primogenitus in omnia ſuccedit.

CVm vni tantùm ac Primogenito Regnandi poteſtas ſucceſſionis iure deferatur, eius Legitima, vt appellant, totum eſt Regnum; imò etiam illi Regni incrementa cedunt, dummodo illa coronæ vnita, vel etiam Regni viribus ſint acquiſita. Communicari quippè maieſtas non poteſt incolumi Republica, nec duos Thronos admittit. Ipſa quoque Regia ſuppellex, Theſauri, & inſtrumenta quæcunque ad Regni vtilitatem deſtinata. Liberis verò natu minoribus annuæ quædam præſtari penſitationes debent, vel portio Regni certa quædam aſſignetur, quam à Primogenito, vt Feudum, vel aliter recognoſcant, non Regio nomine titulóve poſſideant. Cæterùm cùm nihil ſit Reip. magis ſalutare, quàm fratrum Regis defuncti filiorum concordia, proſpiciendum magnâ curâ eſt, vt firma ipſis cum Primogenito amicitia conſtet. Immanis eſt Barbarorum quorundam & Turcarum mos, apud quos primum Principatus noui facinus eſt cædes Fratrum.

Regiis fratribus & ſororibus penſiones præſtentur.

Exempla & Mores Gentium.

CVm indiuiduum ſit Regnum, nec Regibus conceſſum, vt pro arbitrio ſuo illud in partes diſtrahant diuiſis inter fratres Regni membris ſeu Prouincijs, Gentium more iureque primogenitus Regni totius hæres ſolus exiſtit, fratreſque ſuos & ſorores excludit. Optandum proinde foret vnicam Principibus maſculam eſſe prolem omnibus animi corporiſque dotibus cumulatiſſimam. Sed quia humanitus aliquid accedere primogenito poteſt, ſint ſanè plures, & in ſpem Regni alantur, digni omni humanitate & honore. Ita Chriſtiana pietas iubet. Prouideri autem ijs ita poterit. Filiæ inprimis, quæ Regis erunt ſorores, diuini Numinis cultum & affectum edoctæ, aut cœnobitæ fiant, aut cum dote nubant. Si quæ ſterilis ſit, dos ad Regnum reuertatur. Nubere etiam Regi alicui, aut Supremo Principi poſſunt, nullam ille dotem exiget, aut ſperabit. Ita nupſit Hiſpaniarum Infans Galliæ Regi Ludouico XIII. & huius ſoror Philippo IV. Hiſpaniarum Monarchiæ. Filijs verò Regis fratribus præſtari penſiones, vt hic aſſeritur, debent, vel portio aliqua Regni, quam à primogenito teneant, illique obligati exiſtant, & fidem præſtent, atque eâ lege, vt ſi ſine liberis decedant, ad Regnum quicquid habent reuertatur. Ita Ioſaphat Regnum ſuum Ioramo natu maiori filio reliquit, reliquis autem filijs annuas dedit penſiones, Ciuitates, & multa munera auri & argenti, ex quibus regiè viuerent. Hæ alimentariæ portiones ex dignitate perſonæ, & ſecundùm facultates, vel ex boni viri arbitratu æſtimantur. Galli illas *Appennages* appellant, quaſi ad panem regiamque ſuſtentationem. Apud illos hic mos optimis legibus eſt fundatus, & quaſi ſacroſanctus. Vnde cum Henricus Caroli IX. Regis frater legendo Colinij Commentarios in illud caput incidiſſet, vbi Regem monet, vt in aſſignandâ Fratrum portione hæreditariâ & conciliandâ illis authoritate moderatior ſit, apertè faſſus eſt conſilium illud non niſi ab homine Regi fidiſſimo & rerum ipſius ſtudioſiſſimo proficiſci potuiſſe, vt habet Thuanus lib. 52. Cyrus apud Xenophontem res ſuas eo modo ordinauit, vt Cambiſes Regnum, alter filius minutiora nonnulla bona retineret, Prudentes aliqui Princi-

Modus prouidendi filiabus.

Item filijs.

Principes liberis ſuis natu minoribus proſpicere extra Regnum de patrimonio ſolent, vt notat Bellaius in ſuis memorijs. Quæ enim extra Regni ambitum ſunt, facilius fratribus aſſignari debent. Non eſt tamen tutum fratribus committere extremas Regni oras, vt vult Arniſæus 2. Relect. cap. 2. Quòd ſi Rex Regna plura habeat, filiorum conſenſu poſſe vnum vni, alterum alteri tradi, ſunt qui aſſerunt: nec abnuimus, cum hoc pacto Regnum non diuidatur. Præterea dum Regnum ita magnum eſt, vt mole ſuâ laborare videatur, quid vetat particulam aliquam diuellere, & alicui è liberis in dotem offerre? ita fecit Hiſpaniarum Rex Philippus II. dum Belgium filiæ ſuæ Iſabellæ tradidit. Ita Sinæ non rarò vſurpant. Alius prouidendi eis modus eſt, per primas in Regni Eccleſiâ dignitates, quæ ſæpè dignitatem aliquam politicam adiunctam habent. Non verò placere debet homini, quod Barbari olim & hodie Turcæ obſeruant, apud quos ferè ſemper primum noui Principatus facinus eſt, cædes fratrum. Tyrannicum enim, nec vllo modo humanum eſt, quod aiunt. Quod vt calx ædificia compaginat, quæ aliter conſiſtere nequeunt, ſic ſanguis omnium, qui dominationi obſtare queunt, conſolidet noui Principis dominatum, vt refert Arniſæus loco ſupra citato. Quod incommodum, vt effugiant Abyſſini atque Chinenſes, nec tamen Regna diuellant, Regios filios (primogenito excepto) montano caſtro includunt, vt idem habet. *Mos Turcarum crudelis.*

CAPVT XIII.

Qui eligi in Regem, & qui eligere poßint?

ELectio, quâ capitur Principatus, ex lege Gentium diuerſa eſt. Vel enim ex omnibus eligitur Princeps, ac tum liberrimi voti eſt Electio. Vel ex domo tantùm Regia, non aliunde Rex ſumitur. Vel denique ex certa hominum ſpecie ſeu natione. In omni autem electione proximorum defuncti Regis agnatorum non exigua haberi ratio ſolet. Vnde enim illuſtria ſemel Imperia prodierunt, inde expectari ſimilia poſſunt. Tunc autem legitima Electio eſt, quando ſecundùm Reipublicæ leges & inſtituta non tumultuoſo calculo eſt peracta. Porrò ius Electionis pro Gentium quoque varietate diuerſum eſt. Vel enim Senatus eligit, vel Nobiles, vel certi quidam Proceres, vel Duumviri, vel Triumviri, vel Septemviri: ita tamen vt conſenſus ſemper adſit expreſſus, aut tacitus Populi liberi. Non eligent autem illi mentis inopes ſeu amentes, quos à Sceptro naturalis lex arcet, cùm prudentiâ Regni cuſtode deſtituantur, & ratam de ſe Electionem habere non poſſint. Non Paganos & Idololatras à Chriſtianorum ſacris abhorrentes, ne ad ſuarum ſuperſtitionum impietatem ſubditos cogant, vnde certiſſima Reipublicæ pernicies. Non item aliquem extra Eccleſiam Principem, ſi periculum timeatur, ne oppugnator aſſumatur, qui eſſe propugnator deberet. *Electio varia eſt. Quæ legitima. Qui eligant. Qui eligi non debeant.*

Teſtimonia & Exempla Regnorum Electiuorum.

DIuerſa electionis ratio ius eligentium, & qui eligi debeant, hic ſtatuitur. Diuidunt Politici electionem in liberam & conſtrictam: illa ſuffragij liberi eſt, hæc ad familiam, aut certum hominum genus adſtricti. Liberam electionem olim Poloni habuerunt, qui Piaſtum ruſticum elegerunt: hodie verò incolis omnibus via ad Regnum dicitur præcluſa vt refert Bodinus lib. 6. de Rep. Contra in Iſraëlitico Regno alienigenam vel peregrinum eligi prohibitum fuit ab ipſo Deo Deuter. 17. Bohemi liberam etiam initio Regni ſui electionem habuiſſe videntur, qui Primiſlaum etſi non tam libero voto, quàm caſu, elegerunt, virum antea ruſticum. Item milites Romani, qui modo ciuem, modo *Diuiſio Electionis*

peregrinum nullo diſcrimine ſumebant Imperatorem. Adſtricti von electio eſſe videtur in Imperio Germanico, ad cuius faſtigium euehere Principes Electores neminem niſi Germanum poſſunt, ob ſancitam, vt dicunt, ab Otthone III. Imperij legem, vt teſtatur Vrenicus, & Schleidanus lib. 1. Quę autem vtilior electio ſit, liberi, an adſtricti votis, diſputant Politici. Plures liberam electionem, quæ viri boni ſit, præferunt. Alexander Imperator hanc regulam reliquit, nimirum, vt creationes Magiſtratuum ex commodo Reip. & verâ æſtimatione creandorum fiant; ſiue, vt Plato dicit lib. 6. de Rep. liberè & incorruptè. Carnouius, lib. De electione Regis, Polonis ſuis tria proponit in omni electione prouidenda. Primum eſt, vt qui eligunt eligendi poteſtate vtantur ſine vllo metu. Secundum, vt recto iudicio, ordine debito, & modo legitimo eligant. Tertium, vt cum ſummo Dei timore ad electionem accedant. Fridericus Sapiens Elector Saxoniæ volebat in eligendo Imperatore non habendam eſſe diuitiarum rationem aut potentioris familiæ, ſed virtutum ad adminiſtrationem maximè neceſſariarum. Quod ſi minùs potens eligeretur, eum communi auxilio, apum exemplo, iuuandum eſſe. Quam eligendi rationem Warſcuicius Orator & Senator Polonus Oratione ad Maximil. IV. Imp. in Comitijs Ratiſp. habitâ, plus ſemper felicitatis attuliſſe, quàm cùm potentiſſimi ſunt electi, oſtendit. Porrò ad quos electio ſpectet, Gentium inſtituta declarant. In Imperio eligunt Septemviri, Archiepiſcopi tres, Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, Rex vnus Bohemiæ, Dux vnus Saxoniæ, Marchio vnus Brandeburgenſis, Comes vnus Palatinus Rheni. In Polonia penes Palatinos & alios eſt electio. Alibi alia ratio eſt.

Exempla variarum Electionum.

Excludi verò ac non eligi debent, primò mentis inopes. Naturalis enim lex eſt, vt is ad regendum non eligatur, qui mentis defectu regere non poteſt. Secundò Pagani & Idololatræ. Hinc lex illa de electione regiâ Iſraëliticis data, Deuteron. c. 17. *Eum conſtitues (Regem) quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.*

Non poteris alterius Gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus, hoc eſt conſors Religionis. Inde eſt conſtitutio Concilij Toletani can. XIV. de Iudæis: *Nulla eis officia publica iniungantur, per quæ eis occaſio tribuatur Chriſtianis pœnam inferre.* Et etiam antiqua Conſtitutio tam legum quàm Canonum, *ne infideles mancipia Chriſtiana habeant*. Cuius cauſam dat Gregorius epiſtolâ 113. ad Franciæ Reginam Brunechildem, *Ne membra Chriſti hoſtibus calcanda permittantur.* Tertiò Hæretici & excommunicati; nam illos vitandos ait D. Paulus epiſtolâ ad Titum cap. 3. Hi reijciuntur per ius Canonicum, cap. Venerabilem De electione: & per idem ius ſunt vitandi.

CAPVT XIV.

An Electio per ſortem fieri aliquando poſſit?

Electio terminari per ſortem poteſt.

SVffragiorum equidem ratio ſorti ſemper eſt anteferenda, cùm in hac euentus ſit, non iudicium. In ciuili tamen Regum ac Principum electione beneficio ſortis vti nihil vetat. Tum nimirum, cùm ſuffragiorum paritas eſt, & Electorum nemo prudentiâ, conſilio, ſapientiâ, virtute Competitores anteit. Quo caſu non mali aliquid ſors eſt, ſed diuinam dubitantibus hominibus voluntatem demonſtrat. Quinimò ea poſſunt incidere quandoque tempora, vt ſortitione vti non laudabile ſit tantùm, ſed & neceſſarium; cùm ſcilicet terminari aliter electio non poteſt, aut hominum voluntas inflecti.

Exempla Electionis per ſortem.

Apud Perſas.

ELectio per ſortem multas apud Gentes non rarò recepta fuit. Septem Perſarum Magi, Iuſtino teſte lib. 1. Regnum tali ſorti commiſerunt, vt cuius equus ante Solis ortum hinnitum primus edidiſſet, is Rex eſſet. Idem lib. XI. habet de Gordio Phrygum Rege, qui in Regem ſalutatus eſt, cùm primus plauſtro

Phryges.

in

in templum Iouis contendens repertus eſſet. Primiſlaus Bohemiæ Rex ex ruſtico factus eſt, teſte Ænea Syluio in Hiſt. Boh. cùm ſors ea poſita eſſet, vt is Rex eſſet, apud quem in menſâ ferreâ cibum ſumentem Libuſſæ Reginæ equus conſtitiſſet; ſtetit autem apud eum ſupra aratrum ſumentem cibum in agris repertum. Apud Achiuos Ægon creatus Rex eſt, cum in eius domum Aquila ſeſe dimiſiſſet. Curſui ſors commiſſa eſt in electione Regis Elidis, cum Euthymion pater eum ex filijs futurum Regem vellet, qui in Olympicis curſu viciſſet, teſte Pauſaniâ, lib. 5. Apud Auruncanos ſortem baiulationi ligni alicuius craſſi committunt; qui enim illud diutiſſimè baiulat, nec ſuccumbit, regendi oneri par futurus putatur. Sunt autem Auruncani in tractu Peruano. Referunt Indiarum Scriptores. Aliæ apud alios ſunt ſortes per teſſeras, chartulas, fabas, litteras, globulos aut quiduis aliud. Multus in S. Scripturis vſus ſortis fuit, etiam in Matthia Apoſtolo eligendo vt eſt act. 1. Quippè, vt ait D. Auguſtinus in pſal. 30. Conc. 2. *Sors non aliquid mali eſt, ſed res in dubitatione humanâ diuinam indicans voluntatem.*

Bohemos.

Elyden.

Auruncanos.

TITVLVS VIII.

De Fœminarum Imperio.

CAPVT I.

Vtrum Fœminæ ad Regnum & Imperium debeant admoueri?

AN, cùm nulla virilis eſt proles, vel vitâ functi ſunt fratres, præfici Regno fœmina debeat controuerſa res eſt. Multarum Gentium inſtituto confirmatum eſt, ne fœmina Regni ſit hæres. Apud nonnullos verò populos, cùm filij deſunt, fœminæ Imperium defertur. Sanè cùm nec Diuina, nec Naturæ lege earum Imperium prohibitum eſſe videatur, omninò ſceptri ſunt capaces, niſi lex aut mos patrius aliud iubeat. Neque enim præcluſa eſt illis virtus, quæ nec ſexum, nec ſenſum eligendo omnes admittit. Non paucæ extiterunt aliquando, quæ fortes, cautæ, caſtæ, viribus & virilibus curis vitia fœminarum exuerunt. Exempla teſtantur illuſtria & admiranda earum aliquando Reginarum, quę ſupra ſexum ſuum ſingulari prudentiâ fortitudineq; Regum gloriam æquauerunt. Neque eas diuina lex niſi in ijs, quæ matrimonij ſunt, viris ſubijcit. Sociæ enim eorum ſunt, non ſeruæ. Cæterùm præferendi fœminis ſemper ſunt viri: hi enim ad virtutem, & regimen ſunt nati, corpore, animo, voce, viſu robuſtiores, & quos magis verearis ac venereris. Ideò vbi ex lege Regni Fœminæ ſuccedunt, filio exiſtente maſculo, etſi ætate minore, ius habere nullum poſſunt. Quin etiam Primogeniti ante parentem mortui filiæ Patruus antefertur.

Fœminæ ſceptri ſunt capaces.

Viris tamen ſemper poſtponendæ.

Rationes cum teſtimonijs & Exemplis.

INSTITVTO multarum Gentium confirmatum eſt, ne fœmina Regni ſit hæres. Naturam ſequi ſe dicunt. *Nam quicquid maſculum, natura magis factum ad imperandum fœmineo eſt* vt inquit Ariſtoteles lib. 8. Polit. Fauet etiam ratio. Cùm enim fœmina conſilij ſit inops, inconſtans, imprudens, palam eſt ad res gerendas ferè ineptam eſſe. Hinc veteres conden-

dis legibus, eaſdem ab officijs publicis remouerunt, l. 2. ff. de Regulis iuris. Neque etiam permiſſum vllo iure ijs fuit operari, niſi in ijs, quæ ad lanificium pertinerent. Nec imbecillis tantùm & laboribus impar hic ſexus, ſed ſi licentia adſit, ſæuus, ambitioſus, imò lubricus, amiſsâ maximè pudicitiâ. Quid, quod ſeruum nimis videtur ſeruitium fœminæ? *Qui enim*, teſte Tacito de Moribus Germ. *fœminæ dominanti obtemperant, in tantùm non modò à libertate, ſed à ſeruitute degenerant.* Accedit, quod in fœmina omnia ſint leuia & mollia, quæ amorem, non reuerentiam creant; & cum ſint à naturâ timidæ magis, quàm timendæ, nulla in ijs eſt authoritas. Addunt alij diuinâ auctoritate fœminam viro eſſe ſubiectam, nec vllam iuſtitiam nec ordinem naturalem ſeruari, ſi minori ſeruiat maior. Hinc Geneſ. cap. 3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi.* D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. *Viri caput eſt Chriſtus, mulieris caput eſt vir.* Et cap. 14. *Mulieres in Eccleſijs taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.* Apud Iſaiam 3. cap. inter peccati pœnas & calamitatum cauſas effœminatorum imperium numeratur. Hinc, Iuſtino teſte, lib. XXXII. Oroles Thraciæ Rex Dacos ab hoſtibus victos ad ſempiternam ignominiam & contumeliam vxoribus ſeruire compulit. In Iure Canonico cap. mulierem Cauſſ. 33. q. 5. Mulierem conſtat ſubiectam eſſe dominio viri, & nullam authoritatem habere, nec docere, nec fidem facere, nec iudicare poſſe. D. Auguſt. in Pſal. 143. *Quod ſi vxor dominetur, & maritus vincatur, pax peruerſa eſt; ſi autem marito dominanti vxor ſubijciatur, pax recta eſt.* Euripides in Andromachâ:

Haud vlla vna ſalua manſit vnquam familia,
Partes priores in quâ vxor geſſerit.

Quod expreſſit Mart. lib. 8.

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito,
Non aliter fuerint fœmina virq; pares.

Hinc itaque quidam iocabatur, *Non placet mihi domus, in qua gallina cantat, gallus tacet.* Quod ſi imperium in familia fœminæ non conuenit, multò minùs in Rep. Non poſſunt etiam fœminæ Illuſtrium virorum & Regum familias continuare, cùm proles non in earum, ſed in patris ſit poteſtate. Numquam etiam militaria feuda conceſſa fœminis fuerunt, cuius rei rationes multas reddunt Baldus & alij ad l. Quoties C. de ſuis, vbi mulierem ter in horâ mutari dicunt, nec ea poſſe præſtare, propter quæ feuda donantur. Honorij & Theodoſij Imperatorum vox eſt, *fœminarum conſilium plerumque aduerſus propria commoda laborare* in l. Si pater C. de Sponſal.

Rationes contra Imperium fœminarum.

Marullus lib. 2. Epigram.

Moris erat ſceptris teneras arcere puellas,
Et mollem curis exonerare animum.
Nec vel conſilio rebuſue admittere agendis,
Sed tantùm lanis eſſe putare ſatas.

Nimirum ad colum & focum amandandæ ſunt, non ad Imperium euehendæ. Vnde Sybilla futuræ orbis ſubuerſionis ſignum adfert, cùm *fœmina toti orbi imperabit.* Notæ ſunt propter immanem libidinem & ſæuitiam, Athalia, Cleopatra, Ioanna Neapolitana, Conſtantia Neapolitana, Meſſalina Claudij vxor, & eiuſmodi aliæ. Lex Salica in Franciæ Regno etiam deficientibus maſculis à Sceptro fœminas excludit.

Rationes pro Imperio fœminarum.

Sunt tamen etiam pro fœminarum Imperio rationes, quas hoc capite adferimus. Eæ inſtitutis ſelectarum aliquot Gentium, & Reginarum præſtantium exemplis, quæ fortes, cautæ, caſtæ, viribuſque & curis vitia fœminarum exuerunt, adiuuantur. Innocentius III. Pontifex in c. Dilecti de Arbitr. fœminis Heroïcis & præcellentibus ordinariam in ſubditos iuriſdictionem concedit. Debbora Iudæorum Remp. rexit, teſte Scripturâ, Iudicum 4. cap. Britanni veteres, non Regno ſolùm, ſed etiam bello præfecerunt fœminas. *Solitus*, inquit Tacitus, *Britannis fœminarum ductu bellare.* Et eodem teſte, Germani eas viris ipſis anteferebant, quod ineſſe ijs ſanctum aliquid ac prouidum putabant. Vnde nec conſilia earum aſpernabantur, nec reſponſa negligebant. In Caſtellâ nobiliſſimâ Hiſpaniæ parte, ſi nulla virilis ſit proles, fœminæ imperium defertur. Idem à primis temporibus vſurpatum in Vaſconum, Scotiæ, & Hieroſolymorum Regno, vt ſexum in Imperio non diſcernerent. In Anglia fœminæ ad ſceptrum admittuntur. Vnde nuper Elizabetha Regina feliciſſimè (ſi Religionem excipiamus) imperauit. Siciliam Ioanna Regina prudentiſſimè adminiſtrauit, vt erat peritiſſima. Olao Daniæ, Suæciæ, Nortuegiæ Rege ſine prole maſculâ defuncto, vxor eius Margareta tria illa Regna mirâ prudentia & iuſtitiâ memorabili gubernauit, vt habet Munſterus lib. 4. Coſmogr. Hungari anno CIↃ.CCC.LXXXIII. Mariam Ludouici primi Hungariæ & Poloniæ Regis filiam mortuo patre coronauerunt,

runt. Altera eiuſdem Ludouici filia Hedwigis Poloniæ Regnum ſortita eſt, vt habet Bonfinius dec. 2. lib. X. Et vt auctor eſt Ganguinus anno 780. Vanda filia Craci in ordine Ducum Poloniæ quarta, vnica legitimaque hæres Regni omnium acclamatione ad Imperij faſces euecta fuit, & virginalem ducens vitam, ſummâ prudentiâ rarâque fortitudine gubernauit. Hodiè tamen omnis aditus fœminis ad Regnum Polonicum eſt ſingulari ſtatuto præcluſus. Bohemiam multis annis ſtrenuè rexit Libuſsâ teſte Æneâ Syluio cap. V. de rebus Bohemicis. Hiſpania, Luſitania, Sicilia, Neapolis, Scotia fœminas ad Principatum admittunt. Sed & fœminæ non rarò conſortes Imperiorum cum viris, aut poſt eorum obitum tutrices ſunt factæ. Sic Alexandra nomine Hircani & Ariſtobuli filiorum Iudæorum Regnum adminiſtrauit, vt eſt apud Ioſephum lib. 13. Sic Irene cum filio Conſtantino non tantùm pari auctoritate, ſed & illi exoculato per quinquennium ſucceſſit, vt refert Zonaras in eius & Conſtantini vitâ. Et in vitâ Conſtantini Ducæ narrat, cum iam moriturum Eudoxiæ vxori moderamen & tutelam Regni ſui commendauiſſe. In Galliâ tutorio nomine Regnum adminiſtrant Reginæ, quas Regentes Galli vocant. Ita regnauit Medicæa pro Ludouico XIII. Et Catharina pro Franciſco primo & Carolo IX. Non opus hic eſt, illuſtrium fœminarum catalogum, quod eæ ex hiſtorijs ſint notæ, contexere.

CAPVT II.

An fœmina regnans nubere cui vult poßit?

CVm ad regnum patriæ legis beneficio fœmina admittitur, eius ſucceſſioni iungenda Electio quædam eſt delecto ab ea viro, qui cæteris præſtet. Et quoniam in Familiam alienam ius Regni transfertur, & futuri ſunt eius ex alia ſtirpe hæredes, expedit, vt ad nuptiarum Reginæ pactionem Ordinum conſenſus accedat. Ita fiet, vt gratior vniuerſis ſit Rex maritus, quem elegerint; & ille non tantùm Reginam ſibi deſpondere, ſed totum Regnum videatur. Nam etiam cùm ſuperſtes nulla virilis eſt proles, extincta Regia ſtirps, quæ per fœminam conſeruari nequit, videri poteſt; ideóque nouum Regno caput conſtituere non ſolius eſt Reginæ, ſed Ordinum ac populi quoque. Ne cogatur tamen quæ verè hæres eſt.

Expedit vt cum ordinum conſenſu nubat.

Ratio cum Exemplis.

REſpondemus hoc capite non expedite, etſi cogi non debeat. Ratio hæc præcipua eſt, quod ſine Ordinum conſenſu transferri in familiam alienam Regnum non debeat, id verò per matrimonium eiuſmodi fieret. Ita Maria Hungariæ Regina de conſilio Procerum
Exempla ſuorum nupſit, vt eſt apud Bonfinium in Hiſtoriâ Hungaricâ. Imò Sigiſmundus Bohemiæ Rex reprehenſus à ſuis fuit, quod de ducendâ vxore ſine eorum conſenſu cogitaret. Libuſſa etiam Bohemiæ Regina non priùs ad Primiſlai nuptias tranſijt, quàm Procerum ſuorum conſenſum habuit.

CAPVT III.

An qui fœminam Regni hæredem ducit, fiat Monarcha.

Fit Monarcha, niſi alia adiecta ſit conditio.

POrrò cùm fœminam Regni alicuius hæredem peregrinus Princeps in matrimonium ducit, propter indiuiduam illam vitæ ſocietatem, poteſtatis quoque perpetua vnitas conſtituta eſſe cenſetur. Paribus enim auſpicijs, maieſtateque regnant, nec tantùm corporum animorumque facta coniunctio eſt, verùm etiam domus ac poteſtatis, quamdiu illis ſupereſt vita. Nonnumquam tamen ea conditio nuptiarum pactis inſeritur, vt penes Reginam tantùm Maieſtas ſit tota, ac ipſa ſine mariti conſenſu poſſit imperare. Quo caſu non ille Regni, ſed in adminiſtratione tantùm Reginæ ſocius eſt; aliàs Monarcha dicendus.

Exempla huius rei.

Exempla.

REginæ non ab officio Regiæ gubernationis, quæ naturâ ſuâ virilis eſt, ſed à matrimonio Regis appellantur. Quare illæ cùm Regni ſunt hæredes, quia virile officium & munus adminiſtrant, Reges etiam appellari poſſunt. Ita Hungari Mariam Reginam appellabant Regem, & in aureá moneta ipſa ſe Regem inſcribebat. Hæ igitur dum nubunt communicant maieſtatem conſorti ſuo; nonnumquam tamen id excipitur, conditione expreſsâ in nuptijs. Ita factum eſt in nuptijs Iſabellæ Caſtellæ Reginæ cum Ferdinando Rege Aragonum. Item in nuptijs Philippi II. Hiſpaniarum Regis cum Mariâ Anglicanâ. Item in nuptijs Sigiſmundi Regis Bohemiæ cum Mariâ Hungariæ Regina. Eiuſmodi Reges Baldus miſeros martellos appellat.

TITVLVS IX.

De Scientijs, quibus imbui Rex aliquis debet.

CAPVT I.

Neceſſariam eſſe in Principe ſeu Rege ſcientiam.

Ad Regiam indolem accedere doctrina debet.

[N]EMINEM ſcire plura oportet, quàm eum, qui omnibus eſt imperaturus. Cùm enim nihil difficilius ſit, quàm benè imperare, nihil quoque maiorem exigit doctrinam, quàm Imperium. Et quamquam generoſæ plerumque ac heroicæ Principum natorum ſint mentes, quæ ad virtutem ſponte quodammodo ſuâ prouocantur, niſi tamen doctrinæ rore irrigentur, ſingulare nihil ab ijs exiſtit, ac ſenſim etiam quicquid eſt natiuæ virtutis euaneſcit. Adeò vt quantacumque ſit virtus à natura, perfici ea debeat doctrinâ. Auget hæc Maieſtatis decus, & illuſtrior videtur purpura, quæ hoc ornamento non caret.

caret. Et ſi regi corpus ſine oculo non poteſt, certè nec Reſpublica ſine eruditione. Per hanc Princeps ſuorum conſilia intelligit, de rebus dubijs certiùs & feliciùs ipſe ſtatuit, quandam experientiam etiam ante ætatem acquirit. Vt omninò felix ea ſit Reſpublica, quam eruditus Princeps adminiſtrat, & Rex ſapiens populi ſit ſalus. Illitteratus quippè Princeps Aſinus eſt coronatus. *Eius vtilitas.*

Teſtimonia & Autboritates vtrimque.

Rationes contra litteras.

LITTERAS & ſcientias in Principibus ſunt qui improbant. Nituntur auctoritate Licinij Imperatoris, & Ludouici XI. Gallorum Regis: ille litteras Reip. peſtem appellabat, teſte Aurelio Victore in vitâ Conſtantin. hic Carolum VIII. filium hæc tantùm Latina ſcire verba volebat, *Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare.* Addi auctoritas Gothorum poteſt, qui litteras diſcendas ijs negabant, qui inter haſtas & enſes verſari aliquando deberent. Exempla verò producunt tum indoctorum, tum doctorum Principum. Traianus glorioſiſſimus & optimus Imperator vix litteras nouit; Nero autem doctiſſimus fuit, ſed idem ſceleratiſſimus, de quo Auſonius in gratiarum actione ad Gratianum, *Neronis*, inquit, *indolem non erudijt Seneca, ſed armauit ſæuitiam.* Vnde Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 1. *Summa litterarum cognitio ſæpe pernicioſa extitit, niſi benè à naturâ, meliùs à virtutibus inſtructi & informati eſſent; quia nihil tam in Principem metuendum quàm multa rerum abditarum cognitio cum ſcelere coniuncta.* Alios proferunt nullis litteris imbutos, & Regnorum adminiſtratione claros. Vnde iam colligunt rationem, viros doctos aut ad ciuiles functiones ineptos eſſe, aut ſapientiores eſſe legibus velle. Quippè ſuâ confiſi prudentiâ Conſiliariorum monita ſpernunt & ſeipſis parum conſulunt. Hinc vulgò dicitur, *Odi ſapientem, qui ſibi non ſapit.* Et Liuius lib. 44. eum, qui de ſuâ vnius omnia agat ſententiâ, temerarium magis habendum, quàm ſapientem putat. Ita illi.

Rationes pro litteris.

Nos hoc capite vel maximè neceſſariam in Principibus doctrinam aſſerimus, & ratione oſtendimus. Pro qua auctoritas eſt in primis Vegetij in procemio lib. 1. *Quem plura ac meliora ſcire oportet, quàm Magiſtratum, cuius doctrina omnibus ſubiectis eſt profutura?* Et D. Chryſoſtomus 2. ad Corinth. Hom. 13. *Et omninò, ait, Imperij ars maxima, quam ſine doctrinâ non potes exercere.* Ideò Demetrius Phaleræus Ptolomæum Regem hortabatur, vt libros de Regno ſcriptos emeret & legeret, quod ea in libris eſſent ſcripta, de quibus amici Reges admonere non auderent, vt eſt apud Stobæum ſerm. 46. Quod conſilium ſecutus Alphonſus Aragoniæ Rex, vt refert Panormitanus lib. 3. de rebus geſtis Alphonſi, *optimos Conſiliarios mortuos eſſe* dicebat, libros intelligens. Alphonſus autem ſenior Calabriæ Dux numquam ſine libris in expeditionem proficiſcebatur, ex quibus magno ſuo fructu longè melius præſtantiſſimorum virorum virtutes ſe poſſe cognoſcere affirmabat, quàm ex multis magiſtris, teſte Pontano lib. de Principe. Maximilianus primus Imp. vt refert Iouius, *Turpe eſſe magno Principi* dicebat, *neſcire litteras.* Siquidem homo ſine litteris nihil eſt niſi *Aſinus bipes*, vt legitur apud Syluium epiſt. 4. quo ſenſu illitteratum Principem Traianus Imp. *Aſinum coronatum* appellabat, teſte Policratico lib. 4. Et Vladiſlaus primus Hungariæ Bohemiæque Rex, cum adhuc puer eſſet, *Non videri ſibi* dicebat *homines, qui litteras ignorarent*, vt refert Æn. Syluius lib. 3. rerum Bohemicarum. *Magna ingenia*, inquit, *niſi rectè inſtituta & imbuta litteris fuerint, quæ mores emolliunt, tantò deteriora euadunt, quantò in illis maiores igniculi extiterint. Magna enim ſcelera non ex vili natura, ſed ex generoſo ingenio educatione corrupto proficiſcuntur.* Non ſine causâ conſtitutum apud Perſas profectò fuit, vt Regibus regnare non liceret, niſi familiariter cum Magis ſapientibus verſati, ipſorumque diſciplinâ imbuti eſſent, vt refert Philo in explicat. Decalogi. *Quippè generoſum & omni fauore dignum ingenium eſt, ait Socrates apud Xenophontem, cui ſunt cordi diſciplina Politica.* Innumeri ſunt litterati Principes, qui proferri etiam à nobis poſtea poterunt. Quamuis autem mali aliquandò improbique extiterint Principes litterati, parum omninò refert. Nam, vt ait Cominæus, *Doctrina vel meliores reddit homines vel deteriores pro cuiuſque naturâ vel conditione; veriſimilius tamen eſt fieri aliquem eâ meliorem. Nam quo quiſque magis quid ſe deceat intelligit, eo vehemen-* *Et exempla.*

mentius ipſum neglecti pudet officij, & etiamſi non omninò ſibi temperet à maleficio, tamen ne planè modum excedat, cauet. Volebat Ludouicus XI. filium ſuum Carolum nihil ſcire, ne ſuorum conſilijs refractior eſſet, & ſui ſenſus tenacior: ſed illum ita ignarum Regem duo treſve homunculi tribolares huc illuc pro ſuo arbitrio circumegerunt non ſine grauiſſimâ ſubditorum indignatione damnoque. Rectè Romani, cum aliquando Imperator quæreretur, acclamauerunt omnes. *Quis melius, quam litteratus imperat?* ita refert Vopiſcus in Tacito. Principem enim non ſplendor ſuæ fortunæ, non veſtes aureæ, aut ornatus crinium & equorum propria pompa tantùm honeſtat, quantùm decor litterarum, & fama virtutum.

CAPVT II.

Puerum Regium tempeſtiuè Præceptori tradendum.

Ineunte pueritiâ erudiendus eſt Regius Puer.

SApientum hoc iudicium eſt, Principem ineunte mox pueritiâ tradendum eſſe præceptoribus erudiendum. Ea enim ætas docilis eſt, & flecti ad virtutem poteſt, capax bonæ omnis diſciplinæ. Si tardiùs in diſciplinam detur, aliâ conſuetudine obduratus reſiſtit, & pene pudet tum eruditionem ſuſcipere, cùm prodendum eius eſſet documentum.

Qualis eſſe Magiſter debeat.

Inprimis verò, quoniam primus diſcendi ardor excellentia eſt Magiſtri, videndum eſt, cui Præceptori tener Principis animus committatur. Is eſſe vir inculpatæ vitæ debet primùm, tum opinione doctrinæ præſtans.

Teſtimonia & illuſtratio quædam.

Au horitates.

COnfirmat illud Virgilij, *Vſque adeo à teneris aſſueſcere multum eſt.* Naturâ enim pueri tenaciſſimi ſunt eorum, quæ à teneris, vt Græci aiunt, vnguiculis accipiunt. *Et deteriora* (vt Quintilianus refert) *pertinaciter hærent, bona autem facilè mutantur in peius.* Idcò tempeſtiuè omninò ad ſcientiam & virtutem ducendi. Non facilè eluuntur colores, quibus natiuus lanarum candor mutatur; & vt ait Horatius. *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem, Teſta diu.* Venatici canes, dum teneri ſunt, inſtituuntur odore perſequi feras: equus inutilis eſt & noxius, niſi à primo tempore domitus ſit & edoctus ſeſſorem admittere, pedes ad numerum mouere, calcaribus, fræno, virgâque regi, Arbores dum teneræ ſunt adminiculis eriguntur, circumcidendoque caſtigantur. Hæc cum ita ſe habeant, multo magis impendere teneræ Regiorum puerorum ærati oportet omnem curam, vt ad iuſtitiam formentur, & exemplis ad omnem innocentiam vitæ erudiantur, quo tempore mollis ceræ inſtar ducentis manum ſequuntur, in quemcumque habitum & formam.

CAPVT III.

Quæ conditiones eſſe debeant Regij Præceptoris.

Habeat gratiam & agilitatem ingenij cum eruditione.

VIrum bonum ac doctum eſſe multum eſt, nec eſt ſatis. Satis eſſe quis doctus poteſt ad Principem erudiendum, ſed non idem ſatis idoneus. Quippe vberior illa doctrina plerumque cum ingenio Principis non conuenit, & aptior eſt Scholaſtico pulueri. Gratia quædam adeſſe doctrinæ debet, quæ in Regium animum ſapientiæ præcepta inſinuet. Hæc ab animi quodam vigore & promptitudine ſingularique iudicio

dicio eſt. Neque enim, vt in ſcholis alij paſſim, ita Princeps inſtituendus eſt quâdam indigeſtâ diſciplinâ & verborum volubilitate. Quare Regium Magiſtrum & Inſtructorem natæ ad Imperium Indolis hunc volo, qui inprimis gratiam & quandam ingenij agilitatem cum eruditione habeat, vt non à litteris poſſideatur, ſed illas ipſe magnâ animi ſui nobilitate poſſideat. Deinde qui ſano quodam iudicio, quæ plurima legerit, in prudentiam ſapientiamque quâdam ingenij ſui diſtillatione conuertat, ac meliùs præſtantiuſque faciat, poſteà in diſcipuli animum inſtillet, vt abiectis nugis ſapiat, ſeu quod vtile eſt addiſcat. Tum qui eas habeat in ſe virtutes, quas in Principem conferri oportet; nec Iuſtitiæ tantùm aut temperantiæ, aut fortitudinis definitiones Magiſter tradat, ſed eas etiam vſu & exercitio teneat, ac ad earum imitationem Principis animum trahat, & heroicis exemplis inflammet. Quid enim eſt probè inſtituere, niſi animum diſcentis ad virtutem accendere? Qui ita non inſtituit, ſanè deſtruit. Et cùm omnium virtutum amorem infundere debeat, tum iuſtitiæ, quæ vna eſt Regum virtus, quâ à Tyrannis ſecernuntur. Sit etiam ſacræ ſapientiæ peritus, vt amoris ac timoris diuini fundamentum in eo iaciat; quo poſito facilè eius ætas ad gloriam effloreſcet. Si redarguendus ſit quandoque, id comiter & gratioſè fiat, vt & ipſe quâdam ſimilitudine morem hunc addiſcat. Si in ſeueritatem inclinari animus videatur, metu tamquam fræno quodam eſt cohibendus, eâ moderatione, vt Inſtructoris amor diſcentis animo non excludatur. Perit enim omnis doctrinæ fructus, cùm docentem diſcens non amat. Nec ipſe etiam, qui inſtruit, alium præter Principis affectum habere debet. In omnibus ita agat, vt Principem formare ſe meminerit, cuius tum præclara fuerit inſtitutio, ſi & viuere honeſtè, & ſapienter iuſteque regere didicerit.

Deinde iudicium quo omnia ad prudentiam referat.

Tum virtutes vſu aliquo teneat.

Dei timorem inijciat.

Comiter reprehendat.

Ametur.

& Amet.

Authoritates & Exempla.

REgius hîc Formator & Pædagogus deſcribitur. Ea verò cura doctæ Antiquitatis fuit, nonniſi viros probos & conſpicuos inſtitutioni præficere. Perſæ, vt ſcribit Xenophon, diuiſâ in quatuor partes multitudine, pueris inſtituendis viros Principes duodecim ex ſenioribus ſelectos, probitateque excellentes præficiebant. Ariſtoteles 8. Polit. vult vnum ex Magiſtratibus publicæ puerorum inſtitutioni præfici, cum amplâ iubendi vetandique poteſtate. Lycurgus apud Spartanos vnum ex Principibus eidem curæ præficiebat, prudentiâ & probitate præſtantem, quem Pædonomum dixit, ſublatis ſeruis, quibus antea pueri inſtituendi tradebantur, ne frequenti cum iis vſu ſeruiles imbiberent mores. Optimè autem veteri prouerbio præcipitur, *Artem quiſque ſuam doceat, ſus nulla Mineruam.* Proinde non à quibuſuis docendi Regij pueri, qui non tantùm ſibi, ſed & alijs præeſſe debent, ſapientiâque & exemplo prodeſſe. Achilles Formatorem habuit Chironem illum ſenem Theſſalum, de quo Claudianus: —— *Ocyus hauſit Achilles*

Mos Perſarum.

Spartanorum.

Variorum Principum Inſtructores.

Semiferi præcepta ſenis, ſeu cuſpidis artes,
Siue lyræ cantus, medicas ſeu diſceret artes.

Alexander Magnus Ariſtotelem Philoſophorum Principem, cuius tempore natum ſibi Alexandrum gaudebat Philippus pater, quaſi tantus eſſe numquam potuiſſet, niſi à tanto Magiſtro. Alcibiadi erudiendo magnam operam & diligentiam adhibuerunt Pericles & Ariphron viri præclariſſimi, & à patre eius Clinia tutores teſtamento relicti, vt refert Plutarchus. Illi primò Zopyrum virum in ſtudijs bonarum artium verſatiſſimum præceptorem tradiderunt; tum Socratem, à quo ſeueram quandam ſapientiam & eloquentiam didicit. Carolus V. Imperator præceptorem habuit Florentium Vltraiectinum, qui poſtea Adrianus Sextus Pontifex fuit, virum eruditum, & vitæ diſciplinâ ſeuerum. Rectè verò hic monetur, non omnia appoſitè ad inſtitutionem facere. Nam, vt ait Menander in Boeotia, —— *Multa vbique gratia*

Reperies in rebus; ſed an plura
Inſint vtilia, conſiderandum eſt.

Traianum vir vndequaque doctiſſimus

In vitâ Alcibiadis.

Plu-

Digitized by Google

Plutarchus direxit. Neronis inſtitutioni præfuit Seneca, ideoque tantopere laudatum primum Neronis quinquennium fuit. Marcus Aurelius Imp. à Metiano Iuriſconſulto inſtrui voluit, illudque diſcere, in quâ re iuſtitia conſiſteret, cuius fructus ſenſit innumeros magno ſubditorum bono. Rex Ageſilaus dicere ſolebat eam eſſe Regiam menſuram, quam anteceſſores Iſraëlitarum Reges vſu & conſuetudine longâ obſeruauerunt, omirum, vt liberos ſuos ſub annis teneris non in Phariſeorum aut Sadducæorum diſciplinam traderent, ſed Eſſæorum inſtitutioni committerent, quod hi iuſtitiam colerent eiuſque exercitio & ſcientiâ cæteris eſſent præſtantiores. Ita refert Ioſephus in Antiquitatibus Iudaicis. Huc referri fabula illa Homeri poteſt, quâ fingit Apollinem natum in Inſulâ Delo, inuenire voluiſſe virum idoneum, cui vitam & inſtitutionem ſuam crederet, perluſtratiſque multis Inſulis, vbi tamen viri erant ſcientiſſimi, idoneum reperire ſtatim non potuiſſe; tandem facti ſunt obuiam Cretenſes, qui primo omnium iuſtitiam docuiſſe dicuntur, quos iuſſit ſuæ inſtitutioois curam habere, quod nollet ab alijs, quam Creteoſibus, tanquam viris Sacris regi, & ad eruditionis faſtigium deduci. Inde etiam viris ſacris olim & hoc tempore Magnorum Regum pueri, inſtituendi committuntur.

Ius Iſraëliticarum.

CAPVT IV.

Quibus Artibus inſtrui Princeps debeat?

Primò Grammaticâ Tum Rhetoricâ & hiſtorijs.

VBi expeditè legere, & accuratè ſcribere didicerit, Grammaticæ prima Rudimenta percipiet, reiectis hinc tamen ſuperuacaneis Grammaticorum præceptis. Tum in Rhetoricis ac Hiſtoriis probè inſtituetur, non tam præceptionum multitudine, quàm ſcribendi loquendique exercitio frequenti. Seruato etiam vtrobique modo, vt tantùm hauriat, quantum ad vſum & bonam mentem eſt opus. Nec abhorrebit ab aliquali Poëtarum, ſed grauiorum lectione, vt orationis grauitatem & elegantiam diſcat admirari.

Dialecticâ. Geometriâ. Arithmeticâ. Aſtrologiâ. Coſmographiâ. Ethica. Politica.

Dialecticam aſſumet, vt à falſo verum diſcernat, ſed ſophiſtis inutiles ſuas argutias relinquet. Geometriam addiſcet ad vſus belli varios; Arithmeticam, vt datorum acceptorumque rationes intelligat, nec vectigalium in Republica vſum ignoret. Aſtrologiæ & Coſmographiæ rudimenta eatenus Principi ſunt neceſſaria, vt cœli plagæ ſint notæ, & Prouinciarum interualla perſpecta. Ipſa moralis Philoſophia & Politica vel inprimis Principem decet, vt ex illa virtutum rationes, ex hac officiorum addiſcat, & ipſam imperandi ſcientiam. Conſeneſcat verò in Hiſtoriarum lectione, & ſuorum facta maiorum potiſſimùm in promptu habeat. Quippe in Hiſtoria, quæ imitetur, & quæ fugiat, inueniet.

Eloquentiâ.

In Eloquentia multum ſtudij & operæ ponet Princeps, cùm in ea multum ſit ornamenti & præſidij ad omnem Reipublicæ partem. Vt nimirum ex animo virtutibus omnibus ornato illuſtris effloreſcat oratio; & qui dignitate inter homines præſtat, ratione etiam & oratione præſtet, Hâc ciuium animos alliciet, & militum voluntates inflammabit.

Muſicâ.

Muſica voluptatis cauſa nonnumquam poteſt aſſumi, vt aſſidui Regum labores iucunditate aliquâ & ſuauitate leniantur. Serijs quippe miſcenda ſunt ludicra, vt durare poſſint, & efferatus curis, venatione, belliſque animus ad manſuetudinem reuocetur. Abſit tamen ab Aula omnis laſciua & flagitioſa Muſica, quæ Veneris laudes & fraudes habet. Et quanquam planè dedeceat, vt coram alijs publicèque Princeps cantet, quod id ſine Maieſtatis ſugillatione fieri non poſſit, remotis tamen arbitris, aut paucos inter domeſticos aliquid Principis ingenio hac in parte eſt indulgendum.

Authores Principi legendi.

Qui Authores Principi ſint perlegendi prudens præſcribet Inſtructor. Primis annis Cæſar, Saluſtius, Liuius placent

cent, quod & rerum geſtarum explicatione ſint prudentes, & Romani ſermonis elegantiam habeant. Confirmatis ſtudijs & peritiâ maiori, Cornelius Tacitus adiungatur, à quo Conſilia Principum, Artes, Fraudeſque Aulæ. Dignus planè Author, quem numquam Principes vel Aulici è manibus deponant.

Exempla variarum Gentium.

Exempla Ægyptiorum. ENumerantur hîc dignæ Principis artes, & velut ordo ſtatuitur. Apud Ægyptios Regij pueri artes magicas tamquam ſtudia quædam ſanctiora diſcebant, vt habet Alexander ab Alex. lib. 2. Perſarum. Apud Perſas quatuor dabantur Regijs pueris magiſtri, teſte Platone. A primo ſapientiam, à ſecundo temperantiam, à tertio iuſtitiam & cauſas agendas, à quarto fortitudinem bellicam diſcebant. Alexandri M. Alexander Magnus ſub diſciplinâ Ariſtotelis non tantùm Ethicæ & Politicæ præcepta, ſed occultæ etiam Philoſophiæ arcana & ſpeculationes ſibi comparauit ad aliorum æmulationem. Idem Homeri Iliadem didicit; quam rei militaris viaticum appellabat, & vnà cum pugione ſuo iacentem ſub puluinari tenebat. Maximiliani II. Imp. Maximilianus Secundus, Hiſpanos, Italos, Gallos, Belgas, Bohemos, Pannones, & Latinè loquentes intellexit, quorum omnium linguas optimè callebat. Ita refert Chytræus. Mahometes. Mahometes II. hiſtorias omnium Gentium illuſtrium ſibi verti in linguam Turcicam curauit, vt inde hauſtis militiæ præceptis actionum ſuarum diſciplinam exemplorum varietate confirmaret. Secutus eius veſtigia Baiazetes filius hiſtorias amauit. Fredericus II. Imperator in omnibus Philoſophiæ partibus verſatiſſimus fuit, teſte Cuſpiniano, in eius vita. Caroli M. Carolus Magnus Legatos Græcos intelligebat, & Latinam linguam proſâ carmineque callebat. Inter cenandum lectorem audiebat antiquorum Regum geſta enarrantem, teſte Eginharto in eius vita. Alex. Seueri. Alexander Seuerus à prima pueritia artibus omnibus tam ciuilibus, quàm militaribus imbutus fuit, nec vllum vmquam diem ſponte ſuâ tranſire paſſus eſt, quò ſe non & ad litteras, & ad militiam exerceret. Ita teſtatur Æl. Lampridius. Laudat verò Panormitanus Alphonſum Aragoniæ & Siciliæ Regem, quòd librum apertum pro ſymbolo ſuo geſtarit, vt doctrinam Regibus neceſſariam eſſe declararet. Erat ipſe in omni ſapientiæ parte verſatiſſimus, gloriabaturque ſe verus nouumque Teſtamentum vnà cum Commentarijs decies & quater perlegiſſe. Porrò in bonis artibus & ſcientijs perdiſcendis memores ſint Reges & Principes iſtius Horatij verſus lib. 2. Epiſt. 2. Monitum.

Nimirum ſapere eſt, abiectis vtile nugis.

Vt ſcilicet, quæ vſui eſſe in Regni administratione aut vitâ inſtituenda non poſſunt, curioſè non inquirant, aut perdiſcant. Præterea audiant Senecam Epiſt. 89. *Habeto doctrinam cum modo, quia plus ſcire, quàm ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt.* Vt modus aliquis ſit, multùm & ſatis erit, ſi Princeps his inſtructus ſit diſciplinis, quas hoc capite recenſemus. Regiæ Scientiæ. Commendatur inprimis illi Eloquentia & Hiſtoria. Nam, vt ait Ariſtoteles in Rhet. ad Alexand. *Valde indigna res eſt, ſi Princeps ſplendidis ſe veſtibus ornet præ alijs hominibus, & interim non cogitet de ornatu orationis, quæ magis propria eſt homini, quàm vlla veſtis.* In Hiſtorijs maximè callere prædeceſſorum in Regno ſuorum res geſtas debet; exemplo Aſſueri Regis, de quo in libro Eſdræ, qui noctu cùm dormire non poſſet Commentarios Regni ſui prælegi ſibi curabat, qui ei ſummopere ad Reip. ſalutem profuerunt, eo potiſſimùm tempore, cùm ab Aman Regno pernities imminebat. Circa Philoſophicas ſcientias memor ſit eius, quod Neoptolemus dixit, *Philoſophandum eſſe, ſed paucis*, id eſt, methodicè, & ſobriè, vt nec ſummum nec ſcrupuloſum ſit ſtudium. Documentum. Diuinarum denique litterarum habenda cognitio eſt, tùm vt Princeps ad Diuinæ maieſtatis amorem & timorem excitetur, tùm vt ſacris exemplis in Regni ſui & populi adminiſtratione confirmetur.

TITV-

TITVLVS X.

De Moribus Principis formandis.

CAPVT I.

Præeſſe aliquem moribus Principis formandis debere.

Præfectus ſit vir Illuſtris & generoſus. Eius cura Principis actiones formare.

NON tam ſcientiâ Principis ingenium eſt inſtruendum, quàm animus honeſtis moribus formandus, & virtute corroborandus. Itaque præfici aliquis Principi debet, qui vitam eius ad rectè rationis normam formet, & regijs planè moribus inſtruat. Sicut autem Regius Præceptor homo eſſe non nimis Scholaſticus debet, ita nec morum Præfectus. Sit vir illuſtris & generoſus, qui ad honorem & gloriam ducere Principem exemplo poſſit. Nec opus multis hic præceptis eſt, pauca ſint, & vim habeant ad animum rerum grandium & heroicarum actionum cupiditate inflammandum. Præfecti quippe cura de actionibus Principis eſſe debet, Præceptoris de eruditione. Ille tenerum, ſed generoſum animum ita reget, vt iam primis annis modeſtia quædam, grauitas, conſtantia, temperantia, & ſi fert natura, fortitudo in Regij pueri moribus eluceat. Nihil ſit in vita præclarum, quod effingere ille ac præ ſe ferre, ita inſtituente Præfecto, non contendat. Quare etiam videbit Præfectus, ne quid ad tenerum Principis ingenium temerè admittatur, & ſolus ipſe totum illum componet, nec quicquam Principi, ſine eius conſilio, etiam à Præceptore tradetur. Eius enim curæ Regius puer commiſſus eſt. Quemadmodum verò dulciſſimis lenocinijs abblandientes nutrices infantium labijs ingerunt cibum, ita virtutem cum quadam comitate, cui admixta ſit tamen grauitas, Principis animo infundere oportet, vt debito cum honore accipiat, tenaciùs addiſcat, & quodammodo lætetur. Imò etiam precibus demulcere quandoque oportet, vt quæ ex inſtitutione deſiderantur, non inuitus faciat.

Nihil temere ad Principis ingenium admittere.

Ducere cum aliqua comitate.

Teſtimonia.

PRIMA hominis cura de moribus eſſe debet, at potiſſimùm in Principe. Vnde Ouidius

Prima ſit in nobis morum tutela bonorum
Indicium mores nobilitatis habent.

Et Comicus, *Mores boni pulcherrimum peculium.* Omninò igitur præeſſe aliquis Regijs pueris debet, qui eorum mores formet, verba, geſtus, corporis conſtitutionem, actiones omnes moderetur & dirigat. Nam ſi *Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt* vt ait Plautus, non eſt ſatis aut doctum eſſe Principem, aut regalibus inſignibus ornatum, ſi in moribus eſt turpitudo, aut ſi mores non ſint boni, qui ſemper per vitæ modeſtiam ſe produnt. Hinc Menander.

In Pœnulo.

Progerminant fructum bonum mores boni,
At fructus, hic modeſtia eſt vitæ, bonus.

Demetrius ille, quem Cæſar in delitijs & honore habuit pauca eſſe præcepta in Principis inſtitutione volebat, ſed ea lege, vt vim & efficaciam darent, quâ ſimul & honore & gloriâ grandium & Heroicarum actionum animum inflammarent. Alexander Magnus præter præcepto-

ceptores ſuos Lyſimachum quemdam dictum Phoenicem, morum formatorem habuit: ſicut olim Achilles, quendam etiam nomine Phoenicem. Et his temporibus receptus apud Reges mos eſt, vt è prima nobilitate vir aliquis Princeps Regijs pueris educandis præficiatur. Quippe iuxta Euripidem in Iphigeniá.

Educationes rectæ
Magnum momentum ferunt ad virtutem.

CAPVT II.

Quomodo in Regium Puerum ſit animaduertendum?

SI aliquando obſtinatior inſtitutioni renitatur, cum affabili comitate admonendus eſt; ſi obluctetur omninò & facere nihil velit, acerbiùs reprehendendus èſt. Et obſeruanda occaſio eſt, quâ ſæpiùs admoneatur, vt ad virtutem procedat. Caſtigatione, niſi extrema vrgeant, nunquam vtendum. Quandoque tamen adhibenda, ne ſe immunem putet, ſed abſque indignatione, & ſine exceſſu, pudor excitetur, non maium inferatur. Caſtigationis enim acrimonia à Principis diſciplina, niſi tenuiſſima ſit, abeſſe debet. Et hinc olim Regiorum puerorum manus tenuiſſimâ ferulâ leuiter villicabant. Illud obſeruandum, ne Principis obiurgatio multis præſentibus fiat, præſertim ſi paulùm adoleuerit. Illa enim non adoleſcentem corrigeret, ſed ad indignationem commoueret. Nota eſſe ſua vitia Principes non volunt.

Leniter primò, pauiò deinde acerbiùs.

Rarò, aliquando tamen ſine exceſſu caſtigandus.

Publicè non obiurgandus.

Teſtimonia & Exempla.

APud Homerum Iliados XI. Neſtor ita ad Patroclum de iuuene Principe inſtituendo

At tu recta ei dato conſilia, & admone
Et ei impera; ille autem parcbit ſaltem in bonum.

Itaque monendi, & eum comitate etiam quodammodò vrgendi ſunt Pueri Regij; nec aliter quam indomiti equi frænis leuioribus educendi & coërcendi. Cautio hic præſcribitur, ne obiurgatio præſentibus alijs, aut ſaltem multis fiat. Non ſanè fuit temulentia, quæ Alexandrum Magnum commouit in Clytum, quem occidit, ſed quod Clytus multis audientibus Alexandro vitium exprobraſſet, vt eſt apud Iuſtinum. Ptolomæus etiam Rex Aſiæ Ariſtomenem præceptorem, quod coram Legato Principem diſcipulum acerbius redarguiſſet, veneno interimi iuſſit.

Leuiter agendum cum regio puero.

CAPVT III.

Affectiones prauas Principis regendas inprimis, & coërcendas.

GRauiorum vitiorum fontes ſunt prauæ animi affectiones, itaque hæ inprimis regendæ & coërcendæ. Modus hîc eſto, vt contrarijs affectibus ad benè agendum Regius Puer, ſi obſtinatus ſit, excitetur, & ſingulari amore demulceatur. Adhibeatur aliorum æmulatio, virtutis laudatio, actionis præteritæ, ſed probè factæ, commemoratio cum laude. Extollantur aliorum quaſi commilitonum virtutes & benè facta, ipſo prætermiſſo, vt aculeos ſentiat, & pudorem concipiat. Proba & diligens virtutis inſtitutio prauarum affectionum eſt exterminatio. Obuia

Contrarij affectus excitandi.

Adhibeatur æmulatio & laudatio.

Remedia opportuna vitijs admoueantur.

verò ſunt ea remedia, quæ aduerſus vitia ſingula prudens adhibebit Præfectus. Et verò cùm Maieſtati & Principis Imperio vehementer repugnet metus, eximendus hic eſt è Principis animo, & nimia illa tollenda timiditas. Tùm nimia quoque remouenda eſt verecundia, cohibenda iracundia, & incontinentiæ frænum cautè iniiciendum. Quæ omnia Moralis Philoſophus docebit.

Teſtimonia & Exempla.

Laudandus Regius puer. MOdi aliqui hic proponuntur, quibus obſtinatio quandoque & prauæ affectiones ex animo regij pueri eluantur. Et illa virtutis laudatio multum hic poteſt; nam virtus vt cultores ſuos certiores eſſe, & firmius ſtare iubeat, ſubnititur fulcimento exiguæ datæ laudis. Ita Minerua apud Homerum Odiſſ. 1. Telemachum ad virtutis actiones efficiendas inuitat blanditijs ſuis, & laudata eius formæ egregiæ præſtantia. Ita illa incipit.

Et tu amice, te enim video eximiumq́; magnumq́;

Strenuus eſto, vt aliquis te etiam poſteriorum eximiè laudet.

Ne ſit timidus. Timiditas hic verò remouenda à Principe dicitur. Hic modus eſto, vt Princeps in rebus omnibus, etiam quæ metum facere poſſunt exerceatur; ſine vi tamen & violentia, ita fiet vt metum paulatim exuat. Etſi autem metus omninò tolli non poſſit, poteſt tamen metus exceſſus. Sic fortiſſimus Hector ſæpè viſo hoſte tremuit, ait Homerus, iudicio tamen non trepidauit, & viribus collectis confidentiáque firmius ſtetit. Superatum ſemel periculum audacem facit. Hinc Hercules, vt eſt in fabulis; cum ſerpentem à Iunone in necem ſuam miſſum occidiſſet, non ampliùs metu ſuccubuit, & maiorem in rebus alijs ſenſit confidentiam firmitatemque. Verecundia etiam nimia amouenda eſt, hoc modo, vt ad ea quæ refugit, animo lubenti & alacriter trahatur: aliquando etiam ad officium quaſi ferendus.

De Virtutibus Regijs.

Princeps ornatus eſſe virtute debet. MAieſtati propria eſſe Virtus videtur, vt qui dignitate cæteris præſtat, iiſdem virtute antecellat. Adeò ſi ſubditis maior eſt Princeps, & melior eſſe debet. Quippe conuenire illi Imperium non videtur, qui quibus imperat, melior non eſt. Et ille tandem magni faciendus eſt, qui virtutem in illo rerum humanarum faſtigio probè excolit. Eius omnes Imperium æquo animo patiuntur. Hîc igitur de Regum virtutibus agendum. *Ne nimis verecundus.*

TITV-

TITVLVS XI.

De Pietate & Religione.

CAPVT I.

In quo Pietas Religióque conſiſtat.

Pietas in recta opinione & cultu conſiſtit.

RELIGIO Pietaſque Rerumpublicarum omnium eſt fundamentum, & falluntur ij, qui humanis tantùm Imperijs, non etiam diuinæ Maieſtatis metu ac cultu contineri Reſpublicas dicunt. Porrò in duobus Pietas conſiſtit, in recta de Deo opinione, & in vero debitóque cultu. Illa Pietatis eſt, hic Religionis. Opinionem rectamque fidem Reges ab Eccleſia habent, dum quæ illa credenda proponit, piè credunt omnia, nec credunt tantùm, verùm etiam cultu exteriore ſeu Religione fidem ſuam teſtantur & profitentur, eam nimirum Catholicam & Romanam, à qua, ſi quis recedat, ſpe vitæ & ſalutis excidit. Religio autem ipſa certis legibus & cæremonijs eſt deuincta, quas inſtituere Regum non eſt; ſed ab Eccleſia inſtitutas accipere ac ſequi.

Teſtimonia & Exempla.

CVM pietas religioque in rectâ de Deo opinione cultuque externo conſiſtat, Regum eſt rectè de Deo ſeundùm fidem ſentire & illum receptis ceremonijs colere. Officium Regis Deuteron. 17. ita proponitur. *Volumen legum ſecum habeat, legat illud omnibus vitæ diebus, vt diſcat timere Dominum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec eleuetur cor ſuper fratres ſuos, neque declinet ad dexteram, vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & filius eius. Duo ſunt*, inquit, Aurelius victor in Traiano *quæ ab egregijs Principibus expectantur, ſanctitas domi, & in armis fortitudo; vtrobiq; prudentia; imò omnes virtutes Religionis gremio continentur.* Vnde Theodoſius Imperator moriens filijs ſuis nihil aliud mandabat, quàm vt veram integramque pietatem ſeruarent, per quam eos aſſeuerabat pacem habituros, & bella ſopituros, & victoriam à Deo conſecuturos eſſe, vt teſtatur Nicephorus lib. 2. Hiſt. cap. 2. Rectè proinde Plato lib. 3. de legibus, neminem vult eligi in Magiſtratum, niſi qui pius extiterit, & diuinis ſtudijs operam dederit. Quod vt ait Liuius lib. 5. *omnia proſpera eueniant Deos colentibus, aduerſa aſpernantibus.* Quare deteſtanda eſt illa impia Machiauelli ſententia dictitantis. *Fidem, religionemq; priuata bona eſſe, Principes autem & Reges non obligare.* Nimirum illud eſt, quod in Tragædia ait Atreus,

Reiecta Machiauelli ſententia.

Sanctitas, pietas, fides, pudor
Priuata bona ſunt, quâ iuuat Reges eant.

Credendum Lactantio potiùs lib. de Irâ. cap. 12. *Religio*, inquit, *& timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.* Et Ariſtoteles in Reth. ad Alex. *Deos propitiores eſſe in eos, ait, qui maximè illos colunt.* Quippè decet *quod optimum eſt ab optimo coli, & quod imperat ab imperante*, vt loquitur Diogenes apud Stobæum.

CAPVT II.

An habeant Reges ius aliquod in res ſacras & Religionem.

Non ius habent ſed inſpectionem.

Liberum ius nullum, habent verò inſpectionem; nec vt cognoſcant, ſed vt tueantur. Sunt enim Reges Religionis & Eccleſiæ protectores. Et quoniam ſine Religione ſalua eſſe Reſpublica non poteſt, Regum eſt florentem Religionis vbique cultum procurare, quorum eſt Rempublicam omninò curare.

Teſtimonia & Authoritates.

Hic Reges Protectores Religionis & Eccleſiæ aſſerimus. Fundamentum eſt ex Iſaiæ cap. 49. *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Alloquitur autem Eccleſiam. Et cap. 60. *Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi.* Vnde S. Aug. *Pertinet hoc ad Reges ſæculi Chriſtianos, vt temporibus ſuis pacatam habere velint matrem ſuam Eccleſiam.* Et Leo Primus Pontifex ad Leonem Imperatorem:

Sunt protectores.

Debes Imperator incunctanter aduertere, Regiam Poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam. Huius rei cauſam expreſſit D. Ambroſius in epiſt. ad Imperatorem Valentinianum: *Cùm enim*, inquit, *omnes homines, qui ſub ditione Romanâ ſunt, vobis militent Imperatoribus terrarum & Principibus, tum ipſi vos Omnipotenti Deo & ſacræ fidei militatis.* Apud priſcos illos Ethnicos in omni Rep. primùm fuit curatio rerum ſacrarum; & duo hæc ferè coniuncta ſemper fuerunt, Sacerdotium & Regnum. D. Leo epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam: *Res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſſionem pertinent & Regia & Sacerdotalis defendat authoritas.* Cæterùm ita

Non ſunt Iudices.

protectores Eccleſiæ Religioniſque Principes eſſe debent, vt Iudicum tamen partes non ſumant, nec temerè circa res Religionis quicquam definiant. Cuſtodes enim ſunt diuinæ legis, ſed non Interpretes. Ideoque Deuteronomij 17. præcipit Deus, vt ſi quid occurrat ambiguum & difficile, ſacerdos conſulatur, cuius iudicio, qui ſtare noluerit, decreto Iudicis moriatur. Et Aggæi 2. cap. *Hæc dicit Dominus exercituum, interroga Sacerdotes legem.* Eſt etiam hæc antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo, vt in definiendis Eccleſiaſticis controuerſijs, non Principes profani, ſed Eccleſiæ Præſules adhibeantur. Ideò Aurelianus Imperator, vt eſt apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 24. cum conſultus eſſet, vt litem cum Paulo Samoſateno Hæreſiarcha de quadam domo dirimeret, ad Romanum Pontificem, etſi Gentilis eſſet Imp. cauſam omnem diſceptandam remiſit, mandauitque, vt eius eſſet domus, cui illam Pontifex, cæterique Italiæ Sacerdotes adiudicarent. Nimirum ſciebat, vt idem ait Euſebius, apud Chriſtianos ſupremum rerum Eccleſiaſticarum Iudicem eſſe Romanum Pontificem.

Supremus Iudex Romanus Pontifex.

Idem ſenſit Conſtantinus Imp. ad quem cùm Sciſmatici Donatiſtæ appellauiſſent à ſententia Melchiadis Pontificis, & nouemdecim Epiſcoporum, vt eſt apud eundem Euſebium lib. X. cap. 5. ad Epiſcopos ita ſcripſit, *Meum iudicium poſtulant, qui ipſe iudicium Chriſti expecto. Dico enim, vt ſe veritas habet, Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens iudicet. Nihil enim licet his aliud ſentire, vel aliud iudicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti.* Hanc epiſtolam refert Baronius tom. 3. anno 313. Eodem modo Valentianus Imp. cùm importunè rogaretur, vt permitteret haberi Concilium, in quo de nonnullis fidei rebus decerneretur, ita reſpondit: *Mihi, qui vnus è numero laicorum ſum, non licet me eiuſmodi negotijs interponere. Ideò Sacerdotes & Epiſcopi, quibus hæc curæ, ſeorſim per ſe, vbicumque ipſis liberum fuerit, conueniant.* Ita præter alios refert Baronius Tom. 4. anno 364. Theodoricus Rex Gothorum, etſi Arianus in 4. Synodo Romana ſub Symmacho Pontifice noluit ſe illi cauſæ ac controuerſiæ, quæ tum agebatur, quod Eccleſiaſtica eſſet, immiſcere, ſed reſpondit, Synodalis eſſe arbitrij in tanto negotio ſequenda præſcribere,

nec

nec aliquid ad ſe, præter reuerentiam, de Eccleſiaſticis negotijs pertinere. Vide Sigonium lib. XVI. de Imperio Occidentis. Plura alia ſunt eiuſmodi exempla, quæ cùm clariſſimè oſtendant, Principes nullum habere ius in res ſacras & Religionem, tum idipſum ratio perſuadet. Nam cùm omnem ſuam adminiſtrandi poteſtatem Principes à libero populi ſuffragio habeant, vt Remp. tranquillam ſeruent, conſequitur neceſſariò, non poſſe eos ſuam poteſtatem ad res Eccleſiaſticas & diuinas extendere, quod hæ omnem eorum excedant authoritatem, quæ à cauſis humanis eſt.

CAPVT III.

Vtrùm verè an ſimulatè tantùm colere Religionem Principes debeant.

CAueat Princeps, ne foris ſpeciem tantùm Religionis retineat, domi intereà cultum eius negligat. Neque enim ſatis eſt, bonam de ſe apud populum opinionem concitare, & incautum vulgus ſimulatione decipere, interim vaframentis occultis rem ſuam augere. Quippè nulli capitaliores ſunt Reipublicæ hoſtes, quàm qui tum, cùm maximè fallunt, id agunt, vt boni viri eſſe videantur. Verè, igitur, candidè, ſincerè, ac non fictè Religionem Princeps animo colet, & externo ritu profitebitur. *Non ſimulatè, ſed verè & ſincerè.*

Reiectio Contrariorum & teſtimonia.

MAchiauellus in libro de Principe dicit, *Principem, vt cautiùs decipiat, & ſtatum ſuum conſeruet, timorem ac reuerentiam diuini Numinis ſimulare debere, quamuis nec Deum amet, nec metuat: cæterarum quoque virtutum ſpeciem & imaginem quandam oſtentare debere, vt ſua vitia tegat, & qui non eſt, habeatur.* Ita ille ſimulatam in Principibus Religionem, non veram exigit; & pietatem, Religionem, virtutem nundinatias facit. Multi illum ſecuti ſub Catholico nomine deliteſcunt, & ore tenus tantùm Religionem præ ſe ferunt. Eiuſmodi fraudum & ſimulationum architectus inſignis fuit Anaſtaſius Imperator; ſed diuino fulmine tandem eſt percuſſus. Talis etiam fuit Leo Imperator, qui ipſo ſui Imperij exordio, vt ſibi omnium animos conciliaret, omnem Pietatem & Catholicam Religionem ſimulauit: verùm vbi Imperij habenas ſecurè viſus eſt tenere, rurſum Catholicos eſt perſecutus. *Ita multi famam, ſed conſcientiam pauci verentur*, vt ait Plinius. At verò, *cùm optimus animus*, teſte Seneca lib. 1. de Clem. *pulcherrimus ſit Dei cultus*, non illi colunt, ſed rident Deum, qui ficto animo Religionem dumtaxat ſimulant; & eo turpius eſt hoc vitium, quo pulchrioris virtutis, Pietatis nimirum & Religionis, ſpecie celatur. Sed quoniam politicâ ratione eiuſmodi Machiauelli ſectatores ſeſe tuentur, examinanda illa eſt capite ſequenti. *Simulatores Religionis.*

CAPVT IV.

An non igitur Religio Politiæ tantùm ſubſeruire, & ei accommodari debeat?

NEquaquam ſanè. Eſt enim Religio fundamentum conſtitutæ Reipublicæ, & eiuſdem conſeruandæ inſtrumentum, ſine qua ſtare omninò non poteſt. Nam ſi & ipſa ſuperſtitio efficaciſſima res eſt ad multitudinem regendam, cùm nihil aliud ſit, quàm Religionis vmbra, quid non poterit *Non debet Religio Politiæ ſubſeruire.*

terit vera Religio? Numquam Regnum ab omni parte proſperum erit Religione aut neglectâ, aut prauè cultâ. Id Ethnici agnouerunt, qui inconſultis auſpicijs nihil vmquam aggrediebantur; vt declararent à Religione Reipublicæ eſſe felicitatem. Neque enim florere ipſa vigereque poteſt, niſi diuino quodam rore irrigetur, quem profectò tum priùs ſuſpiciet, cùm verâ Deum Religione honorabit. Ipſa in officio ſingulos continet. Et ipſi quoque facinoroſi perditique homines ab eo Rege aliquid ſperant, quem Religioſum & Dei amantem vident; minuſque ei aduerſantur & inſidiantur, quem diuino Numine protectum defenſumque iri credunt. Quis vmquam potentis Reipublicæ fundamenta iecit, qui non idem à cultu Religionis incepit? Quis victorias immortalitati conſecrandas retulit, qui non eas Religioni ferat acceptas? Eſt nimirum ille rerum Arbitrer exercituum Deus, & ab eius manu vis eſt omnis in hoſtes, & certa in aduerſitate ſecuritas. Deinde cùm à Deo ſint Reges, omniſque omninò Principatus ac poteſtas, ingratiſſimi mortalium ſint, ſi Religionem (quæ nihil aliud eſt, quàm eius cultus) & debitum illi obſequium negligant. Illud indubitatum eſt, ſtare eorum incolume Regnum non poſſe, qui Dei legem non ſeruant; regnaturos autem illos diu, qui ſincerâ Religionis curâ placere omnium Conditori contendunt. Vt igitur felix ſit Reſpublica, præcipuum in ea locum teneat Religio, non politiæ ſubſeruiat.

Ab ea eſt omnis felicitas.

Exempla & Teſtimonia.

NEgamus hic; nec ipſi Ethnici vmquam legi aut religioni rationem ſtatus prætulerunt. Probari id L. Metelli Pontificis exemplo poteſt. Is Aulum Poſthumium Flaminem & Conſulem vrbe exire ad bellum in Affricâ gerendum non eſt paſſus, ne à ſacris diſcederet, *religioniq;*, inquit Valerius Max. lib. 1. cap. 1. *ſummum Imperium ceſsit*. Subijcit hanc rationem paulò pòſt, *Omnia namque poſt Religionem ponenda ſemper noſtra ciuitas duxit; etiam in quibus ſummæ Maieſtatis conſpici decus voluit. Quapropter non dubitauerunt ſacris imperia ſeruire, ita ſe humanarum rerum velut curam gerere exiſtimantia, ſi diuinæ Potentiæ benè atque conſtanter fuiſſent famulata*. Plato lib. 4. de Legibus eas inprimis leges in ciuitate ponendas vult, quæ ad cultum, orationes, & ſacrificia pertinent. Adeò Ethnici nihil citra Diuini Numinis cultum geri proſpere poſſe perſuaſum habuerunt, optimeque tum Reip. conſuli, cum Religionis ratio inprimis habetur; quandoquidem primus & maximè neceſſarius Reip. finis eſt, vt Deo ſuus honor deferatur. Eſt fundamentum Reip. Religio. Vnde Cicero lib. 1. de Naturâ Deorum, *Sublatâ*, inquit, *aduerſus Deos pietate, fides etiam & ſocietas generis humani, & excellentiſſima illa virtus iuſtitia erga homines tollatur neceſſe eſt.* Quam ob cauſam tantùm Religioni deferendum eſt, vt hæc rebus omnibus præferatur: imò etiam vita ipſa pro Religione in diſcrimen vocetur. Dicendum enim eſt in causâ Religionis cum Diuo Petro Actorum V. *Deo magis, quam hominibus obediendum eſſe.*

Exemplum Metelli Pontificis.

Valerij M. authoritas.

M. Tullij Ciceronis.

Sunt tamen non nulli, qui ſeparandam volunt à ratione ſtatus Religionem, quaſi vitæ ſanctitas & bonum publicum ſimul eſſe non poſſint. Fauet illis carmen illud Lucani lib. 8.

Contraria opinio Pſeudopoliticorum.

Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere iuſta
Incipit.

Illud etiam Ciceronis 3. de Rep. *Si Principes iuſtitiam ſequi velint, ac ſuum cuique reſtituere, quod vi & armis occupauerunt, ad caſas & egeſtatem reuerſuri ſunt.* An non vt Saluſtius in Iugurtha, *impunè qualibet facere, id eſt Regem eſſe?* inde dicebat Iulia Antonino Caracallæ vt Spart. in eius vitâ. *Si libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare non accipere?* Multi *neceſſarium* eſſe putant *in paruis à Iuſtitiâ abire, qui ſaluam eam velit in magnis.* Accedit quod vix eſſe ſine fraudibus poſſint, qui regnant, vnde Seneca in Thyeſte:

Rationes huius opinionis.

Vt nemo fraudes doceat, & ſceleris viam,
Regnum docebit.

In his & eiuſmodi ſententijs alijs quidam Pſeudopolitici magna Reip. regendæ arcana latere dicunt, & Religionem propterea rationi ſtatus poſtponunt. Prauæ autem

autem illæ ſunt ſubtilium nimis ingeniorum regulæ. Nam ſi rectè cenſebat Cyrus, *non conuenire cuiquam imperium, qui non melior eſſet ijs, quibus imperaret* teſte Xenoph. lib. 19. certè eam Religionis, Pietatis, & omnis virtutis rationem habere debent Reges, vt cæteris ſint meliores. Deinde cùm certum ſit à Deo Reges

Teſtimonia.

conſtitui, dicit enim Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, per me Principes, imperant,* quantum eſſet ſcelus eius cultum negligere pro Imperij conſeruatione, ad quod ſine eius auxilio peruenire numquam potuiſſent. Datur præceptum Regibus pro Regni initio Deuteron. 17. cap. *Poſtquam ſederit in ſolio Regni ſui deſcribat ſibi Deuteronomium legis huius in volumine accipiens, exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetq́; illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum.* Quis neſcit victorias, quibus Reſp. conſeruatur ab hoſtibus à Deo, non ab hominibus eſſe? *Non eſt difficile Domino,* vt dicitur lib. 1. Regum cap. 14. *ſaluare vel in multis, vel in paucis.* Illi ipſi qui Religionem nullam habent, vt populum regant, aliquam ſibi, ſaltem ſuperſtitionem fingunt. Quippè, vt ait Curtius lib. 4. *Nulla res efficacius multitudinem regit, quam ſuperſtitio.* Expreſſit hoc Ariſtoteles lib. V. Polit. *Minus iniuſti,* inquit, *aliquid ſperant ab eo Principe, quem præter cæteros Religioſum & Dei amantem vident; & minus ei aduerſantur inſidianturq́;, quem à Diuino Numine protectum defenſumq́; iri credunt.* Vbi etiam ſubditi ſunt boni, verum eſt illud Plauti in *Mil. Facile Imperium eſt in bonos: peſſimus autem quiſque aſperrimè rectorem patitur,* vt ait Saluſtius ad Cæſarem. Addo illud Claudiani, vt alia omittam, lib. 3. de Stilic.

——Nuſquam libertas gratior extat
Quam ſub Rege pio.

Non igitur ſeruire Politiæ Religio debet, eique accommodari, ſed ipſa omnis Politici ſtatus eſt fundamentum.

CAPVT V.

Chriſtianam Religionem ad Reipublicæ felicitatem ſolam facere.

Sola Chriſtiana Religio facit, vt Reſp. ſit felix.

PORrò cùm in eo potiſſimùm ſita ſit omnis Reipublicæ felicitas, vt qui præſunt, iuſtè imperent, & qui ſubſunt fideliter obediant, Chriſtiana Religio vtriſque officium præſcribit, & ſacro quodam timore in officio continet. Deinde Iuuentutem Reipublicæ ſeminarium, melioribus imbuit diſciplinis, omneſque ciues quâdam inter ſe charitate vnit & lege ligat. Nec tantùm in ea eſt fidei vnitas, verùm etiam animorum. Nihil autem Reipub. vtilius vnitate. Atque hinc more receptum eſt in Principum Chriſtianorum inauguratione, vt quo tempore ſacris Sacerdos operatur, coronam accipiant, ſeque retinendæ conſeruandæque Chriſtianæ Religionis iuramento obſtringant, & ſi ſecus faxint, caput deuoueant. Nec obſcurum ex Hiſtorijs Deum in eos animaduertiſſe, qui Chriſtianæ Religionis ſacrorum deſertores fuerunt; ijs verò fauiſſe, qui ea impensè coluerunt. Hæc quippe diuini Numinis amorem ſimul & terrorem hominum animis inſtillat, pietatem præcipit, Chriſtiani hominis officiorum rationes docet, prauis affectionibus legem ponit, & illam, quod libeat quidduis faciendi libertatem Rebuſpublicis admodum noxiam, reſtringit, vt omninò viri boni eſſe debeant, qui Chriſtianè viuunt.

Teſtimonia & Exempla.

NEmo mentis ſanæ non affirmauerit vnam Catholicam eſſe Romanamque Religionem, quæ Principatus conſeruationi, Reipublicæque tranquillitati potiſſimùm conducit. Quippè ſola ipſa eſt à Deo; alias, quæcumque eæ ſunt, aut hominum ſcelus, aut ambitio, aut præſtigiæ Dæmonum introduxerunt. Deinde qui Catholicæ Religionis ſacra ſuſceperunt, ij obediendo opitulandoque fortunas ſuas & animos totos ſubmittunt; ſacra volumina, Eccleſiæ le-

ges, ſanctiſſimorum Interpretum Commentarij ad pacem, concordiam, mutuum amorem ducunt, odium vitiorum & virtutis ſtudium infundunt; denique ad pietatem & cæterarum virtutum exercitia trahunt. Docet hæc Religio omnem iniuriam dilectionis officio ſuperare, decimas Eccleſiæ, tributa & vectigalia Principibus perſoluere, iniurioſis libenter ignoſcere, cum offenſis in gratiam redire, pro maleficijs beneficia quandoque reponere, res ablatas reſtituere, liberalem egenis manum porrigere, Magiſtratibus obtemperare, & ſuperiores omnes venerari. Cætera quæ ab hac Religione ſunt, eam ad Reip. ſtabilitatem eſſe aptiſſimam declarant. Tradit Baronius Tomo 8. Heraclium Imperatorem, quamdiu Catholicæ Religionis cultor extitit, expertum eſſe Deum Romani Imperij vindicem & defenſorem; at verò vbi ab hac Religione ad Eutychianos deflexit, deſtitutum à Deo fuiſſe, non ſine ingenti totius Orientis Imperij domno. D. autem Ambroſius in Prolog. lib. 1. de Spiritu Sancto, ait, idem Orientale Imperium ante Heraclij tempora, dum varijs Donatiſtarum, Arianorum, & Sabellianorum hæreſibus vexaretur, pene collapſum fuiſſe, donec ſalutaribus Gratiani & Theodoſij Imperatorum Conſtitutionibus expulſi ſunt hæretici. Neque alia tandem euerſionis Imperij Orientalis cauſa fuit, quam hæreſis, propter quam tranſlatum ad Carolum Magnum Imperium fuit, vt teſtis eſt Eginhartus in eius vita. Manifeſtum verò eſt probatæ huius Religionis indicium, quod quid ab eâ receſſerunt plurimi Imperatores & Reges diuinæ vltionis vim ſenſerunt, vt Conſtantinus igne ſacro percuſſus, Iulianus incertâ ſagittâ confoſſus, Valens ab hoſtibus concrematus, Zeno viuus ſepultus; Baſiliſcus fame cum liberis & vxore interijt, Anaſtaſius fulmine ambuſtus, Conſtans à ſeruo in balneo necatus, Philippicus à Senatoribus Imperio & luminibus priuatus; Arnolphus pediculari morbo extinctus. De quibus & pluribus alijs fidem Hiſtorici illi faciunt, qui eorum vitas conſcripſerunt. E contrà felices extiterunt, qui Catholicam Religionem acriter propugnauerunt, quique ex Hiſtorijs ſingularum Gentium ſunt noti. Vbi Hæreſis eſt, vix tranquillam videre Remp. eſt. Dominari omnes volunt, & in Dominos fiunt rebelles & truculenti. Vbi dominantur infinitis vectigalibus bona multorum expilant, firmioremque Reip. partem mœrore & inediâ conficiunt. Cùmque ad cruda certamina & Martem aſſiduò contendant, vt ſuum ſplendorem nimis confidentes augeant, exhauſtis ærarijs & patriâ deuaſtatâ in pauperiem relabuntur; quæ omnia ciuilibus conſilijs ſunt inimiciſſima. Præterea ſummam rei Eccleſiaſticæ curam & Religionis ad ſuum Conſilium ſpectare volunt: vnde fit, vt quæ iam multis ſæculis conſtituta in rebus ſacris fuerunt, ipſi facilè infringant & peſſumdent. Deinde cùm multiplices habeant ſenſus, nihil fixi ſolidique conſtituunt, ac tantùm inter ſe diſſident. Accedit, quod cum tradant Principum ſtatuta ſubditorum conſcientias non obſtringere, omnem obedientiam Principibus debitam labefactent; & cùm doceant hominē per virtutum opera nihil mereri, pariter reprimunt omnem impetum boni conſilij, & honeſtarum omnium actionum occaſionem.

Exempla.

Cauſa euerſionis Imperij Orientalis.

CAPVT VI.

An ſit Religioſi Pijq; Principis peccantes in Religione, & Hæreticos punire.

Aliqui priuatim ſunt hæretici. Hi primùm monendi & docendi. Si non emendentur, puniendi.

DVo ſunt hominum malè de Religione ſentientium genera. Vnum eorum, qui priuatim prauâ imbuti opinione, ſecus, quàm deberent, de Deo, Religione, receptiſque publicè ſacris ſentiunt, & cum cæteris diſſimulantes Reipublicæ tranquillitatem non turbant. Hi ſibi, non alijs, nocent. Admonendi verò inprimis, vt impiam mutent opinionem, cohortationibuſque virorum eruditorum ducendi ſunt & docendi. Si obſtinatis animis veritatem non admittant, minax terror emendationem extorqueat; & quod cohortatio quieta non poteſt, ſeuera obtineat

tineat animaduerſio. Etſi enim lateat hoc malum, ſerpet tamen tandem longiùs,& Rempublicam inficiet,niſi extinguatur. Quippe hæc huius mali natura eſt; non agere tantùm radices, ſed pullulare. Nemo quippe hæreticus ſentire tantùm & opinari contentus eſt, ſuam etiam in perſuaſionem pertrahat alios oportet. Luxurians malum eſt hæreſis, & ſub blanditijs aliquando, ſoloque riſu propagatur. Alterum genus eſt eorum, qui non contenti malè de Deo Religioniſque ſacris ſentire,alios ad ſentiendum ſecum per turbas ac ſeditiones impellunt. Hi non ſibi tantùm,ſed Reipublicæ nocent, & eius ſtatum conuellunt, proindeque à Regibus puniendi, aut ipſi à Deo Reges punientur. Et cùm pernitioſum eorum dogma Reipublicæ tollat vnitatem, Ciuiumque animos diuidat, pereant ipſi potiùs quàm Reipublicæ vnitas diſſoluatur. In omnium iniuriam fertur,quod in diuinam Religionem committitur. Semper verò prudens Princeps in tempora inſpiciat, ne immaturam adhibeat medicinam, & remedio ipſo malum accendat. Sanè ſi ſine graui Reipublicæ malo coërceri homines illi non poſſint, expectanda occaſio eſt, & nonnihil conniuendum. Alias non ferendi.

Alij publicè peccant.
Hi ſtatim puniendi.
Attendendum ad tempora.

Teſtimonia & Exempla.

PVniendi hic declarantur, qui publicè peccant in Religione, ſi tempus animaduerſionem ſaluâ Reip. tranquillitate patiatur. Secùs ſi priuatim ſint hæretici, qui tum monendi, & ſi duci non poſſint puniendi. Cyprianus de vtilitate pœnitentiæ, *Puniantur*, inquit, *à te, ne tu pro illis puniaris. Quare melius eſt, vt pereat vnus, quàm vt pereat vnitas*, vt ait D. Auguſt. Cauſa redditur l. 4. Cod. Iuſt. de Hæret. *quia quod in Religionem Diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.* Et in l. 6. C. de ſumma Trinit. ita edicit: *Nullus Hæreticis miniſteriorum locus, nullam ad exercendam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiamſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem elicito ab huiuſmodi hominum genere impetratum ſit, non valere. Arceantur* &c. Omnium Principum vox eſſe debet, illa vox Gratiani, Valentiniani, Theodoſij, Cod. de ſumma Trinitate: *Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus Religione verſari, quam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat.* Tertullianus de refractarijs hæreticis: *Ad officium*, inquit, *hæreticos compelli, non illici, dignum eſt: duritia vincenda eſt, non ſuadenda hæreſis.* D. Auguſt. epiſt. ad Bonif. *Melius quidem eſſe quis dubitauerit, ad Deum colendum homines doctrinâ duci, quam timore pœnæ, vel dolore compelli. Sed non, quia iſti meliores ſunt, ideo illi, qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Melius enim profuit priùs timore vel dolore cogi, vt poſſint poſtea doceri, aut quod iam verbis didicerunt, opere ſectari.* Apud Athemenſes, vt teſtis eſt Ioſephus lib. 2. contra Appionem, *qui verbulum modò effarentur præter leges de Dijs receptas, ſine vllâ veniâ puniebantur.* Eodem teſte, Iudæi olim, quorum tunc erat Religio optima, ita duri erant, vt nec cohabitationem admitterent cuiuſquam à patriâ Religione diſſidentis. Driopes Athenienſis legem tulit, quâ capitale cenſebatur eſſe, de Deo non rectè ſentire, ſiue de Religione nouos ritus adferre. Quod etiam Iuſtinianus aduerſus Manichæos ſanxit. Apud Romanos Mæcenas ita ad Cæſarem Auguſtum ſcripſit: *Eos, qui in diuinis aliquid innouant, odio habe & coërce, non Deorum ſolùm cauſa, ſed quia quædam noua Numina hi introducentes multos impellunt ad mutationem rerum; vnde coniurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt, res profectò minimè conducibiles Principatui.* Theodoſius Iunior Concilij Epheſini authoritate damnatum Neſtorium pulſum ex oriente exilio relegauit ad Oaſim, vbi tabefactis membris diuinâ manu percuſſus, maximeque linguâ conſumptâ, interijt. Valentinianus & Theodoſ. Impp. præter exilium, capitalem etiam pœnam promulgarunt contra Manichæos, l. 3. Cod. de Hæret. & Manich. Rectè ergò D. Auguſt. lib. 2. contra lit. Petil. Tom. 7. cap. 82. *Ad fidem quidem nullus eſt cogendus inuitus, ſed per ſeueritatem, imò & per miſericordiam Dei tribulationum flagellis ſolet perfidia caſtigari.* Quod ſi qui ſint, qui priuatim tantùm peccent, non rectè ſentiendo, duci paulatim debent, non ſtatim ſeuerè cogendi, ſi quieta ſint tempora, donec fiant obſtinati. Cogitandum illud Bernardi, *Fides ſuadenda eſt, non imperanda. Quid enim*, inquit Lactantius

Teſtimonium Cypriani. — *Edictum Theod.* — *Tertulliani.* — *Exempla.*

tius lib.V.cap.XIV. *imponat mihi neceſſitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi? Mentium Rex Deus eſt*, ait Auguſt. in Ioannem. Ideoque Rex *aut Princeps alius, non perinde animu imperare poteſt, ac linguis*, vt ait Curtius lib.8.

CAPVT VII.

An Reges, & Principes pati in Rep. Hæreticos non debeant, cùm quiete viuunt.

Quietè viuere hæretici non poſſunt, ideò non ferendi.

NAturâ ſuperbi ſeditioſiſque ſunt Hæretici, quietè viuere non poſſunt; turbas agant & alios opprimant, ſi poſſint, neceſſe eſt. Quieſcere tunc tantum ſciunt, cùm turbare non poſſunt, aut quia viribus deſtituti, aut quia occaſio non fauet. Vinci debent, aut vincent. Quamdiu impares ſunt, ſupplicant Regibus, benignitatem eorum extollunt, vota pro ijs ſuſcipiunt, & ſummâ pietate fraudes ſuas tegunt. Vbi intereà creuêre vires, Reges & Rempublicam inuadunt, nemini parcunt. Nihil crudelius Hæretico, cuius pietas fucus eſt, doctrina ſcelus, facinus crudelitas. Multos decipiunt Reges conſilia quorundam Politica, vt vocant, quaſi ad Reipublicæ tranquillitatem ſatiùs eſſet Dei & Religionis hoſtes, quàm Religionem fouere. Multos non raro Principes luctuoſa calamitas inuoluit, quod Hæreticos paſſi in terris ſuis fuiſſent: nec tulit quiſquam, nec feret vnquam impunè. Monſtrum eſt, quiſquis Hæriticus eſt, ſeruire neſcit, obedire non cupit; & cùm omne Regnum oderit, libertatem eam quærit, quâ & hominum & Dei iugum non ferat. Atque ita fit, vt vbi hæreſis eſt, ibi ratio & Deus eſſe non poſſint. Sectam illam igitur Reges exterminent, & ſimulatæ quieti non fidant. Quod ſuis viribus conſequi hæreſis non poteſt, excidio patriæ quæret. Si quis Optimatum Regi, ſi filius parenti iraſcitur, ad ſectam illam, tanquam ad Aſylum fucatâ profeſſione ſecedit. Et vbi aut virgines, aut viros ſacris initiatos caſtitatis ſuæ tædet, inceſtarum mercede nuptiarum ad Hæreticos tranſeunt. Quibus exemplis imperitum vulgus labefactatur, & de Deo Religioneque aut dubitat, aut nihil credit. Inde Reip. pernicies. Optandum ſanè eſſet, vt quietè viuerent, ſed cum Regum patientiam pro imbecillitate contemptim accipiant, & ſua facinora tumultibus ac ſeditionibus aſſerere ſoleant; ſi ita tempus ferat, pia eſt in illos ſeueritas. Si ferro turbiſque abſtineant, & ſe haberi patiantur, tunc ſanè pax melior eſt, ducantur & doceantur.

Videndum tamen quid tempus exigat.

Teſtimonia & Exempla.

AManda quies, ſed cùm illam ſeruare hæretici non ſciant, vix eos etiam in quiete ferre patique fas eſt. In Hiſpaniâ in Concilio VI. Toletano anno 638. decretum fuit, vt quiſquis ſuccedentium temporum Regni ſortiretur apicem, non ante cōſcenderet regiam ſedem, quam inter reliqua conditionum ſacramenta polliceretur, nullum ſe non Catholicum permiſſurum in Regno ſuo degere. Si verò poſtquam ad Regni gubernacula acceſſiſſet, huius ipſe temerator exiſteret promiſſi, eſſet anathema in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni. Arcadio Imperatori ſuadebat olim D. Chriſoſtomus, vt *mallet Imperij iacturam facere, quam Gayne Duci templum pro Arianis Conſtantinopoli indulgere. Quemadmodum* inquiebat, *ô Imperator, ſi quis coronæ tuæ pretioſis & fulgentibus gemmis micanti, vitri partes aut viles lapillos admiſceat, pretium & ſplendorem minuet; ita ſi in eadem Eccleſiâ Catholicis Hæreticos coniunxerit, quos vel errorem recognoſcere, vel ciuitate exturbari oporteat, fulgentem eiuſdem coronam vitiauerit.* Ita refert Coſomenus

Decretum Hiſpaniæ in Conc. Tolent.

Auth. D. Chriſoſtomi.

menus lib. 8. cap. 4. Diuus Ludouicus Galliæ Rex filio Regni ſucceſſori cùm morti proximus eſſet, hoc potiſſimùm mandauit, vt hæreticos & Schiſmaticos è Gallia extirparet, vt legere eſt apud Nauclerum. In veteri lege pij omnes & chari Deo Reges Idololatriam, & quicquid veræ Religioni aduerſabatur, diligenter propulſarunt. Leo Pontifex epiſtola 76. Anatholium Epiſcopum Conſtantinopolitanum acriter reprehendit, quod pernitioſa quadam patientiâ hæreticos toleraret; admonet verò vt à Principe poſcat opem ad eos comprimendos. *Illud ſanè*, inquit, *plurimum mihi diſplicere ſignifico, quod inter dilectionis tuæ Clericos, quidam eſſe dicuntur, qui aduerſariorum conniueant prauitati, & vaſa iræ vaſis miſericordiæ miſceantur, quibus inueſtigandis & ſeueritate congruâ coërcendis debet diligentia tua diligenter inſiſtere &c.* Clodouæus Francorum Rex ſimulatque Baptiſmi ſacramento initiatus fuit Rexque conſecratus ſubditis ſuis declarauit, ferre ſe non poſſe, vt Galliæ partem Wiſigothi Arriani liberè poſſiderent. Quare bello aduerſus eos ſuſcepto prælijs ſecundis vſus eos Galliæ finibus expulit, vt Galliæ teſtantur Annales. Carebat equidem Leo Imperator omni hæreticæ prauitatis contagione, quia tamen hæreticos non cauit, & indulgentius cum ipſis egit, & Zenonem ſibi generum, Imperijque admiſtratorem cooptauit, minùs meruit à poſteris laudari, præſertim cum eiuſmodi hominum contubernio Romanum propemodum perdiderit Imperium, vt refert Baronius Tom.6. anno Chriſti 474. Præclarum verò illud propoſitum Iouiani Imperatoris, cui cùm poſt mortem Iuliani Apoſtatæ delatum eſſet ſummâ militum voluntate Imperium, animaduerteret autem plurimos eſſe hæreticos. *Non poſſum*, inquit, *cùm ſim Chriſtianus eiuſmodi hominibus imperare, nec regere Iuliani exercitum, qui tam peſtifera doctrinæ præceptis imbutus ſit.* Teſtis eſt Theodoretus lib. 4. cap. 1. Nec ante Iouianus Imperij habenas ſuſcepit, quàm milites ſe identidem Chriſtianos eſſe acclamarent. Ita pij probique Principes ferre omninò patique in Rep. ſuâ Hæreticos non volunt; id ne faciant comprehenſæ hoc capite rationes perſuadent.

Exemplum Leonis Pontif.

Clodouæi Regis.

Iouiani.

CAPVT VIII.

An Pietas poſſit Principem populo conciliare.

NOn exiguum ſanè Principatus arcanum eſt in Pietate. Cùm enim virtutes aliæ adminiſtrationis multum, tum hæc amoris meretur plurimum, & populi beneuolentiam conciliat. Quippè libertas nuſquam gratior exſtat, quàm ſub Rege Pio; qui quia talis eſt, faciles habet, obſequioſos, & amantiſſimos ſui ſubditos. Hi enim, cùm viuum pietatis exemplum Principem eſſe animaduertunt, fiunt & ipſi pij beneque morati. Exemplo quippè potiùs, quàm Imperio trahuntur. At verò, ſit ita pius ac Religioſus Princeps, vt prouidus ſimul ſit & prudens; alioquin ſtatim adſunt adulatores, & teterrimi quique blaterones, qui Principis pietate facilitateque abutentes, omnia diuina, & humana paſſim venalia habent.

Pietas populi beneuolentiam Principi conciliat.

Sed ſit prudens pietas.

Teſtimonia & Exempla.

DVplex pietatis Principum eſt emolumentum, conciliatio amoris ſubditorum, & morum inſtructio. Quod attinet ad primum, teſtis eſt Valerius Maximus lib. V. cap. I V. *Cætera virtutes admirationis tantummodò multum, pietas verò etiam amoris meretur plurimum*; facit etiam huc illud ſæpè citatum Claudiani 3. in Stiliconem:

Teſtimonia.

——*Nuſquam libertas gratior exſtat,*
Quam ſub Rege pio.

Ideò Alphonſus Aragonum Rex magnifaciendos eos Principes dicebat, *Qui pietatem cum iuſtitia colerent, quod eorum Imperium æquo om*[illegible]*mo paterentur, & vltro ſeſe illis ſub*[illegible]. Ita Panormitanus De rebus geſtis [illegible]phonſi. Nec aliam ob cauſam Theodoſius moriens filijs ſuis manda-

ma. da'iat, vt pietatem integram ſeruarent, quibus fore aſſeuerabat, vt pacem hab·rent bellaque ſepirent, vt refert Niceph. lib. 13. cap. 1. Requirimus autem cum hac Principis pietate prudentiam & induſtriam. Nam, vt idem ait Nicephorus lib. 4. *Ille qui in vna Dei cognitione omnes cogitationes ponit, huic montes & ſpeluncæ conueniunt: at qui cum virtute & pietate ciuilem etiam viuendi rationem edidicit, & notitiam ſibi comparauit, rerum variarum, ille verò populum ducere ad optima idoneus eſt.* Henricus Secundus Galliæ Rex pietate & naturæ bonitate omnes ferè Reges ſuperauit. Talis fuit etiam in eodem Regno Carolus cognomento ſimplex; at verò ſub vtroque ſtatus Regni Gallici penè euerſus fuit, vt teſtatur Bodinus de Rep. cap. 4. Inde impoſita ſolito grauiora tributa, vendita officia & beneficia Eccleſiæ Reipublicæque, & in quadraginta duobus millionibus, vt nunc loquimur, ſub Henrico II. quæſtorius ordo obſtrictus. Henricus III. Caſtellæ Rex tantam initio Regni pietatis ſpeciem præ ſe tulit, vt Regum omnium præſtantiſſimus futurus putaretur, ſed cum poſtea nulla in eo prudentia appareret, de Regia dignitate deiectus eſt, & in eius locum inuſitatæ prudentiæ mulier Eliſabetha Ferdinandi V. Regis vxor eſt ſurrogata. Quod ad alterum nunc ſpectat, cùm veriſſimum ſit, quod dicit Paterculus lib. 2. *Rectè facere ciues ſuos optimum Principem faciendo docere*; & quia, teſte Plinio, in Paneg. *Vita Principis cenſura eſt eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam Imperio nobis opus eſt, quam exemplo*, Ideò ad exemplum pij Principis, fiunt quoque pij ſubditi. Et quid ni, *cùm oporteat Principem moribus Imperium docere*, vt ait Pittacus apud Stobæum Vnde Baſilius Imperator ad filium ſuum dicebat, *quâ fronte eos, qui tuæ dominationi ſubiecti ſunt ad pudicitiam cæteraſque virtutes ſeruandas cohortaberis, ſi eas non ſeruaueris?* ſolent ad exemplum Principis mutari ſubiecti. Quippè *Boni Principis vita probitatis quædam eſt praſcriptio*, ait Egeſippus lib. 2. De excidio Hieroſ. cap. 5.

Exempla

Exemplū Principis morum inſtructio eſt.

CAPVT IX.

Quibus in rebus eluceat potiſſimùm Principis pietas?

Varijs in rebus pietas elucet.

INprimis ſi diuinis ipſe interſit officijs, atque etiam publicis cum populo: nec in Palatio tantùm ſuo, ſed & in Principe vrbis Regiæ templo, & in alijs, ſi occaſio ferat, quandoque.

II. Si cùm arduum aliquid pro ſalute Reipublicæ aggreditur, diuini Numinis opem publicis ſacrificijs imploret; & cum ſucceſſu proſpero lætatur, gratias publicâ itidem debitæ pietatis cæremoniâ agat.

III. Si indictis pro more Eccleſiæ ſupplicationibus interſit aliquando, & peregrinationes ad loca Diuis ſacra nonnunquam ſuſcipiat.

IV. Si Hæreticos Eccleſiæ hoſtes inſenſiſſimos è Regno exterminet; Magos & Sagas, qui diuinos honores Deo ſubtrahunt, & Dæmonibus tribuunt, non patiatur, iuſtoque ſupplicio mactet.

V. Si calumniatores in Deum iniurioſos & blaſphemos, qui diuinis nominibus per ſummam iniuriam abutuntur, ac conſuetudine deteſtandâ diuinæ Maieſtati conuitium, & ſi quid atrocius, irrogant, ſeueriſſimâ animaduerſione coërceat.

VI. Si feſtos ſacroſque dies ſummâ ab omnibus pietate coli curet, ita vt non tantùm commercia & exercitia quæſtuoſa ceſſent, ſed etiam ludi & ſpectacula, commeſſationes, Aleatorum conuenticula, & eiuſmodi, quæ à diui[illegible] cultu homines abducunt, recreationes.

VII. Si oper[illegible]det, vt Eccleſiaſticis Magiſtratibus de perſonis idoneis prouideatur, [illegible]gulæ in ſuo officio caſtè ſanctèque verſentur: decens ſit templorum apparatus, & omnium ingens pietatis ardor & feruor.

VIII. Si

VIII. Si noua delubra ſacraſque ædes pro ſua munificentia exſtruat; Religioſorum virorum aut Virginum Domicilia ædificet; Eccleſiaſticorum, vbi opus eſt, annuos reditus & cenſus augeat.

Varia pietatis exercitia Exemplis confirmata.

I. IN frequentando ſacro Miſſæ officio. Carolus V. Imperator numquam elabi diem, etiam in medijs caſtris aut mari ſinebat, quin auguſtiſſimo huic ſacrificio intereſſet. Ita teſtantur, qui de rebus eius geſtis ſcripſerunt. Idem legitur de Eduardo Angliæ, & Ludouico Galliæ Regibus. Wenceſlaus autem Bohemiæ Rex, qui inter ſanctos eſt relatus, non tantùm huic ſacrificio quotidie interat, ſed etiam meſſis & vindemiæ tempore, quaſi dignitatis ſuæ oblitus, ea ipſe colligebat & Sacerdotibus offerat, quæ pro ſacrificio neceſſaria videbantur. Sanctus Elzearius Comes id agebat, vt tota Aulæ ſuæ familia nullo vmquam die huic ſacrificio intereſſe omitteret. Celeberrimi ab hac pietate ſunt hoc tempore Auſtriaci omnes Principes, & verò etiam quicumque ferè Catholici in Europâ Reges glorioſo apud ſubditos exemplo.

Exempla pro ſacrificio frequentando.

II. In ope diuinâ pro rebus arduis implorandâ. Ethnici Principes Romanorum cùm crederent Diuinæ Maieſtatis nutu rerum omnium euentus regi, pacis belliq́ue conſilia ad ipſam referebant, nec quicquam, niſi conſultis auguribus, aggrediebantur. Bello gerendo penè magis ſacrificijs, quam armis expediendis erant intenti. Vnde cùm ſacrificanti Numæ quidem diceret, *bellum, ô Rex, contra te hoſtes comparant*; *at ego*, *inquit ille ridens*, *ſacrifico*. Seneca epiſtola 74. *ſine Deo*, ait, nemo vir eſſe bonus poteſt, nec poteſt quiſquam ſupra fortunam exſurgere, niſi à Deo adiutus fuerit. Pius hodie multorum Principum mos eſt, vt multorum preces exquirant, ſacrificia plurima & ſupplicationes indicant, cùm aggredi grauioris momenti rem aliquam volunt.

Pro diuino auxilio poſtulando.

III. In publicis ſupplicationibus & Peregrinationibus. Hoc Catholicorum huius temporis Principum exemplo clarum eſt. Celebris eſt hac pietate Rodolphus primus Imperator, & poſt illum hæreditariâ quadam Religione Auſtriaci Archiduces, quorum plurimi, ita ſupplicationibus interſunt, vt cæreas candelas præferant, aut eiuſmodi aliud ſummæ ſubmiſſionis officium exhibeant. Conſtantinus Imperator, vt eſt apud Baronium Tomo 11. anno 1065. cum infeſti eſſent imperio Vſi, frequentes ſupplicationes populo indixit, ipſeq́ue pedes magno pietatis exemplo inceſſit. Theodoſius autem Imperator Eudoxiam vxorem Hieroſolimam miſit, vt ſuſcepta ſancta peregrinatione loca ſacra viſitaret, & ornaret munificentiâ ſuâ, vt ſcribit Socrates ſcriptor Eccleſiaſticus lib. 7. cap. 46.

Pro ſupplicationibus frequentandis.

IV. In exterminandis Hereticis & Magis, quà de re ad Caput 6. & 7. diximus,

V. In puniendi blaſphemis & calumniatoribus. Ludouicus XI. Franciæ Rex eorum linguas cauterio inuri curabat, vel etiam frontes; & ſi reſipere nollent, morte afficiebat, paratumq́ue ſe eſſe dicebat, idipſum in ſe pati, ſi patiendo blaſphemos omnes proſcribere Regno poſſet. Ita refert Petrus Primandaius in Academiâ Gallicâ. Philippus ſecundus Rex & Imperator decernebat blaſphemos mergi in fluuium aut paludem citra mortem tamen. Philippus Valeſius decreuit blaſphemum publicè exponi factâ omnibus poteſtate in eum ſordes conijciendi. Si rebaberetur findi iubebat labium ſuperius, & tertio inferius. Alij Principes & Imperatores hoc crimen puniri grauiſſimè iuſſerunt; nec immeritò, cùm ipſe Deus grauiſſimâ mortis pœnâ non rarò in blaſphemos animaduertat, vt in Holofernem, Anthiochum, Nabuchodonoſorem, & alios.

Pœnæ variæ blaſphemorum &c.

VI. In feſtis diebus celebrandis. Quippè Principum eſt publicum diuinæ Maieſtatis cultum tueri. Vide Vincentij Speculum exemplorum.

De feſtis.

VII. In idoneis ad beneficia Eccleſiaſtica perſonis conſtituendis. Ideò enim eiuſmodi perſonarum præſentationem Principibus Eccleſia relinquit, vt eorum patrocinium amplius excitet. Plurimum verò intereſt, vt idoneæ in Eccleſiâ ſint perſonæ.

De perſonis Eccleſiaſticis.

VIII. In templis extruendis. Conſtantinus Magnus Rex octiduo baptizatus depoſito diademate purpurâq́ue primus ligone terram aperuit ad iacienda Baſilicæ Vaticanæ D. Petri fundamenta, vt habet Baron. Tom. 3. Carolus Ma-

De templis.

gnus templis & monaſterijs exſtructis eſt celeberrimus, inter quæ eſt illud Deiparæ Virginis Aquiſgrani vt Eginhardus in eius vita teſtatur. Luitprandus Longobardorum Rex Papiæ plurima templa, additis præſidijs ingentibus, exſtruxit, & ædes ſacras toto Regno collapſas reſtaurauit, vt refert Bergomenſis lib. X. Idem fecit in Hiſpaniâ Alphonſus poſt ejectos Mauros, indeque appellatus à Regni Proceribus eſt Catholicus. Plures alij ſunt.

TITVLVS XII.

De Iuſtitia Regia.

CAPVT I.

An Iuſtitia ſit virtus Regia?

Iuſtitia Regia virtus eſt.

NON vi aut metu, ſed Iuſtitiâ Reſpublicæ retinentur, & ab hac perpetuæ commendationis eſt fundamentum. Itaque Regum virtus eſt Iuſtitia, quæ quamdiu coletur, tamdiu florens futurum eſt Regnum. Ipſi Reges non aliâ, quàm Iuſtitiæ inter homines ſtabiliendæ causâ ſunt in eo faſtigio conſtituti. Adeò vt, vbi Iuſtitiæ neglectus eſt, non Regnum ſit, ſed latrocinium. Illam cùm Principes ſubditis adminiſtrant, Dei ſunt in terris vicarij, & ad illum quàm proximè accedunt. Hæc enim eſt, quæ Reges eos facit, & tam auguſto nomine dignos: hac ſi careant, Tyranni ſunt, & ad Patriæ perniciem nati, eorumque Regnum aſtutijs tantùm, fraudibus, & diſſimulationibus ſubnixum tamdiu durat, quamdiu illæ ignorantur. Vbi innotuerunt, ſupereſt, vt minis & ſæuitiâ ſeſe tueantur. Inde ſubditorum odium, & mox eorum exitium.

Sine eâ ſtare regna non poſſunt.

Teſtimonia & Exempla.

ILLVD Salomonis Proverb. 16. probat: *Iuſtitiâ firmatur ſolium.* Accedit Cic. de Rep. 2. *Sine ſumma Iuſtitia Remp. regi non poſſe.* Imò, inquit Plutarchus lib. De doctrina Principis, *abſque iuſtitia Principatum ipſum ne Iouem quidem texere poſſe.* Valentinianus Imp. vt tradit Zonaras lib. 3. ſubinde dicebat *à Principe inprimis Iuſtitiæ curam flagitari.* Hinc Almanſor Rex Africæ & Hiſpaniæ dicere ſolebat, *Regem ſine Iuſtitiâ eſſe nubem ſine pluuia.* Eius throno inſcripta erant hæc verba, *Iuſtitia primum in Rege locum tenet.* Quod non tantùm dixit, verum etiam facto expreſſit. Philippus Herodis Antipæ frater, quem palatio ſuo egredientem ſemper ſella ſequebatur, in qua, ſi opus in occurſu eſſet, cauſam cognoſceret & ius diceret. Alphonſus Aragoniæ & Siciliæ Rex Principes iuſtitiam non colentes ſimiles eſſe dicebat ijs, qui morbo cadunt comitiali, cùm Regiæ vitæ nutrimentum & quaſi cibus ſit iuſtitia. Omninò igitur Regum virtus eſt Iuſtitia, quorum eſt dicere, quod frequentiſſimè vſurpabat Ferdinandus Primus Imperator, *Fiat Iuſtitia, aut pereat mundus.*

Exempla.

CA-

CAPVT II.

Quodnam ſit Regiæ Iuſtitiæ munus, & in quibus conſiſtat.

IVſtitiæ proprium eſt munus, cuique quod ſuum eſt tribuere. Id tribus potiſſimùm in rebus cernitur. Primò in æqua præmiorum diſtributione. Præmiorum nomine honores, dignitates, & publicos Magiſtratus intelligo. Secundò in iuſta pœnarum ab improbis ac ſceleratis hominibus exactione. Tertiò in conſtituenda inter litigantes ac diſceptantes iuris æquitate. Equidem hodie pœnarum aliqua ratio, at præmiorum vix vlla habetur. Et parùm eſt omni virtute excellere, niſi aliunde commenderis. Adeò plus hominum commendationi, quàm virtutis excellentiæ tribuitur. Si quis tenuioris ſit fortunæ, quantumuis virtute præſtans, vix ad opes, aut dignitatem, aut gratiam aditum reperiet. Quod profectò quid aliud eſt, quàm vnam Iuſtitiæ partem negligere; cùm quemadmodum ob delictum ſupplicia ſolui debent, ita præmia ob virtutem? Sanè non minùs præmijs, quàm pœnis Reſpublicæ continentur. Et quanquam mali pœnis afficiantur, ſtare tamen Reſpublica diu non poteſt, niſi etiam præmijs, qui digni ſunt, donentur.

Iuſtitia eſt dare cuique ſuum. Triplex eius officium. In præmijs. In pœnis. In litibus decidendis. Vix hodie ratio meritorum habetur.

Teſtimonia & Authoritates.

TRiplex hic munus Iuſtitiæ aſſeritur, diſtribuere prœmia, punire malefactores, æquitatem inter litigantes aſſere. Hæc tria ex ratione iuſtitiæ ſunt. *Nec domus vlla, nec Reſp. ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent, nec ſupplicia peccatis*, vt ait Cic. de natura Deorum. His enim duabus rebus Remp. contineri Solon dicebat, vt refert Cicero in Bruto. Prœmiorum ac pœnarum comminatione peccata præcauentur, ſed vt ait Poëta

Neceſſitas iuſtitiæ.

——*Egregios inuitant præmia mores.*

Ipſa per ſe virtus amara atque aſpera eſt, ſi prœmium tollas, & ſi nullum ſit ſupplicium, nimia nequitiæ licentia eſt. Affirmant Bodinus lib. 5. de Rep. & Tholoſanus lib. X. nullos grauiores Ciuitatum motus, nullos frequentiores Rerump. interitus, quam prœmiorum & pœnarum neglectu contigiſſe. Interim tam neceſſe eſt, vt præclarè agentium copia ſuppetat, quam non malè agentium. Hinc Cæſar, vt habet Plutarchus in eius vita, diuitem ſe putauit, cùm multos fortes viros diuites reddidiſſet. Dici de Heroibus poteſt. quod Poëta de Poëtis,

Sint Mæcenates non deerunt Flacce Marones.

Quo ſenſu Petronius Arbiter in Satyrico ſuo dixit. *Noli mirari ſi pictura defecit, cum omnibus Dijs hominibuſque formoſior videatur auri maſſa, quàm quicquid Appelles Phidiaſue Græculi delirantes fecerunt.*

CAPVT III.

De Iuſtitia in honoribus diſtribuendis ſeruanda.

PRœmiorum pœnarumque iuſta diſtributio vera eſt humanæ ſocietatis diſciplina. Oculos igitur in hanc Iuſtitiæ partem Reges defigant, vt virtutem honoribus ornent, & præmijs merita compenſent. Cogitent non tam ſuas eſſe Regni opes, quàm Reipublicæ, ideóque in ijs diſtri-

Reges tenentur præmijs debitis merita compenſare.

diſtribuendis non ſequendum animi affectum, ſed rationis ductum ac legem, vt quantum quiſque de Republica aut Rege bene meritus fuerit, tantum ornetur. Sibi Rempublicam obſtrictam habet, qui de Rege bene meretur; caput enim Reipublicæ Rex eſt. Quicquid etiam Reip. bene fit, in Regis vtilitatem redundat. Porrò in honoribus ac præmijs diſtribuendis hæc Regibus ac Principibus ſunt obſeruanda.

Habenda ratio virtutu, non opum tantùm.

Inprimis vt virtutis ac meritorum ratio, non opum aut Nobilitatis tantùm hobeatur. Nam propter opes tantùm aliquem euehere, eſt illi cauſam, vt ſe inſolentius efferat, ampliores opes corradat, & ſuæ modum cupiditati nullum ponat, dare. Alicui etiam nullâ virtute egregio, ac tantùm illuſtri ſtirpe nato honores deferre, eſt virtutem ipſam dedecorare, & ignominiâ Maiores eius aſpergere. Cùm verò ſola virtus ac merita ſpectantur, ſpes oritur dignitatis obtinendæ in obſcuris, & metus honeſtatis amittendæ in Nobilibus. Atque ita fit, vt illi ad virtutem & præclara facinora excitentur; hi in familiæ ſuæ ſplendore per egregia facta conſeruando laborent, nec à maiorum virtute degenerent.

Nobiles virtutè præditi cæteris anteponantur.

II. Cùm in Nobilibus virtus erit, eos Princeps nouis & ignobilibus anteponet, miniſterio eorum vtetur, præmijs & honoribus afficiet, reque ipſâ, quanti illorùm ac Maiorum virtutem meritaque æſtimet, declarabit. Hoc modo Principi auctoritas, regno quies & ſalus comparatur. Quippè vix Nobilis eſt, qui ſe contemni patiatur, vel obſcuro poſtponi. Id ſi fiat, turbæ in Principem, in patriam clades eueniunt. Operæ pretium autem eſt, vt ſciat Princeps ex qua ſtirpe orti ſint, quibus ſint moribus, quo ſe modo gerant, & quæ facinora ediderint.

Nobiles flagitioſi ignobilibus poſtponantur ſi in his ſit virtus.

III. Si flagitioſi ſint Nobiles, nullo fauore aut gratiâ Principis ſunt cohoneſtandi: imò grauibus potiùs ſupplicijs plectendi, quod Maiorum claritatem dedecore conmaculent, & Reipublicæ perniciem ac vaſtitatem malis exemplis importent. Itaque in honoribus diſtribuendis poſtponantur illi pauperibus ac plebeis, qui virtute clari, manu & conſilio fortes, æquare aut ſuperare Nobiles alios contendunt. Iniuriam virtuti facit & Reipublicæ graue damnum infert, qui honores indignis dat, dignis negat.

Nihil tribuendum importunis precibus.

IV. Dabit operam Princeps, vt virtutis amore meritorumque conſideratione ad prœmium dandum impelli, non importunis verò ac negotioſis Candidatorum ſeu petentium precibus, videatur. Sunt enim permulti, qui importunis precibus ac negotioſâ quâdam contentione, quod meriti non ſunt, prœmium conſequuntur, alienique laboris ac meriti fructum percipiunt, dum non petunt tantùm, ſed vexant & quodammodo cogunt. Sanè qui generoſi ſunt ac veræ virtutis amantes, ſeruire meliùs & mereri norunt, quàm importunè mercedem extorquere. Viliſſimorum eſt hominum tot porrectis libellis ſupplicibus mercedem extrahere, Aulicos & Principum miniſtros ſequi, adorare, vrgere, verbo dicam, pudorem ponère.

Per ſeipſum det Princeps.

V. Princeps bene meritis per ſeipſum, non per miniſtros ſuos præmium conferat. . Vt nimirum qui accipit, acceptum Principi, non miniſtris eius ferat: & vt intelligant omnes Principem eſſe, qui præmia muneraque pro ſuo arbitrio vniuſcuiuſque virtuti diſpertiatur. Sic fiet, vt tot dona, quæ velut retia quædam tenduntur, ac miniſtris Aulicis offeruntur, parum ſanè ſint profutura.

Citò etiam & hilariter.

VI. Citò, hilari vultu, ac cum animi propenſione conferendum eſt munus, vt in munere benignitas & egregia Principis voluntas accipientis animum ampliùs obſtringat. Magnus etiam virtuti ſtimulus addetur, ſi

qui

Digitized by Google

qui munus à Principe accipit, intelligat illud ſe propter virtutem ſuam & merita accipere, non verò propter aliorum commendationem. Vix commendatio ſine fuco eſt. Meliùs ſanè cum Republica ageretur, ſi nulli commendarent, ac ſolùm merita inueſtigarentur.

Conſiderationes in conferendis honoribus.

PRœmiorum diſtributio conſiſtit in dandis Reip. Magiſtratibus, & certis alijs ordinibus. Huc pertinet cingulum militare, aureorum annulorum ius, variæ victorum coronæ, Equeſtrium ordinum ornamenta, vt aurei velleris in Burgundia, Equitum Sancti Michaëlis & Spiritus Sancti in Gallia, Garterij in Anglia. Pertinent huc etiam litteratæ militiæ prœmia, dignitates nimirum, tituli, & inſignia Honorum Academicorum, quorum omnium diſtribuendorum cauſa in virtute poſita eſt, quæ proinde antecedere, non ſequi debet. In eo enim diſcrimen eſt inter beneficium & prœmium, quod illud etiam immeritis, hoc verò non niſi benè merentibus exhibeatur. Nobilitatis autem largitio plurimorum etiam virtutem tamquam illuſtre prœmium excitauit. Regulæ pro hac diſtributione ponuntur hic aliquæ.

Ratio Virtutis habenda.

Prima, vt virtutis potiſſimum ratio habeatur, non nobilitatis tantum aut opum. Rectè enim dictum à Boëtio lib. 3. de Conſol. *Si quid eſt in nobilitate bonum, id eſſe ſolùm, vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent. Negligentiam præterea opes ac diuitiæ pariunt, pereundi perdendiq́ omnia deſiderium per luxum & libidinem inuehunt*, vt ait, Liuius lib. 1. Hinc Plato lib. 7. de Rep. dandam eſſe operam monet, vt qui vtiliter ac decenter Magiſtratu fungi debent, ſint diuites, bonis animi, ſapientiæ, & pietatis auro abundent. Plinius etiam lib. 14. queritur, quod Cenſus Magiſtratus, & equites faciat, cum ſit Sanctius & vtilius inquirere, non quale Patrimonium habeat Magiſtratus, ſed cuius exiſtimationis ſit, & quomodo ante actam vitam tranſegerit.

Virtus in nobilibus præferenda.

II. Nobiles virtute præditos cæteris eſſe anteferendos. Non ſine ratione, quippè rarò turpiter agunt, qui nobili loco ſunt nati; quoniam maiorum ſuorum laudem ſecum periclitari cernunt; quemadmodum paruam contra iacturam illi faciunt, cùm delinquunt, qui obſcuris parentibus nati ſunt ipſi quoque ignobiles, vt notat Patricius lib. 1. tit. 4. Sapiens Eccleſiaſt. X. cap. *Eſt malum*, inquit, *quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis; poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.* Reprehenſus olim fuit Antiochus Rex Syriæ, quod medicum ſuum ſuo Concilio præſidem adhiberet, vt habet Polybius lib. 3. Item Ludouicus XI. Franciæ Rex, quod Sutorem ſuum fecialem & internuntium fecerit, tonſorem Legatum, Medicum Cancellarium, teſte Bodino lib. 6. de Rep. Philippus Pulcher Galliæ Rex itidem cum quoſdam Longaretum & Marinianum obſcuros & flagitioſiſſimos homines ad ſummos honorum gradus euexiſſet, teſte Meiero lib. 11. & eos ſui Regni Nobilibus prætuliſſet, graues moleſtias & calamitates eſt paſſus. Nec aliunde pernities illa Petri Regis Caſtellæ fluxit, vt nonnulli auctores tradunt, quàm quod viliſſimos & abiectiſſimos homines in concilium adhiberet. Sed hac de re iterum lib. 3. tit. de Nobilibus.

Exempla eorum, qui inepti ad officia.

III. Vt ignobiles, in quibus eſt virtus, flagitioſis Nobilibus præferantur. Nimirum ſicut olim dicebat Hannibal, *qui hoſtem feriet, ille erit mihi Carthaginenſis*, ita dicere Princeps debet, *qui virtute excellet, factiſq́ & obſequijs promeruerit, in eum honores conferam.* Virtutis cultor prœmium virtuti debitum debet reportare.

Flagitioſi Nobiles repellendi.

IV. Vt nihil importunis precibus, ſed meritis tribuatur, hoc iuxta vulgare dictum, *quiſque factorum ſuorum filius eſt.* Vnde cùm quidam iuuenis ignauus poſtulauiſſet ab Antigono Rege, dari ſibi ſtipendium, quod patri pendebat Demetrius, reſpondit Antigonus, *Ego, inquit, ô Adoleſcens propriæ virtuti, non paternæ, mercedem & præmium do.* Nihil autem indignius eſt, quam Principem importunis precibus ad honores mandandos impelli.

Meritis tribuendi honores.

V. Vt Princeps per ſeipſum det. Ita enim fit, vt omnis corruptio ab Aulis tollatur, & omnes omnia Principi accepta ferant. Cum turbata Sidoniorum Reſp. Regem ab Alexandro Magno petijſſet, ei præter omnium opinionem Regem nominauit Abdolominium, qui ob mo-

piam ſuburbanum hortum exiguâ ſtipe colebat, virtutum interim ornamentis erat ornatiſſimus. Rogatus cauſam, *Ne quis*, inquit, *exiſtimet me non virtuti, ſed generi potentiæq́; Regnum tribuiſſe; atque vt is, qui ſceptrum accepit, intelligat ſe illa me, non maioribus ſuis accepiſſe, hocq́; beneficium gratâ memoriâ proſequatur.* Ita refert Curtius lib. 4. Noſtro tempore Sereniſſimus Albertus Brabantiæ Dux, cum quadam vice multi ad Senatoris ſeu Conſiliarij officium obtinendum nominati eſſent; & præter vnum, omnes ab Heroïbus plurimis commendarentur, illi, quem nemo commendabat, Senatoriam dignitatem contulit, vt non alij, ſed ipſe Senatorem feciſſe diceretur.

VI. Vt cito & hilari vultu Princeps prœmia & officia conferat. Notum vulgo eſt, *qui citò dat, bis dat.* Noui cuiuſdam muneris acceſſio eſt, beneuoli animi & hilaris vultus ſignificatio. Vnde fit, vt qui accipit, vel idcircò etiam Principi obſtringatur, quod benignam & egregiam eius erga ſe voluntatem animaduertat: Hac in re laudatur inter cæteros Ioannes Secundus Luſitaniæ Rex. Sed iterum Tit. De liberalitate. Cirodandum.

CAPVT IV.

Alia in præmijs & honoribus diſtribuendis conſideranda.

Nullum officium ſine præmio.

CVm præmijs ac pœnis velut æqualibus ponderibus ſtet & ordinetur omnis Reſpublica, Princeps, qui Iuſtitiæ tenax eſt, nullum præclarum facinus aut honeſtum officium ſine prœmio relinquet, vt nec vllum maleficium ſine pœna. Porrò cùm aliqui bene meriti ſint, alij bene poſſint mereri, vtriſque ſua eſſe merces debet, non eadem tamen. Illis præmium & honores deferet; hos benignæ voluntatis ſignificatione, hilari facie, & plenis beneuolentiæ verbis ad virtutem animabit. Quippè ſpes præmij bonos facit, pœnæ metus improbos deſtruit. Vt autem iuſta ſit munerum ac præmiorum diſtributio manifeſta eſſe debent merita, & cognitæ perſonæ. Quare prudens Princeps codicem habeat, in quem cum illuſtribus factis eorum nomina ſint relata, qui in omnibus Regni Prouincijs bene de ipſo ac de Republica ſunt meriti. Imò etiam bene mereri qui poſſunt. Deſcribantur in eodem codice maioris momenti negotia, quæ ad Regnum & Regis ſtatum ſpectare poſſunt, vt his attentis ac perſonis conſideratis, quid cuique conuenire, ac quo quis fungi officio meliùs poſſit, in promptu ſit. Et verò vtile erit, ſi ſinguli, qui virtute aliquâ excellunt, noſci ſe à Principe, & ſua nomina teneri intelligant, amari etiam, & æſtimari, ac tantùm occaſionem, quâ Magiſtratu aliquo ſeu officio donentur, expectari. Ita fiet, vt illi ad tuendam Principis auctoritatem, & ad tranquillitatem Reip. conſeruandam ſuos omnes conatus referant. Cæterùm duo ſunt genera eorum, qui Principibus ſeruiunt. Aliqui enim circa Principis perſonam in eius Aula occupantur; alij in adminiſtratione Reip. Statuque Regis moderando verſantur. Illorum honeſta merces eſſe debet, horum perampla, vt teſtetur Princeps eos ſibi chariſſimos eſſe, qui pro ſua dignitate bonoque publico laborant.

Cognoſcendi omnes qui benè meriti & mereri poſſunt.

Sciant viri egregij ſe à Principe æſtimari.

Duo genera ſeruientium Principibus.

Id videndum ne aliquod Reipublicæ officium illi committatur, quem neceſſitas cogere poteſt, vt conſcientiæ ſuæ iniuriam faciat. Non ſatis ſincerè ſanctéque defungi magnis officijs poſſunt, quibus ad honeſtam vitam facultates deſunt. Aut certè cùm inopes ad Magiſtratum in Rep. propter virtutis præclaram opinionem euehuntur, ſimul opibus aliquibus & annuo cenſu ſunt donandi. Simul eſſe dignitas & neceſſitas non poſſunt.

Pauperibus danda diuitiæ cum Magiſtratibus.

Præterea

Præterea Princeps non facilè hominem ignobilem nullâque virtute inſignem ab Aulæ ſuæ obſequijs repente ad ſummos honores transferet. Id enim fieri ſine inuidia, & magno animorum motu non poteſt: gradus hîc quidam eſſe debent, vt præmia induſtriæ & meritis exæquentur. Quod ſi cuiuſpiam virtus ita ſingularis, præclara, & grata omnibus appareat, vt populi applauſum ferat, (vt in bello ſit plurimum) tum opes & ſummi honores ſine periculo dari poſſunt. *Gradatim eueli Ignobiles debent. Niſi ſingularis ſit virtutis.*

Rationes & Exempla.

Illud inprimis, ne vllum officium vel obſequium ſine præmio ſit. Nam præmijs & pœnis velut æqualibus ponderibus ſtat & ordinatur Reſp. quibus ſublatis, vt iure optimo Sapientes ſentiunt, magna communium rerum perturbatio confuſioque neceſſario conſequitur. Imò plus præmij ſpes poteſt, quam in Principem naturalis propenſio. Nec vlla alia res tam extulit nobilitauitque Romanos, quam honorifica pro meritis præmia. Inde non raro ab aratro ad Imperium & dictaturam vocati; inde ampliſſimus triumphi honor; inde ſtatuæ & alia æternitatis monumenta; inde veteranis militibus ea tributa, quæ ad ſenectutem traducendam alendamque familiam neceſſaria. Quippè qui virtutem honore priuat, is homines virtute priuat, vt Cato Cenſorius dicebat. Apud Romanos honoris templum ita virtutis templo iunctum erat, vt in Honoris templo nullum oſtium eſſet, tantumque per virtutis templum aditus pateret. Ianua enim ad Honorem ipſa virtus eſt. Hoc cùm Princeps conſiderat, immeritis nihil dat, & benè meritos honorat. Alterum eſt, vt ij cognoſcantur & in Principis Codicem referantur, qui benè meriti ſunt, aut qui benè mereri poſſunt. Rex Aſſuerus, vt eſt in libro Eſther, cap. 6. Mardochæi nomen referri in Codicem ſuum ſeu Annales curarat, quod Enuchorum Regem iugulare cupientium inſidias detexiſſet. Vnde cùm quodam die legi ſibi Annales illos mandauiſſet, & ad illum locum ventum eſſet, in quo Mardochæi nomen & factum notatum erat, percunctatus Rex eſt, quid ille honoris & præmij reportauiſſet; cumque nihil omninò conſecutum intelligeret, ita honorari illum præcepit, vt omnibus Regni Proceribus anteponeretur. Adeò tantùm beneficium ſine præmio relinqui non eſt paſſus. Ptolomæus Lagi filius aiebat *dare & facere iuſtitiam eſſe vtramque Regiam virtutem, cuius duo ſunt rami; vnus in neruos abit & ſingulos in officio continet, alter in venas excreſcit, & bene meritos beneficijs aſpergit.* Conſiderandum illud quoque viros illuſtres plerumque magis laude, quam alio aliquo vtili præmio delectari; ideoque illa non omittenda eſt. Hinc Coriolanus cùm laudatus à Conſule iuberetur ex omni præda pecuniæ, equorum, hominum decem capita ſibi quæ vellet deligere, antequam militibus diuideretur, progreſſus in medium, *equum*, inquit, *accipio, & laudibus Conſulis gaudeo, reliqua non tam honorem, quàm mercedem puto.* Catullus quoque cætera pro mercede conſtituta deſpiciens, æneum ex omni præda taurum accepit, quem Cimbri honorabant. Baltazar Rex Babyloniorum cum Danieli Prophetæ torquem & tertiam Regni partem offerret, tanquam meriti compenſationem, reſpondit Daniel *Sapientiam diuinitus datam muneribus iis non poſſe corrumpi, quæ ad præmij potius, quàm veri honoris ſimilitudinem accedant.* Habuit iſtud præ cæteris ſingulare Antiquitas, quod benefeciſſe teſtimonium honoris compenſationem eſſe voluerit. Ideóque præſtantiſſimi quique belli Duces lauream coronam, quàm dona quæuis alia maluerunt, quod hæc remuneratio nec ambitionis iudicium haberet, nec diuitiarum cupiditatem deſignaret. Sic pro ſummis meritis decreta Fabio Maximo ſtatua fuit cum hac inſcriptione, *Patriæ Seruatori.* Græci hominem meritiſſimum regio conuiuio dignabantur, vt nimirum Regi accumberet. Porrò honoris inſignia parcè & cautè; ne vilia fiant, concedenda ſunt. Hinc Romani cùm viderent Flauium quendam à Senatu factum eſſe ſummum & primum Horiſten, annulos aureos equitum inſignia abiecerunt, quod ſolis patricijs tale officium deberetur. Idem fecerunt Gallici Equites ſub Carolo VII. Rege, cùm is iuſſiſſet, vt Satellites Lutetiani Stellam inſignem torquati ordinis ornamentum ferrent. Addimus hoc capite non facilè honores ſeu Magiſtratus pauperibus committendos eſſe, aut eos ſenſu aliquo

Exempla Romanorum.

Virtutis templum Honori iunctum.

Aſſueri Exemplum.

Generoſi laude ducuntur.

Coriolani.

Catuli.

Danielis.

Parcè & cautè dandi honores.

Non facile pauperibus.

iuuandos. Quia vt dicit Simancha lib.3. de Rep. *Res pernitioſa eſt in imperante tenuitas, & animal periculoſiſſimum eſt Rex pauper.* Quod de alijs quoque dici Magiſtratibus poteſt. Et Plutarchus in Lycurgo. *Onus*, inquit, *graue eſt, & morbus Reip. magnus paupertas.* Vnde Phormio Athenienſis vir benè moratus, ſed malè nummatus, eum claſſi præficeretur Imperium recuſauit, quod diceret, *pauperem ſe, & obæratum, nec auctoritatis ſatis apud milites, nec mentis ſatis ad cogitandum habiturum*, vt refert Pauſanias in Atticis. Etiam apud Romanos cenſus in Senatore ac Magiſtratu laudatus fuit, ne ſplendor ordinis ampliſſimi rei familiaris anguſtijs obſcuraretur, vt eſt apud Sigonium lib.2. de Antiquo Iure Ciuium Romanorum cap. 2. Dixi autem iuuandos aliquo cenſu eſſe. Ita Tiberius teſte Tacito lib.2.

Veliuuandi ſunt aliquo cenſu.

cenſum Senatorium iuuit & honeſtam paupertatem ſubleuauit innocentium. Nero etiam, vt eſt apud Suetonium in eius vita, Senatoribus in re familiari tenui conſtitutis annua ſalaria conſtituit. De hac re iterum lib. 2. Tit. de Magiſtratibus.

Extollendi per gradus honorum.

Poſtremo gradatim Ignobiles euehendi dicuntur. Ita præter rationem hic deſignatam ciuiles leges iubent, nimirum *vt à minoribus ad maiores perueniatur.* Digeſt. lib. 4. Tit. 4. Neque natura illicò quicquam perfectum producit; neque alijs in rebus ſumma ante officia demandantur, quam in inferioribus ac medijs data documenta fuerint. Cæterùm præmia facultatibus & opibus Reip. ſunt metienda. Romani vnum terræ iugerum Horatio Cocliti ob liberatam Ciuitatem donauerunt, quod ingens tum pro inopia Reip. præmium erat. Alexandri autem magnificentiæ integras largiri Prouincias & innumera talenta conueniebat, vt ait, Bodinus 5. de Rep. cap. 4. Vel idcircò autem metiri Reip. opibus præmia oportet, ne Reſpublicá exhauriatur, & donatorum reuocatione ſit opus. Denique ſciendum etiam eſt, *præmia non eſſe præmia, ſi paſſim vulgentur.* Ideò Tiercelinus antiqui moris in Galliâ eques, poſtquam torques conchyliatus promiſcuè communicari cœpit, ſæpè indignabundus dicebat, *torquem conchyliatum non iam eſſe virorum fortium inſigne, ſed omnium beſtiarum collare*, vt refert Thuanus lib.23. Et Æmylius Probus in vitâ Miltiadis, *populi noſtri honores*, inquit, *quondam fuerunt rari & tenues, ob eamq; cauſam glorioſi, nunc autem effuſi atque obſoleti.*

CAPVT V.

De Iuſtitia in pœnis infligendis ſeruanda.

Vtilis ſeueritas.

SAlutaris Reip. ſeueritas eſt, vt boni in virtutum exercitio contineantur, & mali à ſceleribus deterreantur. Itaque qui prœmia vnâ manu diſpenſant Principes, alterâ pœnas infligant. Quippe aut facinoroſos pœnas dare, aut Rempublicam interire neceſſe eſt. Nec diuerſi eſt ingenij, ſed eiuſdem, delicto ſe obſtringere, & delictorum ſupplicia impedire.

Delicta publica & priuata.

Dilictorum autem genera ſunt duo, publica & priuata. Publica ſunt, quæ contra Regis perſonam, aut eius ſtatum ſeu Rempublicam fiunt. Priuata, quæ legis alicuius præuaricatione priuatis tantùm nocent. Horum punitio ad Regem tanquam legum ac iuſtitiæ vindicem ſpectat; adeóque eius eſt muneris curare, vt qui in tribunalibus ſunt iudices, ſtatutâ legibus pœnâ in ſontes animaduertant, & debitis ſupplicijs culpas reſcindant, vt hoc modo pœnæ metum, & culpæ odium inducant. Illorum; quæ publica ſunt, & Maieſtatis læſæ crimina dicuntur, animaduerſio vt grauiſſima eſſe debet, ita ab ipſo Rege aut ſupremo eius Senatu cónſtituenda eſt. Qua de re, cùm de ſeditionibus ac coniurationibus agemus, dicetur.

Cæterùm in pœnarum ab improbis exactione hæc ſeruanda.

Punitio ſit ſecundùm leges.

I. Vt Princeps æqualem ex præſcripto legum iuſtitiam exæquatur; nec tantùm miſeros ſupplicia plectant, ſed facinoroſos. Iuſtus quippè eſt, qui ſecundùm leges viuit, & ab æquitate non diſcedit.

II. Ne

II. Ne quid durius, aut remiſſius, quàm cauſa depoſcit, conſtituatur. Supplicium autem patrio more ſumatur. *Par delicto.*

III. Ne ſupplicia per iracundiam repreſententur; & quantum fieri poteſt, ne ſint tam crebra. Prœmium & pœna velut dextra & ſiniſtra ſunt Principis: ſicut autem dextrâ frequentiùs, quàm ſiniſtrâ vtimur, ita remuneratione potiùs, quam caſtigatione gloriari Principem decet. Caſtigatio alienâ, remuneratio propriâ manu peragenda eſt. *Non ex iracundia.*

IV. Princeps quâcunque iniuriâ læſus nemini ipſe manus adferat. Principum enim manus defendendis & vindicandis iniuriâ affectis adhiberi debent, non proprijs vlciſcendis iniurijs. *Non ad vindictâ propriam.*

V. A ſuppliciorum ſpectaculis oculos Princeps abſtineat. Vt enim glorioſum eſt in eius conſpectu prœmijs & honoribus omnes affici, ita indecorum vitâ aliquos priuari. *Non inter ſint Principes.*

VI. Illud poſtremò curandum, vt cùm Iuſtitia perſequitur culpam, miſericordia aliqua non deſit, quæ modeſtè vindictam extenuet. *Lenitatem adhibeant.*

Teſtimonia & Exempla.

NEceſſaria quoque Reip. pœnarum inflictio eſt, quod aliqui ſint, quos mala efficacius moueant, quàm bona. Multò etiam amplius ignominiam quidam verentur, quàm honorem ament. Quippè vt ait Ariſtoteles X. Eth. cap. 9. *Ita comparatum eſt, vt verba, doctrina, ac præcepta, poſſint illa quidem liberalia ingenia cohortari, & excitare; at reliquos, qui ſunt multò plurimi, non poſſunt ad virtutem impellere.* Pœnarum & prœmiorum eadem eſt diſciplina, & ex opinione Hiſpanorum, *Non poteſt benè præmia diſtribuere, qui non nouit benè caſtigare.*

Veteres Philoſophi tres puniendorum delictorum rationes rectè attribuerunt, vt notat Gellius lib. 6. Noctium Atticarum. cap. 14. Prima eſt, vt ſit aliqua correctio emendatioque. Hinc apud Hiſpanos in prouerbio eſt, *Non eſt ratio, fuſte qua magis perſuadeat.* Et Hebius Poëta

Rationes puniendorum delictorum.

Delicti medicina, grauis licet, optima pœna eſt

Exigit hæc morbum vt velle redire neget.

Secunda eſt, vt offenſi dignitas quando vindicatur, ne in contemptum delinquentis impunitate adducatur. Et ideò criminibus læſæ Maieſtatis tam graues præſtitutæ ſunt pœnæ. Tertia eſt, vt exſter exemplum, & vt maleficia non abeant in mores. Ouidius 1. Metam. Fab. 8.

Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus

Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Prouerbium eſt apud Italos, *vnum vitium non punitum creſcit in infinitum.* Vulgo etiam dicitur. *Mactat oues, qui lupis parcit.* Et vt refert Boterus lib. 1. Muleius Maluccus Rex Maroci pro ſymbolo vſurpare ſolebat. *Principem imitari hortulanum debere, hic vtiles plantas excolit, malas eradicat.* Huc etiam facit illud Cœlij Balbini Imperatoris, *Bonis nocet, qui malis parcit.* Quia malorum impunitas cum iniuria bonorum eſt coniuncta, & eſt maxima peccandi illecebra. Ideòque verè dixit Lactantius, *Bonorum ſalutem cuſtodit, qui malos punit. Nam dum mali pauent, optimus quiſque iuſſis paret*, vt ait Tacitus. Seneca verò:

——Victima haud vlla amplior

Poteſt magiſq; opima mactari Ioui,

Quàm homo iniquus.

Porrò in pœnis exigendis, ſex hoc loco obſeruanda ponuntur. Primùm vt punitio ſit ſecundùm leges, nimirum pro ratione & varietate criminum perſonarumque, ſeruata Geometricâ quadam proportione. *Nihil enim*, inquit, *Cyrus apud Xenophontem lib. 2. inter homines inæqualius & lethalius duco, quam & ignauum & fortem virum æqualia conſequi.* Quod cum de prœmiorum conſecutione verum ſit tum etiam de pœnis.

Notanda in pœnis exigendis.

II. *Vt pœna par ſit delicto.* Omninò enim, vt Martianus, ait, l. 11. ff. de Pœn. *Non eſt ſeueritatis aut clementiæ gloria affectanda, ſed perpenſo iudicio, prout quæq; res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Planè in leuioribus cauſis pronior ad lenitatem eſſe debes; in grauioribus pœnis ſeueritatem legum cum antiquo temperamento benignitatis ſubſequi.* Notatus non immeritò Tiberius Imp. teſte Suetonio in eius vita, qui omne crimen pro capitali accipiebat, paucorum etiam & ſimplicium verborum.

III. *Ne ex iracundia aliquid fieri videatur.* Nam vt ait Horatius in Epiſtolis:

Qui

—— *Qui non moderabitur iræ,*
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit aut mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.

Reprehenſus hac de cauſa Theodoſius Magnus Imp. omnium Principum alioqui laudatiſſimus, qui ob occiſum Teſſalonicæ Præfectum ita commotus quinque millia etiam innocentium occidi curauit. Cuius rei cum eum pòſtea pœniteret, illam Codicis Legem tulit. *Ne vlli Magiſtratus ſententiam ſeuerius, quam pro ſua conſuetudine à ſe latam, intra triginta dies exequerentur.* Videlicet, vt ſpatium iræ daretur. Præcipites illæ pœnæ ferè ſemper ipſis Principibus ſunt damnoſæ.

IV. *Nihil ad propriam vindictam fiat.* Nam, vt ait Caſſiodorus, *Vbi eſt feruida vindicta, ibi non eſt temperata iuſtitia.* Iure proinde reprehenſus Venceſlaus Bohemiæ Rex Caroli IV. Imp. filius, qui offenſus miniſtri vnius verbo quamprimum è menſa ſurgens, arrepto pugione amicum interfecit. Ita qui voluit ſeipſum vlciſci, in turpe crimen incidit. *Securitati conſulendum eſt, antequam vindictæ,* inquit Tacitus.

V. Non interſint Principes ſupplicijs. Notatus idcircò nec immeritò Carolus Andegauenſis, qui cùm Regnum Neapolitanum inuaſiſſet, Conradinum & Fredericum Duces ac Regij ſanguinis iuuenes, cùm auitum Regnum repeterent, captos medio in foro Neapolitano capite plecti iuſſit & ipſe ſpectauit. Ita refert Gerardus de Roo Hiſtoriæ Auſtriacæ. lib. 1. Caligulæ quoque Imperatori vitio datum eſt, vt ſcribit in eius vita Suetonius, quod animaduerſionibus pœniſque ad ſupplicium datorum cupidiſſimè intereſſet. Addit rationem Claudianus Paneg. Theod. *Principes intereſſe ſupplicijs non debent.*

Qui fruitur pœna ferus eſt, legumq́; videtur
Vindictam præſtare ſibi.

Et Xenophon in Hierone. *Cenſeo*, inquit, *viro Principi ſic agendum, vt ſi quis eget correctione, hunc alijs puniendum tradat &c.*

VI. Vt puniendo lenitas adhibeatur. Rectè Sopater epiſtola ad Hemetrum fratrem de Rep. adminiſt. *Præbe te ſimul & clementem & infenſum malis; lentè quidem puniendo clementiæ ſtudium, malis autem indignando improbitatis odium præ te ferens.*

CAPVT VI.

An Principes læſos ſe conuitijs vlciſci debeant?

Non debent ipſi per ſe. HAbent hoc Reges & Principes in Maieſtate ſua eximium, quod illis malè facere nemo poſſit, at de ipſis ne malè quis loquatur non habent. Liberæ hominum ſunt mentes & linguæ. Itaq; aduerſus conuitia maloſq; rumores firmi ac patientes ſint oportet, nec nimium indignentur. Ne tamen linguæ temeritas ad gladios aliquando perueniat, omninò *Magiſtratus vlciſcantur.* coërcendi illi graui pœnâ ſunt per Magiſtratus, qui petulanti linguæ licentiâ famoſiſque libellis in Principum famam graſſantur. Modicè & timidè de Principibus eſt loquendum, quibus à Deo conſtitutis hominum Arbitris honor & obedientia debetur. Nihil autem aduerſus illam obtrectantium linguarum libertatem tam potens eſt, quàm vitæ in Principibus integritas, & ſeuera Aulæ diſciplina. Quippe aduerſus innocentiam etiam ipſa muta eſt malitia, & conuitium facilè bona vita repellit.

Authoritates & Exempla.

TIberius, teſte Suetonio, dicere ſolebat. In libera Ciuitate liberas mentes & linguas eſſe debere: ideoq́ue iacta in ſe conuitia ad cognitionem vocari nolebat. Eiuſdem opinionis aliquando fuit Auguſtus Cæſar, qui cum animaduerteret Tiberium priuignum ſuum acerbius conquerentem, quod Æmilius Ælianus homo maledicus & blatero nulla pœna admoneretur, ita ei reſcripſit. *Exempla.* *Ætati tuæ, mi Tiberi noli hac in re indulgere, & nimium indignari quemquam eſſe, qui de me malè loquatur; ſatis eſt enim ſi hoc habemus, ne quis nobis malè facere poſſit.* Dicit Tacitus 4. An-

Annal. *Conuitia, ſi iraſcare, agnita videntur; ſpreta exoleſcunt.* Alphonſum Aragoniæ Regem cùm in foro Capuenſi miles quidam apprehenſo equi fræno ſiſteret, & petulanter conuitiaretur, Rex nihil animo commotus eſt, nec illum conſpicatus perrexit.

CAPVT VII.

An Principes ex legum præſcripto ſeruare Iuſtitiam in ſe debeant.

Principes non ſunt ſupra leges.

SEruare ſanè primò in ſe debent. Neque enim ſupra leges ſunt, ſed ſupra eos ſunt leges; & æquum eſt, qui leges condunt, pari maieſtate legibus obtemperent. Principes qui omnia poſſunt, honeſta tantùm ſibi licere credunt: & cùm ſuis legibus alios ſub ſe frænent, non ipſi ijs teneantur, diuinæ tamen legis imperium, ius Naturæ, & Eccleſiæ poteſtatem in ſe agnoſcunt. Imò boni iuſtique Principes commune ſibi cum priuatis ius eſſe, ſaluâ Maieſtatis reuerentiâ, non dedignantur. Nec dignior Maieſtate regnantis vox eſt, quàm ſe Principem legibus alligatum confiteri.

Teſtimonia & Authoritates.

NEmini dubium eſt, cui certum eſt, quod leges ſupra Principem ſint, non Princeps ſupra leges. Qua de re lib. 3. Tit. 2. De legibus. Hoc loco illud tantùm. Optimè Theodoſius & Valentianus Cæſares liberi profeſſi ſunt, *Saluâ Maieſtatis reuerentiâ, non dedignari ſibi cum priuatis ius eſſe commune.* M. Aurelius Imp. ad Vxorem ſuam ita ſcribebat, *Leges cum iuga ſint, ſub quibus mali arant, tum alæ ſunt, quibus boni volitant, & libero cælo fruuntur.* Laudabile exemplum poſteritati dedit Philippus ſecundus Rex Hiſpaniarum. Hic cum in ſupremo Geldriæ Senatu cauſa cecidiſſet, ſententiam verò exequi nullus auderet, ipſemet certos aliquos nominauit, qui illam executioni mandarent, voluitque vt pars victrix re controuersâ potiretur. Ita refert Guicciardinus in Belgij Deſcriptione. Benè proinde Archidamus Zeuxidami filius, roganti cuidam, *quinam eſſent Spartanæ Ciuitatis Præfecti*, reſpondit, *Leges & legitimi Magiſtratus.* Plutarchus in Lacon. Nam *tum ſalua eſt Reſpublica*, vt dicebat Solon, teſte Stobæo, ſerm. 41. *cum Ciues Magiſtratui obediunt, & Magiſtratus legibus.*

Exemplū

CAPVT VIII.

An iuri dicendo praeſſe debeat ipſemet Princeps, an alij tribunal committere?

Principum eſt iudicia exercere.

PVblici iuris adminiſtri legumque cuſtodes ſunt Principes. Itaque eorum eſt iudicia exercere, & iuſtitiam ſubditis omnibus adminiſtrare. Quippe cuſtodiæ defenſioniſque causâ conſtituti ſunt, vt & locupletes iniuriâ prohibeant, & egenos aduerſus locupletum iniurias tueantur. Id exequi vt probè poſſint, cognitoris fungi munere debent. Quod ſi pluribus ac maioribus intentus curis tribunali adeſſe Princeps ipſe non poſſit, viros præficiat ſanctos, fideles, non venales; qui auaritiam oderint, & ament veritatem; quique ius æqualiter omnibus dicant, & diligenter. Neque tamen tum etiam omnem tribunalis curam ipſe deponet; redibit aliquando, & in cornu tribunalis, veterum exemplo Regum, ſede-

Quia verò occupati per iudices exercent.

ſedebit. Proinde prima in tribunali ſedes adornata vacet, vt cùm voluerit, adſit Princeps. Neque illi graue eſſe debet, vno alteróve per hebdomadem die iuſtitiæ exercendæ vacare. Hoc demùm eſt Regis.

Exempla Regum pro hac re.

Exempla. Aſſerimus Principum eſſe iudicia exercere; alijs tamen propter occupationes committere poſſe. Auguſti. Auguſtus Cæſar teſte Suetonio ius aſſidue dicebat, nonnumquam etiam in noctem; & ſi parum corpore valeret lectica pro tribunali collocata erat, vel etiam domi cubans audiebat. Traiani. Traianus aſſiduus erat in tribunali, vt refici labore & reparari videretur inquit Plinius. Caroli Magni. Carolus Magnus vno die hebdomadatim iuſtitiæ exercendæ vacabat; Car. Audacis. Carolus Audax Burgundiæ Dux tribus diebus; Carolus Octauus Franciæ Rex certis diebus. Tiberius Imp. ſæpè in cornu tribunalis ſedebat. Item aliorum. Hinc Regina Saba Salomoni dicebat. *Conſtituit te Deus Regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam*, vt eſt lib. 3. Regum. Nec ipſe id ignorabat Salomon, qui idcircò cor docile à Deo petebat, vt iudicare populum ſuum poſſet. Gangunus lib. 3. De geſtis Francorum, Dagobertum Franciæ Regem iuridicundo ſollicitè præfuiſſe teſtatur. Idem olim ſeruabant Luſitaniæ Reges, vt Annales probant, cùm certis hebdomadæ diebus in Senatu præſiderent.

CAPVT IX.

De Conſtituenda inter litigantes iuris æquitate.

Tollendæ litium occaſiones. MVltitudo litium ruina eſt Prouinciarum. Reges proinde ac Principes, à quibus Reip. ſalus dependet, eniti inprimis debent, vt tot litium occaſiones reſecentur; deinde, vt qui tribunalibus præſunt, ſummâ diligentiâ, fide, integritateque, nullâ habitâ perſonarum *Prohibendæ dilationes.* ratione vnicuique ius dicant. Tot hodie ſunt in litibus diuerticula, tot dilationes, tot prouocationes, vt in labyrinthum & anfractus inexplicabiles coniecti videantur, qui litigant. Pene citiùs ætatis eſt finis, quàm litis; & plurimi ſunt, qui factâ bonorum omnium iacturâ hæreditarias tantùm lites nepotibus relinquunt, nec illi finem vident. Non pauci inchoatam deſerere litem coguntur, quod bonis exuti proſequi non poſſint. Tantum abeſt, vt viduæ multæ, pupilli, pauperes tentare aliquid lite audeant. Qui potentiores ſunt iniectâ tantùm litis comminatione miſeros deterrent. Vincunt illi, & qui aſtutiores ſunt. Quaſi ibi plus iuris *Minuendus cauſidicorum numerus.* eſſet, vbi plus fraudis & aſtutiæ. Adeò vt conſultum ſæpè ſit, iuri ſuo etiam optimo potiùs renuntiare, quàm litigioſâ actione cum aliquo experiri. Quare Principum eſt, tot illas iuris ambages tollere, idque ſeuerâ lege mandare, vt litigantium iure quàm fieri poteſt breuiſſimè cognito controuerſiæ decidantur: Viduarum, pupillorum, & egenorum ſumma ratio habeatur, ne à locupletibus opprimantur; non tot cauſarum ſint Patroni & Aduocati, quorum ars eſt plerumque lites ex litibus procreare, & immortales controuerſias efficere. Vel alia eſſe iudicia debent, vel ſperanda vix ſanè iuſtitia eſt. Sed plura de iudicijs infrà.

Teſtimo-

Teſtimonia & Authoritates.

TOllendas litium occaſiones, & prohibendas iuſtitiæ adminiſtrandæ dilationes, cùm hic aſſeramus, tum hæc tempora proclamant. Huc facit inprimis Henrici III. Imp. Symbolum. *Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.* Vnde non immeritò inter conditiones beatæ vitæ à Martiale ponitur, *Lis nunquam.* Sed ſicut *hoc ſæculum plus ſcientiæ habet, quàm conſcientiæ,* vt ait Schorborn. lib. 7. Pol. cap. 2. *Ita magis litigia, quàm veritatis veſtigia ſequitur & aſſequitur.* Vbique Vrbes rabulariæ & Regna rabularia. Porrò Principum eſt maximè curæ, vt lites tollantur, minuantur, aut citiſſimè decidantur. Ideò Iſocrates Nicoclem Regem Cypri monebat, *vt eas ferret leges, quæ vel nullius litis haberent ſeminarium, vel exortas controuerſias ſtatim dirimerent.* Cicero Seruium Sulpitium laudat, quod litium anfractus tollere ſemper maluerit, nec ad eas actiones conſtituere. Idem Cicero librum olim ſcripſit de iure Ciuili in artem redigendo, vt habet Gellius Attic. Noct. lib. 1. cap. 22. Nec immeritò etiam laudatus Pompeius, quod de ineunda ratione lites citò componendi ſopiendique legem tulerit. Iulio Cæſari, teſte Suetonio, propoſitum fuit legum copiam ideircò reſecare, vt litium multitudinem retunderet. Quod etiam de Auguſto, Claudio, Galba refertur. Veſpaſianus ſummam dedit operam, vt lites celeriter expedirentur. Sed inter Imperatores id potiſſimum egit Alexander Seuerus, de cuius iuſtitia nemo vnquam eſt conqueſtus. Titus Imperator de eadem re pluribus legibus agi prohibuit, vt lites abbreuiarentur. Domitianus edixit, vt perpetuo exilio Romæ mulctaretur, qui litem vnam vltra annum protraxiſſet. Eandem ob cauſam Valentinianus & Iulianus Apoſtata multas legum ambages correxerunt. Traianus omnem litium anſam ſaluberrimis tollere legibus eſt conatus, vt teſtis eſt in Panegyrico Plinius. Adeò inter veteres illos Imperatores ſolus repertus eſt Caligula, qui litibus delectaretur. Quadrageſimam enim eius ſummæ, de qua litigabatur, vectigalis nomine accipiebat. Poſterioribus temporibus Carolus V. cum plurimæ de litibus querelæ deferrentur, nihil ſibi gratius futurum declarabat, quam ſi quis modum citò lites definiendi inueniret, & ad hoc ſuam auctoritatem promittebat. Idipſum ſuo filio Philippo II. Hiſpaniarum Regi commendauit. Quam ob cauſam is ad Senatum Mediolanenſem litteras dedit, quibus gratiſſimum ſibi & officium & obſequium futurum declarabat, ſi quis breuiorem expediendi lites formam proponeret. Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux non modo remedium quæri voluit, verum etiam auxilium ipſe præbere, ad tantam è Rep. litium materiam profligandam, vt de eo Antonius Faber teſtatur. Eodem hoc noſtro tempore multi idem optant Principes; & non ita pridem Henricus II. Franciæ Rex, vt citò lites deciderentur, peculiarem ſuo in Regno Codicem, quem Henricianum appellari, fieri curauit. Ludouicus XI. etiam Franciæ Rex totis viribus in hoc incubuit, vt Gallia legibus optimis conſtitueretur, & litium forenſium tricæ atque ambages tollerentur vt lib. 9. teſtatur Cominæus. Nam, vt ait Am. Marcellinus lib. XXX. *Cum rectè procedunt iudicia, delubra ſunt æquitatis; cum deprauata, foueæ fallaces & cæcæ, in quas ſi captus ceciderit quiſquam, non niſi per multa exiliet luſtra, aduſque ipſas medullas exuctus.* Quippè *Æris alieni & litis comes eſt miſeria cum aceto,* vt dici ſolet. Nec aliud eſt *litigare,* ſecundum Tholoſanum lib. 47. Syntagmatis. *Quam occaſionem dare ori ſuſpirandi, oculo plangendi, linguæ querulandi, menti ſe affligendi, pedibus ſe inquietandi, famulis imperandi, marſupio ſe exenterandi. Inde in Noſocomium deferri & deſperatè mori.* Prouerbium Italicum eſt, *l'riget, ædificet, qui vult citò pauper haberi.* Omninò virorum bonorum eſt lites execrari, ac potiſſimùm Chriſtianorum; cum vt ait Tholoſanus, inter duodecim mundi abuſus ponatur *Chriſtianus litigioſus.* Si damnum conſideretur, plurimi ſunt, qui per lites ad extremam paupertatem rediguntur, & miſeriores adhuc relinquunt hæredes. Adeò vt ſæpè vinci præſtet, quam litigare. Vnde Martialis:

Lis te bis decima numerantem frigora brumâ,
Conterit vna tribus, Gargiliane, forum.
Ah miſer & demens, viginti litigat annos
Quiſquam, cùm vinci, Gargiliane, licet.

Non immeritò proinde optabat Cato, Romanum forum muricibus ſeu ferramentis acuminatis ſterni, vt eò ire vel ibi ſtare, litigantes non poſſent. Idem Budæus de Baſilica Pariſienſi optaſſe

Beatæ vitæ pars lis nunquam.

Qui lites tollere vel cito finire deſiderarint.

Antiqui.

Recentiores.

Variæ authoritates.

taſſe fertur. Experientia ipſa docet in ea Rep. maximas eſſe factiones, in qua numeroſæ Aduocatorum ſunt turbæ. Iſti enim dulci odore lucri deliniti aureos montes venantur & capiunt, haud abſimiles Bizantino illi Oratori, qui interrogatus, *qualis Bizantij lex eſſet, qualem*, inquit, *ego volo*. Imò vt ait Boterus lib. 1. *Is Aduocatorum optimus habetur, qui plures allicit ad litigandum, & promiſſâ ſpe vincendæ litis impellit ad iudicium, impijſque conſilijs ſtimulat*; qui venatur appellationes quique eſt egregius rabula & iurgiorum auctor, quique garrulitate ac linguæ viribus nihil non poſſit clamare; ſed & vera & iuſta vno modo dubia & iniqua facere, iuſtitiam quæ ipſam iuis armis profligare, peruertere, proſternere. Etiam *ſilentia pretio exponunt*; nam vt nullus eorum loquitur, niſi ad mercedem, ita nec tacet niſi ad præmium. Cauſidicorum ſiquidem lingua tam damnifica eſt, & niſi vinciatur muneribus, fieri non poteſt, vt non noceat. Porrò de remedijs aduerſus hæc omnia tractamus lib. 3. Tit. 4. de Iudicijs.

TITVLVS XIII.

De Clementia Regia.

CAPVT I.

An Clementia ſit virtus Regia.

Propria Regum virtus Clementia.

NATVRA in Apibus Regem ſine aculeo eſſe voluit, vt eſſet hoc ingens Regibus exemplum. Adeò propria Regum ac Principum virtus eſt Clementia, quâ nihil magis ſubditis ac Gentibus omnibus Reges commendat; vt omninò beneficijs potiùs, quàm remedijs ſeuerioribus ſubditorum ſuorum ingenia debeant experiri. Et cùm potentiæ ſtudeant, hæc cautis ac lenioribus conſilijs meliùs quam, acrioribus habetur. Quippè Regis Thronum, vt oraculum eſt ſapientis, Clementia roborat. Non editæ arces, non latera montium, aut multiplices muri turreſque ſaluos Reges præſtant, ſed Clementia. Ac tum ibi tuti ſunt Reges, vbi omnes à Regibus ſunt tuti.

Teſtimonia & Authoritates.

VERE Iuſtinianus l. vlt. C. de Donat. inter virum & vxor. *Nihil eſt tam peculiare Imperialis Maieſtatis, quàm Clementia & humanitas, per quam ſolam Dei ſeruatur imago*. Quo ſenſu Flauius Vopiſcus ait, *Clementiam primam eſſe Imperatorum dotem*. M. Aurelij Antonini Philippi Imp. Symbolum. *Regni Clementia cuſtos*. Fl. Leonis Magni Imp. ſymbolum. *Regis Clementia virtus*. Leo Imp. apud Zonaram. *Perinde vt Sol quibus affulſerit, ijs calorem ſuum impertiri ſoleat, ita ab Imp. Clementiam ijs tribuendam eſſe, quot aſpexerit, tanto animus hominum moderatior eſſe debet, quanto vehementius nocere poteſt.* Seneca. Ita vt dicebat M. Antonius Philoſophus apud Vulcatium. *Nihil eſt quod magis Principem gentibus commendet, quam Clementia*. Et Salomon Prouerb. 20. *Clementia roborat thronum Regis*. Nec ſine cauſa in Apibus Regem ſine aculeo eſſe videmus. *Noluit enim*, inquit, Sen. 1. de Clementia. *Illum natura nec ſæuum eſſe, nec vltionem magno conſtituram petere; telumq; detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplum hoc magnum Regibus ingens eſt. Hanc eſſe nouam vincendi rationem, dicebat Cæſar, ſi quis muniret ſe miſericordiâ & liberalitate.* Et vt Saluſtius ad Cæſarem ait, *qui Clementiâ & benignitate Imperium temperauêre, his candida & læta omnia fuerunt, etiam hoſtes æquiores, quam alijs Ciues.* Interrogatus aliquando

Rex apium ſine aculeo.

quando

quando Alexander Seuerus, cur erga omnes etiam male meritos tam humanus & manſuetus eſſet? Reſpondit, *ſe quidem iuſtitiâ bonis gratum eſſe, malis autem Clementiâ*, vt refert Panormitanus lib. 2. De geſtis Alphonſi. *Sola miſericordia eſt, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant*. Caſſiod. in Epiſtolis. Leo Pontifex: *Tanta miſericordiæ virtus eſt, vt ſine illâ cæteræ virtutes etiamſi ſint, prodeſſe non poſſint*. Verè dicit Seneca in Octauia,

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,
Conſulere Patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo,
Hæc ſummâ virtus, petitur hac cælum viâ.

Variæ authoritates ſacræ & profanæ.

Claudianus in Honorio hoc primum dat præceptum Imperatori:

Sis pius inprimis, nam cùm vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis.

Amplius verò illam hoc modo deſcribit:

Quæ docet, vt pœnis hominum vel ſanguine paſci
Turpe ferumq; putes: vel ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, vt non infenſus alendis
Materiem præſtes odijs, vt ſentibus vltrò
Ignouiſſe velis, deponas ocyus iram
Quam moueas, precibus numquam implacabilis obſtes.

Adrianus cùm Imperium adeptus eſſet inimico dixit, *Euaſiſti*, quod abiecti animi eſſe duceret inimicitias cum inferiore exercere. Ottho Magnus, Amor mundi propter humanitatem & Clementiam eſt appellatus. Nam, vt ait Ouidius lib. 2. de Ponto.

Conueniens homini eſt hominem ſeruare voluptas,
Et melius nullâ quæritur arte fauor.

Nihil pulchrius in faſtigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere, inquit Seneca lib. 2. de Clem. cap. 3. Quam ob cauſam cùm Alphonſus Aragoniæ Rex, quòd nimis Clemens & mitis eſſet, argueretur, etiam grauiter delinquentibus ignoſcendo, *Malo*, aiebat, *multos meâ Clementiâ & manſuetudine ſeruare, quam paucos meâ ſeueritate perdere*. Et cùm quidam alius ei diceret, *Caue ne tua Clementia in pernitiem cadat*, Imò verò, inquit, *multa mihi perferenda ſunt, ne in inuidiam cadam*. Ita refert Panormitanus lib. 2. de geſtis Alphonſi. Obuia ſunt innumera apud Hiſtoricos Clementiæ exempla, quæ hic omittimus.

CAPVT II.

An ergò delinquentibus ignoſcere Reges debeant?

SEuera omnis animaduerſio tribus potiſſimùm de cauſis in Rebuſpublicis adhibetur. Inprimis, vt qui deliquit, corrigatur; deinde, vt meliores hoc exemplo cæteri efficiantur, ac tum vt ſublatis è medio per ſupplicia facinoroſis, qui boni ſunt, ſecurè tranquilleque viuant. Hoc cùm aſſequi per Clementiam non raro Principes poſſint, iure ſanè nonnumquam delinquentibus ignoſcunt. Dum enim ignoſcunt aliqui, in eo quandam peccandi verecundiam ipſâ miſericordiâ ſua excitant; & pudet deliquiſſe, vbi delicti tam facilis eſt gratia. Plures Clementia meliores reddit, quàm pœna. Nec interim audaciores ad facinus improbi ſunt, nec minus ſecuri, qui boni. Illi quippè Gratiæ hoc beneficium non ignorant, quod ſperare nec omnium eſt, nec ſemper: hi verò emendatis improbis nihil timent. Regiæ Poteſtatis & ſupremæ Authoritatis eſt ſignum vitam ei reddere, qui ſuâ illam culpâ amiſerat. Quod cùm ſit ad vitam quodammodo reuocare, habent hoc Reges cum diuina Maieſtate commune. Et verò plus Maieſtatis Regina Iuſtitia habere videtur, cùm ei dextrum claudit latus Miſericordia, ſicut ſiniſtrum fortitudo. Planè in lenitatem propenſiores eſſe Reges debent, quàm in ſeueritatem.

Aliquando ignoſcendum.

Nam ignoſcere; Maieſtatu eſt ſupremæ ſignum.

Teſtimonia & Exempla.

Quando clementiâ vtendum.

OMninò ignoſcendum aliquando volumus, cum Clementia verecundiam peccandi facit melioreſque reddit, nec obeſt bonorum ſecuritati. Dionyſius Syracuſanus ab exilio in Patriam reuocatus vlciſci iniurias à Perduellibus ſibi illatas non voluit: Heraclidem priſtinæ dignitati reſtituit, dicens, *ſæpè homines malos emendari & mutari tandem beneficijs videmus*, vt teſtis eſt Æmilius Probus. Faciendum Principibus, quod medici faciunt, qui ſectiones & vſtiones rariſſimè adhibent, ne ipſa vitia in corpore magis exaſperentur. *Pleraq; lenibus exercitijs, & mitibus medicamentis ſanant ac molliunt*, inquit, Dio lib. LV. Eodem in libro Liuia Auguſti coniux ita eum alloquitur, *Ego ita indico, plus clementiam, quam ſæuitiam proficere.* Et paulò pòſt. *Natura comparatum eſt, vt brutorum quoque animantium multa, robuſtiſſima alioquin & ferociſſima blandiendo cicurentur ineſcando q; perdomentur.* Cum de inſidiarum ſtructarum crimine delatus eſſet Cinna, accerſiri illum iuſſit Cæſar Auguſtus, & commemoratis plurimis in eum beneficijs ſuis, quare ergò, inquit, occidendum me putaſti? Perturbato Cinna, *Age*, inquit Cæſar, *vitam tibi Cinna iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori & parricidæ; ex hodierno die inter nos incipiat amicitia, contendamus vtrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas.* Obtulit illi etiam Conſulatum, & amiciſſimum illum poſtea eſt expertus.

Exemplum Auguſti Cæſ.

CAPVT III.

An omnibus ignoſcere Reges poſſint & debeant.

NEc poſſunt, nec debent. Quippè tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quàm nulli. Quid ergò? cùm è publica re fuerit, ignoſcendum eſt, & impunitas tribuenda. Expendant Principes delinquentium facta, & quibus, quóve modo veniam concedant, prudenter examinent. Sæpè legum rigor illum ad ſupplicium vocat, quem eximere Clementia debet, quia Reipub. neceſſarius, deque Rege ac Patria bene meritus; aut certè quia veniam delicti cauſa meretur. Itaque circumſtantiæ prudentem Regem hac in re admoneant. Quod ſi eius, cui ignoſcitur, culpâ damnum cuipiam intulerit, honeſto reparetur modo, & læſo fiat ſatis. Sic erit quoque Regis conſcientiæ factum ſatis.

Cauſa prius examinetur, quam ignoſcatur.

Teſtimonia & Authoritates.

NOn omnibus. Vt aliquibus autem merito ignoſcatur, cauſa prius examinanda eſt, & circumſtantiæ omnes conſiderandæ. Attendendum etiam ad publicum bonum. Medium hic placet, vt nec nimia ſit clementia, nec nimia ſeueritas. *Per nimiam lenitatem*, inquit Chaſſanæus parte 5. catal. gloriæ mundi, *Rex contemnitur, lex deſpicitur, grex inficitur*, rectè proinde Cleomenes dicenti cuidam oportere bonum Regem omninò mitem eſſe, *Eo vſque*, inquit, *dum contemptui non ſit. Cum nimia ſeruatur humilitas, regendi frangitur auctoritas*, inquit D. Auguſtinus lib. 3. de vita Clericorum. Refert Georgius Buchananus lib. 11. rerum Scoticarum, quod cum apud Crafordium Diæ Comitem Legati Angliæ ſui Regis clementiam multum extollerent, reſponderit Comes, *ſe quidem ſcire, nullam eſſe virtutem, quæ magis clementia, Regem deceat, verum prouidendum, ne nimiâ lenitate ſoluto imperio mali magis inſoleſcant, quam boni ad officium excitentur. Quippè tam eſt graue omnibus ignoſcere, quam nemini veniam dare, & nocet bonis, malis qui parcit*, inquit Seneca lib: 1. de Clemen. cap. 2. *Neque inhumanitas hoc, ſed potius ſumma quadam humanitas eſt, cum multi paucorum animaduerſione*

Exemplum.

uerſione ſaluantur, vt habet Iuſtinianus in Nouell. 30. Quare optimè Cic. 1. Offic. *Reip. cauſa ſeueritatem aliquam adhiberi vult, cùm ſine ea Ciuitas adminiſtrari non poſſit.* Præceptum autem Iuſtitiæ clementis propooit Lipſius lib. 2. Polit. cap. 13. ex Taciti Agricola, *Omnia ſcire, non omnia perſequi, paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodare; nec pœna ſemper, ſæpè pœnitentia contentum eſſe.*

Præceptum Iuſtitiæ.

——Ignoſcere pulchrum eſt
Iam miſero, pœnæq́, genus vidiſſe precantem.

Malum certè eſt, habere Imperatorem, ſub quo omnia liceat, inquit Xiphilinus, ex Dione in Nerua, & *vbi multis impunè abit, ibi virtus euaneſcit.* Ita verò agendum eſt, vt Principes iuſtitiæ aram ſacram retineant, & ſæuitiæ ſeu crudelitatis notam effugiant. Salutaris enim ſemper eſt ſeueritas, ſed peſtifera ſemper eſt ſæuitia.

CAPVT IV.

An vtilis ac neceſſaria ſit Regibus Clementia.

PVdet Medicum tot videre funera; an non Principes tæderet tot ſuorum intueri ſupplicia? Vtilius, audeo dicere, Regibus eſt ſæpè ignoſcere, quàm ſæpè punire. Dum ignoſcunt, ſubditorum omnium in ſe amorem conuertunt, quo ſanè nullum eſt firmius potentiæ munimentum: at ſæpè & ſeuerè dum puniunt, terrorem omnibus incutiunt, quo nullum eſt imbecillius poteſtatis fulcimentum. Oderunt Mortales, quem nimium timent; & ſemper, vt iugum excutiat, ſollicitus eſt timor. Quem amant autem, ſaluum eſſe omnes volunt, & vt ſit, laborant. Clementia quippè, & gratia vinculum ſunt amoris, cuius diſſolui nodus non poteſt. Nemo diſplicerè benigno cupit Principi, amare eum omnes & reuereri contendunt. Ipſorum maxima Regum gloria eſt, ſeruare quàm plurimos. Cæterùm maximopere hoc illis cauendum, ne dum videri Clementes volunt, puſillamines, & nimium indulgentes appareant. Moderata namque ſeueritas Maieſtatem præſtat, nec clementiſſimum etiam dedecet Principem.

Planè neceſſaria, & vtiliſſima eſt Clementia.

Teſtimonia & Exempla.

VTiliſſima inprimis eſt ad amorem ſubditorum conciliandum. Nam, vt ait Seneca in Theb.

Qui vult amari languidâ regnet manu,
Inuiſa nunquam imperia retinentur diu.

Solitudinem amicorum efficit auſteritas, inquit Plato, in Exemplis ad Dionyſium. *Cùm enim ſubditi metu ac vi coacti imperata faciunt, quamprimum per occaſionem licet imperij iugum ceruicibus eximere properant: atque ita ſuperbia & crudelitate Principum imperia delentur.* Ideò Saluſtius in Orat. de Ordinanda Rep. ad Cæſarem rectè monet, *Ne te quiſquam*, inquit, *ad crudeles pœnas aut acerba iudicia inuocet, quibus Ciuitas vaſtatur magis, quam corrigitur. Et quemadmodum arbores quadam reciſa pullulant; ita regia crudelitas inimicorum multitudinem tollendo auget*, vt ait Seneca 1. De clementiâ; ibidemque *Seueritas*, inquit, *aſſiduitate auctoritatem amittit.* Ideò omnium Principum eſſe poteſt ſymbolum, quod eſt ſymbolum Henrici primi Imp. *Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox.* Eſt etiam Clementia ſecuritatis magnæ cauſa. Idem cum Antigono Regi Macedonum ſuaderent amici, vt ſi caperet Athenas, eas validis præſidijs muniret, *Semper*, inquit, *in ea fui ſententia, nullum eſſe Regni præſidium firmius, quam ciuium beneuolentiam; nihil lenitate eſſe validius ad ſubditos in officio continendos; & clementiam plus poſſe, quam violentiam.* Ita Plutarchus ſcribit. Non aliam ob cauſam delitium & amor generis humani dictus

Varia teſtimonia.

 eſt Ti-

eſt Titus Veſpaſianus, quam quia clementiſſimus erat, & periturum ſe potiùs dicebat, quam perditurum, vt videre eſt apud Suetonium: ideoque factus erat Pontifex Maximus, vt in ſummo Sacerdotio puras à ſanguine manus ſeruaret. Cum Alexandro Seuero Mater Mammæa & vxor Memmia humanitatem & clementiam exprobarent, dicerentque. *Molliorem tibi poteſtatem & contemptibiliorem Imperij feciſti*, reſpondit ipſe, *ſed ſecuriorem & diuturniorem*. Valet etiam clementia ad hoſtes debellandos quadam ſuauitate amoris. Vnde cum Gothi defuncto Rege Athalarico cum ſingularem Theodoſij Imp. benignitatem clementiamque viderent, vltrò ſeſe Romano Imperio dediderunt. Idem ferè Perſæ fecerunt, qui quanquam ſæpè victores contra Romanos, vltrò tamen Conſtantinopolim ad Theodoſium Legatos miſerunt, pacemque petiuerunt moti eiuſdem Imp. inſigni benignitate, vt refert Baronius Tomo 4. De illo ita Ambroſius in Orat. Funebri. *Beneficium ſe putabat accepiſſe auguſtæ memoriæ Theodoſius, cum rogaretur ignoſcere, & tunc proprior erat veniæ, cùm fuiſſet commotio maior iracundiæ.* De Arcadij benignitate, ita Claudianus:

Exempla varia.

——— Non inſultare iacenti
Mallebat mitis precibus, pietatis abundans.
Pœnæ parcus erat, paci non intulit iram,
Poſt acies odijs idem, qui terminus armis.

Singulare exemplum eſt Caroli IV. Imperatoris. Hic cùm quendam, qui ſibi necem pararat, ad ſe accerſiri iuſſiſſet, plurimas ſui in illum affectus ſignificationes oſtendit, milleque aureos, quibus nuptui filiam collocaret, dono dedit. Tum inſidiator gratias Imperatori agens ad ſuos rediit, *Reuera*, inquiens, *neſciebam qualis Carolus eſſet, nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo modo poſſum.* Ita Æneas Syluius lib. 3. de rebus Alphonſi.

Exemplum.

T I T V L V S XIV.

De Liberalitate Regia.

CAPVT I.

An liberalitas ſit virtus Regia.

CVM nullum ſatis tutum ſit Imperium, niſi beneuolentiâ munitum, muniunt illud Principes ac Reges, qui benefici ſunt & liberales. Beneuolentiam enim liberalitas conciliat. Quæ virtus ita eſſe Regum propria videtur, vt nihil tam eorum Naturæ conueniat, quàm dare & alijs prodeſſe. Et quemadmodum Regna liberalitate melius, quàm armis conſeruantur; ita Regibus glorioſius eſt beneficijs, quàm armis ſuperare. Turpiùs quippè eſt munficentiâ vinci, quàm pugnâ. Igitur non Regia tantùm virtus eſt liberalitas, ſed etiam ad rectam adminiſtrationem, & Principatus incolumitatem maximum omninò præſidium.

Propria regum eſt liberalitas.

Authoritates & Exempla.

OMNINÒ virtus hæc Regia eſt; Reges enim vicarij ſunt Dei: ille autem ſcriptura ſacra teſte, *Pauperum pupillorum, viduarum tutorem ſe & Patronum appellat. Beneficia ſeu liberalitas,* teſte Corn. Tacito, *maximè imperitos monet & plebeios: ſed & præclara atque illuſtria ingenia beneficijs mouentur. Boni Regis officium proprium & opus eſſe* dicebat Cyrus, ciuitates beatas efficere, quod ditare quam diteſcere regium ſit magis,

Authoritates.

magis, vt crebro dicere ſolebat Ptolomæus Philadelphius Rex Ægypti. Diocletianus *primam Principum dotem liberalitatem eſſe* dicebat, vt teſtatur Pomponius Lætus in eius vita. Ageſilaus optimi Regis officium ponebat, *quamplurimis beneficijs ſubditos afficere, in ijs rebus, in quibus Ciuitati maximè proſunt*. Ideò quicumque ſummi Principes beneficentia vinci numquam voluerunt. Talis fuit Alexander Magnus qui à nullo vmquam beneficijs ſe victum gloriari ſolebat, vt refert Seneca. Talis Ludouicus primus Hungariæ Rex, qui nihil vmquam indignius moleſtiuſque tulit, quàm liberalitate ſuperari, vt teſtis eſt Bonfinius dec. 2. lib. 10. rerum Hung. Talis Anaxilaus Rex, qui interrogatus, quid eſſet in Imperio felicius; beneficijs, inquit, non ſuperari. Magnum ſanè firmandi Principatus inſtrumentum eſt liberalitas. Quod cùm non ignoraret Auguſtus Cæſar, teſte Tacito, vt ſibi Imperium confirmaret *militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otij pellexit*. Ideò etiam, vt eſt apud Saluſtium in Iurgurtha, *non exercitus,neque theſauros præſidia Regni eſſe dicebat, ſed amicos, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio & fide parantur*. Imperium adeptus Aurelianus Imp. magnates ſuos rogauit, quo pacto tandem imperandum eſſet: vnus verò ex ijs ita reſpondit, vt refert Zonaras, *ſi Remp. ritè adminiſtrare volueris, auro & ferro munitum te eſſe oportebit. Et quidem ferro contra hoſtes vti; tui verò obſeruantes auro remunerari*. Iacobus Almanſor Africæ & Hiſpaniæ Rex, *Auarum Principem* dicebat *vileri mortuum, vt qui amicis omnibus deſtitutus ingloriam & inuiſam omnibus agat vitam*. In eum autem finem notos eſſe Reges, vt alijs benefaciant. Et quemadmodum ab Oceano, quo influunt rurſus exeunt flumina, ita ſubditorum in Principes collata bona per liberalitatis riuulos in homines benemeritos, aut beneficijs dignos, rurſus eſſe diſpergenda.

Exempla.

CAPVT II.

Quomodo exercere liberalitatem Reges debeant.

Liberalitatis exercendæ modus hic eſt. Conſiderent inprimis Reges & præ oculis habeant omnem Ærarij ſui vim, ſeu facultates omnes ſuas, & Reipublicæ bona; vt cum modo liberales ſint, non prodigi. Qui enim ambitioſâ liberalitate ſuum & Reipublicæ Ærarium exhauriunt, illud non rarò ſubditorum lacrymis ac ruinis replere coguntur. Multi perdere ſciunt, pauci dare. Deinde cùm ſine delectu proijciamus potiùs, quàm demus; & liberalitatis duo ſint fontes, verum Iudicium, & honeſta Beneuolentia, videant Principes quid, quibus, & quomodo dent. Quid dent, nec facultates liberalitas excedat. Honeſta eſſe Regum dona debent, ne immodica. Quibus dent, & erga bene meritos vel egenos ſint munifici, ac tantum largiantur, quantum Principem pro ſuo tum ſtatu decet. Quomodo dent, ne nimirum vi quâdam ab vno extorqueant, quod in alium transfundant; & ne ſubditorum opes, veros liberalitatis Regiæ fontes, plus ſatis hauriendo exſiccent.

Conſiderandum inprimis Ærarium.

Videndum deinde quid, quibus quomodo, dandum.

Teſtimonia & conſiderationes.

Liberalitas, inquit, Boterus lib. 10. in duobus conſpicitur, videl. in ſubleuanda pauperum inopia, & in virtute promouenda. In ea verò conſiderandum hic inprimis Ærarium eſſe dicimus. Quia vt, ait Tacitus lib. 2. Analium, *ſi ærarium largitione exhauſerit, per ſcelera ſupplendum fuerit*. Nam vt benè monet Bodinus lib. 6. de Rep. cap. 2. *In bellis cum neceſſaria requiruntur, & pecunia deeſt, peruenitur ad exactiones nimias; proſcriptiones etiam bonorum virorum*;

Teſtimonia. Conſiderationes Ærarij.

rorum; quia Principem prodigum egeſtas ſequitur, egeſtatem extrema tyrannis. Falluntur ergò illi, quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit: perdere multi ſciunt, donare neſciunt. Talis erat Nero, qui ſordidos & parcos illos eſſe putabat, quibus

Exempla prodigorum.

impenſarum ratio conſtaret, ſed ipſe ſuo exemplo docuit, quam miſeri ſint Principes, qui prodigi ſunt. Miſer etiam ſuâ prodigalitate fuit Sigiſmundus Imp. Bohemiæ & Hungariæ Rex, qui, teſte Bonfinio dec. 3. lib. 3. cum inter amicos omnia profudiſſet, & ſæpè in Palatio nihil eſſet, quod ad Regiam menſam prærpararetur, non inuitatus amicos adibat. Miſer Caligula, qui cùm primò ſupra auri argentique aceruos immenſos patentiſſimo loco diffuſos ambularet nudis pedibus, & ſubinde toto corpore ſeſe volutaret, poſtea ob ſumptus citra modum factos non habuit, vnde filiam dotaret, teſte Suet. Veriſſimum eſt, quod ſcribit Vincentius Caſtellanus, lib. 3. De Officijs Regis, *Opulentiſſima Regna à prodigis Principibus eſſe exhauſta.* Vnde prudenter dixit Ludouicus X. Galliæ Rex, Satius eſſe Regibus, nihil omninò largiri, quam multa debere, vt refert Iouius de Viris illuſtribus. Quippè non abſque graui cauſa inter prima probra apud Perſas habebatur, *ſi Rex multa deberet*, vt teſtis eſt Plutarchus

Reuocare donationes Principum prodigorum.

de Ære alieno. Hanc ob cauſam multi prudentes Principes donationes ab Anteceſſoribus ſuis factas reuocauerunt. Reuocauit Galba Neronis donationes, & irritas eas poſt eius obitum fecit, teſte Suetonio, in eius vita. Baſilius etiam Macedo omnes prædeceſſoris ſui donationes ex publico ærario indiſcretè factas reuocauit, publiceque proclamari iuſſit, vt ſi qui illegitimè & indignè accepiſſent, reſtituerent. Eſt liberalitas virtus, quæ mediocritatem in dando erogandoque ſeruat, vt ſcribit 4. Eth. cap. 1. Ariſtoteles.

2. Conſideratio, vt honeſta donentur.

Habenda ſecundò ratio rerum eſt, vt honeſta ſint ea, quæ dantur. Nam, teſte Cicer. 1. Officior. *Nihil eſt liberale, quod non idem ſit iuſtum.* Deinde vt honeſtatis cauſa, non oſtentationis vel alterius rei gratiâ exerceatur. Vnde reprehendendus Tiberius Imp. qui Flaccio & Piſoni Prouincias præfecturaſque præmij loco contulit, *quod biduo ſecum potitaſſent*, vt refert Suetonius in Tiberio. Neque enim ea egregia præmiorum ratio eſt, quæ tum danti, tum accipienti indignationem adfert. In eo etiam liberalitatis limites exceſſit Alexander Magnus, teſte Plutarcho, in Alexandro, quod poſt multas victorias inſtituto amicis conuiuio, tamquam aliquo vini diluuio, meracæ potionis certamen propoſitâ victori palmâ & coronâ exhibuerit, in quo Promachus bibaciſſimus omnium iudicio prædicatus, & præmium promeritus coronâ vnius talenti à Rege donatus eſt; ſed morbo ex ingluuie contracto ilicet correptus, & triduo poſt extinctus eſt, cuius funus ſecuti ſunt vnus & quadraginta compotatores.

3. Non quibuſlibet.

Habenda poſtremò perſonarum ratio eſt, *vt non quibuſlibet ſine diſcrimine detur*, inquit Ariſtoteles lib. 4. Eth. *ſed quibus oportet.* *Eſt* enim, vt dicere conſueuerat Alexander Magnus, *eiuſdem vitij nihil prorſus dare, & dare indignis; cum benefacta malè collocata, ſint malefacta*, vt ait Cic. Nec tantùm hoc, verum etiam cùm indignis opem ferimus aut præmium, virtuti iiſque, qui benè meriti ſunt, inſignem inferimus iniuriam.

CAPVT III.

In quos potiſſimùm liberales eſſe Reges debeant.

SAnè in Calamitoſos, qui non culpâ ſuâ, ſed fortunæ inuidiâ ſunt tales. Regiæ enim humanitatis eſt proſpicere egenis, quibus vitæ ſubſidiùm fortuna negauit. Sed perſonarum inprimis Nobilium, ſi

In Nobiles egenos.

egeant, rationem habeant, vt ſcilicet benignam iis manum porrigant, quorum virtus ſæpè probata aſſurgere non poteſt. Nam, ne clariſſimæ plerumque familiæ per inopiæ anguſtias extinguantur, danda eſt opera: ideóque

ideóque ſi qui ſtirpe Nobiles à re familiari deſtituantur, etiam pecuniâ,& conſtitutis in annos ſingulos honorarijs ſunt iuuandi. Bene meriti deinde Regiæ munificentiæ participes fiant. Non meliùs enim, quàm apud eos, liberalitatis è Regia manu munus collocatur; & in ijs etiam ob quam donent, cauſam Reges inueniunt. Tum denique in cæteros pauperes & egenos beneficentia ſeſe Regum effundat, vt qui ab ijs potiſſimum vitæ auxilia expectant, ſpe ſuâ non fruſtrentur. Et cùm nullum ſit certius felicitatis argumentum, quàm poſſe quàm plurimos felices facere, tum certè quantâ maximâ poſſunt benignitate Reges tractare egenos debent, &, quod maximè Regium eſt, ditare. Vt nimirum Patriæ ſimul ſint, & pauperum Patres. Liberalitatis gratia vera Regum eſt gloria. *In benè meritos.* *In pauperes.*

Perſonæ dignæ liberalitate, & exempla.

1. Nobiles pauperes. Liberales ſint oportet inprimis in Nobiles facultatibus deſtitutos. Ita ratio ſuadet, vt ſi in quibus virtus multoties probata aſſurgere non poteſt, iſſdem benignam manum Principes porrigant. Sic Nero Senatorum cuique nobiliſſimo, ſed à re familiari deſtituto, annua ſalaria & quibuſdam quingena conſtituit, teſte Suetonio. Item Exempla. Auguſtus Cæſar, Hortalium Hortenſij nepotem, vt vxorem duceret, pecunia iuuit, ne clariſſima familia extingueretur. Eodem teſte Suetonio, apud quem etiam de Tiberio legitur, qui Æmylij Lepidi, & M. Seruilij nobilitatem iuuandam duxit. Sint deinde 2. Benemeriti. liberales Principes in benemeritos. Hinc eſt illud apophtegma Cai Cottæ, quo dicebat, *operam quidem ſuam ſeſe polliceri ſolere omnibus, ſed impertiri ijs, apud quos optimè poni arbitrabatur.* Sentiebat comitatis eſſe benignè polliceri, ſed quoniam ex æquo omnibus præſtari opera non poteſt, eligendos eſſe, quibus impertias; quinam verò illi potius eligendi, quam benè de nobis meriti? Exemplum. Quare Archelaus Macedonum Rex, vt refert Plutarchus de vitioſa verecundia, cùm inter cœnandum quidam ab ipſo poculum aureum poſtularet, nihil, niſi accipere honeſtum duceretque Rex miniſtro imperauit, vt poculum aureum Euripi daret, hominemque illum intuitus, *Tu quidem*, inquit, *dignus es, qui poſcas nec accipias.* Hic verò dignus eſt, qui etiam non poſtulans accipiat. Ita pulchrè declarauit, non ex pudoris arbitrio, ſed ex iudicij delectu donationem ac largitionem eſſe faciendam. Omninò quippè virtutis prœmia tribui merentibus conuenit. Monet autem Boterus lib. 1. cap. XX. *ne liberalitas ſimul & ſemel effundatur in bene meritos, ſed ſucceſſiuè.* Cui enim pauca dedit liberalitas, næ ille bonâ ſpe tenetur fore, vt paulò poſt ſplendidiora accipiat; interim agnoſcit ſe benefactori multis modis deuinctum. In quos autem nimia & exuperantior liberalitas fuerit, ij tentaturi ſunt media alia, quibus ad maius lucrum ſibi viam ſternant. Tenues pluuiæ melius terram humectant ſi continuæ ſint, quam ſubiti & denſi imbres; ſic liberalitas legitimè adhibita plus gratiæ & amoris habet, cùm non tota diffunditur ſimul. Poſtremo liberales ſint Principes in pauperes. Nam vt dicit Sen. in Medea 3. In pauperes.

——Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies
[illegible] Prodeſſe miſeris.

Hoc nomine commendati ſunt plurimi Principes. Conſtantinus inprimis, cuius liberalitatem cùm fusè extulit Euſebius, tandem aſſerit *neminem vnquam rectè ad eum aduentaſſe, qui non aliquo bono potitus; neque eos ſpes bona fruſtrata eſt, qui ab eo aliquid expectarent auxilij.* Penè amplius verò eſt, quod de Capeto Galliæ Regis filio refert Bodinus lib. 6. de Rep. Is enim mille pauperes humaniſſimè ſemper fouit, qui eum in equis quocumque iret, ſequebantur & vota faciebant. Vnde etiam nemo diutius aut felicius illo imperauit. Idcircò D. Ludouicus Galliæ Rex extrema cohortatione filium Regni ſucceſſorem ſtudioſiſſimè admonuit, vt *Deum imprimis veneraretur, deinde egenos ac tenues quanta maximè poſſet benignitate foueret.* Ipſe autem tota vita centum & viginti pauperes quotidie ſuſtentauit eodem ſecum victu. Penè nimius hac in re fuit Tiberius ſecundus Imperator, & ipſam Rempublicam in paupertatem redegit. Qua de re cùm ab Auguſta admoneretur magna fiducia, *Deus*, inquit, *non* 4. lib 4. de vita Conſtantini. Exempla.

deerit

deerit Fiſco noſtro. Quod exitus probauit; inuentus enim fuit theſaurus in Palatio centum millium aureorum. Ludouicus V. Scotorum Rex pater pauperum ob liberalitatem in eos eſt dictus. Notandùm illud Agapeti in Epiſt. Daræn. ad Iuſtinian. imp. *Veſtimentum non veteraſcens eſt beneficentiæ amictus & incorrupta ſtola eſt amor erga pauperes.* Addo poſtremò illud Ariſtotelis ad Alexandrum: *Vnum dicam*, inquit, *quod numquam ceſſaui dicere, Auaritiæ fugam & liberalitatis gratiam Regum eſſe gloriam & Regnorum fundamentum.* Olim in Gallicanis Sanctionibus primum caput expenſarum ad ſubleuandos pauperes, ſecundum ad alendam Regiam domum, tertium ad Palatia & arces reficiendas ſpectabat. Nota.

CAPVT IV.

Quo potiſſimùm tempore liberales eſſe Reges debeant.

REgum liberalitas nullo tempore definitur, & præuidere difficultatem, & præuenire preces ſolet. Ac quemadmodum Sol, vt exoriatur, hominum preces non expectat, ſed exſurgit ſtatim & ab omnibus ſalutatur, ita Reges, vt benefaciant, nec ſtrepitus, nec laudes, nec plauſus expectant; vltrò verò ac ſponte ſuâ neceſſitati ſuccurrunt, & tanquam benefici quidam ſoles egenis exoriuntur. Tunc tamen apparere potiſſimùm eorum benignitas & munificentia debet, cùm ingens aliqua Rempublicam calamitas vexat, vel fame, vel incendio, vel peſte, bello, eluuione, & alijs eius generis incommodis. Quo tempore eſſe ſanè Reipublicæ Patres debent, & à manu ſua egenis remedium, afflictis ſolatium, calamitoſis refugium adferre. Quod ſi adeſſe omnibus præſenti auxilio non poſſint, animum tamen ſuum & propter Reipublicæ mala dolorem teſtentur, quoque poſſint modo, omnes ſolentur. Omni autem conſilio prouidendum eſt, ne extrema aliqua populum neceſſitas inuadat; hæc enim deſperationem parturit; deſperatio conſpirationem generat, conſpiratio rebellionem machinatur, & in ciuile bellum erumpit. Omnes enim ſuæ miſeriæ & neceſſitatis cauſam Regum inertiæ adſcribunt, quorum eſt à ſubditis ſuis calamitates arcere.

Tempore potiſſimùm calamitatis.

Prouidendum ne extrema neceſſitas ſit.

Explicatio temporis & Exempla.

tempore calamitatis potiſſimum.

OMni omninò, ſed calamitatis potiſſimum. Sequi Epicteti monitum apud Stobæum, & Titi Veſpaſiani exemplum Principes debent. *Sicut Sol*, inquit Epictetus, *preces vel blandimenta non expectat, vt exoriatur, ſed ſtatim ſurgit, & ab omnibus ſalutatur; ſic tu nec plauſus expecta, nec ſtrepitus, vel laudes, vt benefacias, ſed ſponte benefac, & pariter ac ſol, omnibus carus eris.* Titus autem Imp. teſte Suetonio, in eius vita cap. 8. cùm acerbiſſimæ calamitates Remp. vexarent, tanta cura & ſolicitudine perfugium & ſolatium afflictis hominibus præbuit; egenorumque neceſſitatibus remedium adhibuit, vt vel idcircò delitium generis humani ſit dictus. Opportunum eſt tempus, cum Reſp. graui aliquâ clade vexatur, vt fame, peſte, incendio, eluuione, bello & eiuſmodi incommodis alijs. Quod ſi integrum adferre remedium non poſſint calamitati, ſaltem, verbis, litteris, & ſignis alijs dolorem ſuum Reip. teſtentur, & quantopere cupiant ſubditis laborantibus ſubuenire.

CAPVT V.

An ergò patere omnibus paſſim ac ſemper Reges debeant?

Cum modo ſint liberales.

NOn equidem. Nam ita liberales eſſe debent, vt Ærarium non euertant, cùm ij, qui largitionibus nimijs Ærarium exhauriunt, poſteà ad rapinas animum conuertant; & quod periculoſiſſimum eſt, ſubditos ſuos grauiſſimis pecuniarum exactionibus opprimant. Habeant accuratam expenſarum ſuarum rationem, ne vlla inopia ſubrepat. Tunc enim nec bene meritis benefacere, nec improbos poſſunt punire; & ſi bellum exoriatur, impares ſunt. Nec deſunt aut vicini, aut mali ſubditi, qui Regum potentiam & Reipublicæ Ærarium ſemper explorent. Illud optimum, frequentiora dare dona, quàm magna; ſic enim maiorum beneficiorum ſpes ſtimulabit, & vigilantes ſubditos faciet. Deinde non in vnum, vel paucos beneficia conferre omnia oportet. Eorum enim & aliorum ſpes conſumeretur. Alij ſpe ſublatâ ſegnes eſſent ad obſequia; illi verò tam multis & tam magnis aucti beneficijs odiſſe inciperent, & cùm ſoluendo non eſſent, creditorem ſublatum cuperent, à quo etiam nihil ampliùs ſperarent.

Non omnia vni aut paucis danda.

Teſtimonia & Exempla.

Democriti teſtimonium.

ID hoc capite negamus: cum modo enim eſſe liberalitas debet, ne Ærarium euertatur, qua de re diximus capite ſecundo. Hinc Democritus, vt teſtis eſt Ælianus, cum hominem malè liberalem ac multa temerè profundentem videret, *malè*, inquit, *pereas, quia gratias Virgines Meretrices effeciſti*. Ex prodigalitate multa in Remp. mala infundi iam etiam ſupra diximus. Quippè omninò opus eſt modum donationibus, expenſis, & ſumptibus quibuſcumq; alijs adhiberè. Quam ob cauſam cùm Thomas Bricotus Pariſienſis Academiæ Doctor Franciſcum Primum Galliæ Regem inaugurationis eius die à munificentia potiſſimùm laudaret, oſtenderetque eum inſtar Diui Franciſci ſtigmata quædam & foramina in manibus habere, quibus continere nihil poſſet, monuit tamen nequaquam expedire ipſum habere manus perfoſſas & patulas; ſed interdum opus eſſe manus obſtruere, & expenſis muneribuſque modum ponere. Alphonſus Neapolitanus cùm nullum maximis quotidie Aulæ ſuæ ſumptibus modum poſuiſſet ingens æs alienum contraxit, cumque creditoribus ſatisfacere non poſſet, multos regij cenſus miniſtros tandem mulctæ nomine omnibus penè bonis ſuis ſpoliauit.

Thomæ Bricoti.

TITV-

TITVLVS XV.

De Modeſtia & Facilitate Regia.

CAPVT I.

An Modeſtia Facilitaſq́; Reges deceat.

Modeſtia faciliſtaſq́; Principes exornant.

PRVDENTES Principes vitæ Modeſtiâ magis, quàm potentiâ delectantur. Certè tolerari ſummum Imperium à ſubditis non poſſet, ſi ad illud naturæ aſperitas adiungeretur. Ex Modeſtia quædam naſcitur Facilitas, gratiſſima in Principibus virtus, quâ omnibus ſe dant, vt ſe illis omnes dent. Cùm enim, qui multis imperant, multis aditum concedere debeant, decet vt facilitate quâdam omnes excipiant. Sola quippe propemodum comitas ac ſuauitas imperantis ſubditorum voluntatibus facit ſatis; & lætiſſimus à Principe recedit, qui eum non difficilem eſt expertus. Itaque Regium eſt in omni actione Modeſtiam præ ſe ferre, & facilem ſe omnibus exhibere.

Teſtimonia & Authoritates.

Authoritates.

SVBLIMIVM *maxima gloria eſt, quàm maximè ſe ſubmittere*, inquit D. Chriſoſtomus, hom. 3. in cap. 1. Matth. *Vt enim in mediocribus*, ait Caſſiodorus, Epiſtola. 44. *iactantia eſt odioſa, ita in Magiſtratu modeſtia & humilitas eſt glorioſa.* Quia teſte Sen. Epiſt. 121. *Maximum argumentum eſt animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur, humilia iudicat & anguſta.* Et verò, teſte Cic. Epiſt. 1. ad Q. Fratrem. *Nihil eſt tam deforme, quàm ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adiungere.* Secundùm autem Claudianum 6. Hon.

Publicus hinc ardeſcit amor cum moribus æquis
Inclinat populo regale modeſtia culmen.

Sanè *modeſtiam ſub amore Principis cuſtodire nouum eſt, quæ tam clara, quam rara eſt; quia gaudia ſemper animos inquietant; modus enim rarò lætis rebus interuenit*, vt ſcribit Caſſiod. lib. 4. Epiſt.

CAPVT II.

In quibus Modeſtiam præ ſe ferre Reges debeant.

In ſermone, qui breuis ſit.

IN ſermone & externo cultu. Sermo breuis eſſe debet & reſtrictus. Quippè ſermonis breuitas Principes decet, quorum eſt multa audire, pauca reſpondere. Et cùm eorum ſermones, vt plurimum, præcepta ſemper ſint quædam & iuſſa, breuibus formari verbis debent. Pulchrum eſt cum imperatoria quadam breuitate Principes, quod volunt, pronuntiant. Eorum enim auctoritas obtemperantibus pro ratione eſt. Externi cultus modeſtia in veſtitu Comitatuque appareat, vt manife-

In viſtitu, qui non ſit arrogans.

manifeſtum omnibus ſit, Regiam Maieſtatem virtute, non corporis cultu, conſtare. Veſtitus ſit pro dignitate honeſtus, non vanus; & abſit nimius ille auri fulgor atque argenti, quem, qui vnquam magni Principes, ſpreuerunt. Nulla enim à cultu illo auctoritas; & nonnunquam veſtitus incuria Principum perſonis plus admirationis conciliat, cùm moribus & actoritate Reges eſſe malle, quàm auro, diademate, ſceptro, purpuraque videantur. Altæ indolis eſt ex corpore laudem non captare. Quod ſi in publico quandoque Ordinum Regni conſeſſu comparendum ſit, vel audienda legatio, ſplendidior tum eſte Principum ornatus debet, ne deſpicatiui ſit perſona, cuius auctoritas propemodum adoratur. Antiquo tamen & recepto cultu, non peregrino vtantur: ille ad concilianda vulgi ſtudia eſt, hic ad animorum alienationem.

In Comitatu pro dignitate. Comitatus & numero & apparatu ſit pro dignitate, vt ſplendorem adferat, & iuſtam moderationem non excedat. Magna virtus, non magna familia Principem magnum facit. Sed de Principum miniſtris infrà.

Teſtimonia & Exempla.

Tarde loqui. INprimis in ſermone. *Hæc eſt regalis virtus*, inquit Caſſiodorus 10. Var. 4. *Celerius neceſſaria ſentire, ſed tardius in verba prorumpere.* Ideò monet D. Ambroſius 1. De Offic. cap. 3. *Sit grauitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus.* *Et breuiter.* Cur autem breuis eſſe Regum ſermo debeat, rationem reddit hanc Demetrius Phalereus lib. 1. de Elocut. *Quare præcepta & iuſſiones, quæ Principi conueniunt breuibus formantur verbis, preces, autem, quæ humilioribus, verboſæ & longæ eſſe debent.* Qui loquaces ſunt, multum loquentiæ habent, ſed ſapientiæ parum, & eorum vis omnis & virtus in lingua ſita eſt. Commune verbum eſt, *Canis timidus latrare ſolet vehementius, quam mordere.* *Signum boni Principis loqui & tacere.* Eſt ſemper optimi Principis ſignum parum loqui & tacere; nimium verò loqui emotæ & curioſæ mentis eſt inditium.. Sicut autem, inquit Senec. Epiſt. 40. *Sapienti viro inceſſus moderatior conuenit, ita oratio preſſa, non audax.*

Veſtitus decens dignitatem. Secundo *in veſtitu*, qui decens ſit & modicus, dignitati tamen conueniens. Alexander Seuerus cum ab Aulicis reprehenderetur, quod humili contentus eſſet veſtitu reſpondit, *Imperatoriam Maieſtatem conſtare virtute, non corporis cultu. Turpe enim Sapienti eſt cum animum habeat captare laudes ex corpore*, vt habent verba Iuſtiniani apud Marcellinum lib. 25. Comptior ille ornatus mulierum proprius eſt, non Regum; ideò *monilibus ac margaritis, quæ ſunt ornamenta fœminarum, viros deformari ſcribit* Quintilianus lib. 11. cap. 1. Nec immeritò reprehenſus olim ob luxum Nero, *quod nullam veſtem bis induerit. Præcipuus obſtricti moris auctor eſſe debet Princeps, antiquo ipſe cultu victuq;*, vt ait Tacitus 3. An. Et verè Menander. *Immodicus adfert luxus arrogantiam.* Pulchrè verò Cyrus Perſarum Rex, qui cum omnia miſſa ad ſe ornamenta amicis diſtribuiſſet, ita reſpondit, teſte Zenop. lib. 2. Cyripæd. *Quoniam corpus meum his ornari non poteſt, supereſt vt amicis largiar quibus ſic ornatu maximum mihi ipſi ornamentum eſſe putabo.* Alexander Seuerus, teſte Lampridio, *Holoſericas veſtes numquam induit, ſubſericam nunquam donauit: imò gemmarum quicquid fuit vendidit, aurum autem in ærarium contulit, dicens, Gemmas viris vſui non eſſe, matronas autem Regias contentas eſſe debere vno reticulo atque inauribus & baccato monili, & vnico pallio auro ſparſo, & cyclade, quæ ſex vncias auri plus non haberet.* *Splendidi in publico Principes ſint.* Sint tamen, cum in publicum prodeundum eſt, ſplendidi Principes, vel cum audienda legatio eſt. Ideò Pulcheria Theodoſio Imp. fratri ſuo ſuadebat, vt refert Nicep. lib. 14. cap. 2. Ne vnquam in publicum congreſſum prodiret, *niſi magnificus eſſet & ſplendidus.* Idem ſuaſit Iſocrates Nicocli Regi, vt pátet ex eius ad ipſum oratione. Nimirum *in veſtitu & corporis ornatu ſplendidus eſto, in aliis actionibus laborum tolerans, vt Reges decet, vt qui viderint, ob aſpectum Regno te dignum iudicent.* Nec aliam ob cauſam Ludouicus XI. Gallorum Rex irriſus ab Hiſpanis fuit, quam vili panno coloris

impluuiati indutus eſſet; quod cùm ipſe reſciuit, nulli poſtea Principi vel Legato ſui copiam fecit, niſi in cultu decoro, & ad Regiam Maieſtatem habili.

Comitatus ſit moderatus.

Tertiò in Comitatu, qui iuſtam moderationem excedere non debet. Is verò cùm in Aulicorum numero conſiſtat, de ijs lib. 3. dicemus. Denique elucere modeſtia in omni actione debet, in inceſſu progreſſuque, atque adeò in ipſo vultu. Exemplo ſit Traianus Imp. de quo Plinius in Panegyri. *Ita domo progrediebatur, vt illum nullus apparatus arrogantiæ principalis, nullus præcurſorum tumultus detineret; nemo perturbabatur, nemo ſubmouebatur; tanta viatoribus quies, tantus pudor faſcibus, vt plerumque aliena turbæ ſubſiſtere Principem cogeret. Ipſius quidem officium tam modicum, tam temperatum, vt antiquus aliquiſque magnus Conſul ſub bono Principe incedere videretur.* Alphonſus autem Aragoniæ Rex illud ſæpenumero vſurpare ſolebat, *cupere ſe moribus & auctoritate potius Regem videri, quam purpura aut diademate.* Quippè ſcire Principes debent, quod dicebat Carolus V. ab omni impotenti elatione ſeiunctus Imperator, *Quo quiſque maior, eo ſe ſubmiſſius gerat.* Et cum fiducia virium & potentiæ, Regni amplitudo & exercituum magnitudo efferre in ſuperbiam plerumque Regum animos ſoleat, tum memores eſſe debent rerum humanarum inconſtantiæ, & vindictæ diuinæ, quemadmodum Xerxem Artabanus apud Xenophontem hortabatur.

Traiani Exemplum.

CAPVT III.

Quam modeſtiam in victu ſeruare Principes debeant?

QVam ipſa temperantia præſcribit, quæ immoderatas cibi potuſque delicias ad mediocritatem reducit, & luxum libidinemque ac non rectas cupiditates coërcet. Eius eſt munus, quidquid hac in re nimium eſt, moderari. Nolo fercula in Regum menſis numerari; ſit modus tamen quem ſanitas & honeſtas dabunt. Nam qui multa poſſident, non pro libidine viuere, ſed pro ratione debent; vt quemadmodum ſordibus carere eorum parſimoniam oportet, ita ſine reprehenſione ſit opulentia. Non abdomini indulgendum lautius, ſed curanda Reſpublica cautiùs, ne fiſcus ſeruiat ventri, non regimini. Nihil turpius, quàm Principes cibo & potu diſſolui. Itaque fugienda ijs vel maximè epularum fœda & inexplebilis libido. Et exulare ab Aulis ij debent, qui portentoſa quædam ciborum genera comminiſcuntur, vt laſciuientes & bacchantes Principes alant. Certè non exquiſitiſſimæ epulæ longiſſimam vitam efficiunt, ſed quæ vulgares. Adeò præſtat, vt locorum ac temporum fructibus Principum menſæ inſtruantur, quàm vt externæ prouinciæ & maria pro obſonijs ſollicitentur. Sic fiet, vt hoc exemplo blandiſſimè ſubditorum luxuria reſtringatur, quæ imperatam correctionem vix admittit. Menſa Principis Regula ſit ciuitatis: in ea dignitati aſſideat ſobrietas, & finis ſanitas ſit, non voluptas.

Seruanda in victu lex Temperantiæ.

Teſtimonia & Exempla.

MOdeſtia tum in victu laudatur, cum temperantiæ lex ſeruatur. Pythagoras, qui primus Philoſophi nomen inuenit, *viris fortitudinem, mulieribus pudicitiam, pueris verecundiam, omnibus frugalitatem propoſuit*, quæ menſura rerum omnium eſt optima. Hac virtute vt Ægyptij Regnum eſſe muniendum docerent Taurum quadrupedum omnium continentiſſimum Regis fecerunt Hieroglyphicum. Hęc temperantię ſeu frugalitatis virtus Principibus ſummè neceſſaria eſt, & ad tuendam conſeruandamq; dominationem permagni ponderis. Et omninò

Seruanda lex temperantiæ.

miſſos

miſſos facere honores, nec attingere Rempub. illi debent, qui voluptatium lenocinijs ſeſe dederunt, vt ait Cic. Orat. pro Sextio. Miſera iudicatur terra, cuius Principes mane comedunt; beata verò illa, cuius Principes in tempore veſcuntur, ad reficiendum, non ad luxuriam, vt videre eſt Eccleſiaſt. cap. x. Ægyptiorum Reges, vt ſcribit Diodorus lib. 1. cap. 6. cibo vtebantur ſimplici, in eorumque menſam nihil præter vitulum & anſerem inferebatur; vini potandi certa erat conſtituta menſura, quâ neque farciri venter, neque ipſi inebriari poſſent. De Samuele Philo Iudæus lib. de Temulentia ſcribit, eum omne vinum & quicquid potum inebriat, numquam bibiſſe, ſicut ſacra etiam eloquia teſtantur, atque ita laudandum in modum Iſraelitas gubernauiſſe. Ipſe Iulius Cæſar, teſte Suetonio, magnam in omnium animis admirationem ſobrietate ſuâ ſibi concitauit. Vnde de illo Cato dicebar, eum ex omnibus vnum ad Remp. euertendam ſobrium acceſſiſſe. Reges Perſarum, ſi credendum eſt Alexandro lib. 2. Genial, cap. 25. pane dumtaxat, pulte, cardamo & ſale veſci ſolebant. Sobrietatem hanc pulchrè docuit Phocion Reip. adminiſtratoribus conuenire. Apud illum cùm Orator quidam luxurioſus pranderet, miratuſque tenuem apparatum, diceret, *Demiror, ô Phocion, te Remp. adminiſtrare, & iſto modo prandere; imò verò*, inquit Phocion, *ita prandeo, quia Remp. adminiſtro*. Fridericus III. Imp. vinum non niſi dilutum bibebat, teſte Cuſpiniano. Alphonſus Rex Aragonum & Siciliæ idem faciebat, cumque rogatus eſſet, cur tam copioſâ aquâ vinum dilueret. *Ne ebrius*, inquit, *fiam. Vino ſapientia obſcuratur; ideò non decet Regem hoc immodicâ potatione extinguere, ſine quo Regis nomen ritè tueri non poteſt. Quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum Regis gloriæ obfuerit, non ignoro.* Non immeritò proinde Claudius Imperator, vt ſcribit Xiphilinus, delitias omnes, quæ

Exempla.

Caligulæ temporibus introductæ fuerant, ſuſtulit: quin etiam cauponarias officinas euertit, quod omnis nequitiæ luſtra tabernas eſſe dictitaret, vt habet Alex. ab Alex. lib. 4. Genial. cap. 3. & eodem lib. c. 6. Carthaginenſes toto Imperij tempore Magiſtratui vinum interdicebant. Carolus Magnus non amplius ter in cœna; neque temerè interdiu bibebat. Idem vetuit, ne in caſtris ſeu expeditione alius alium ad bibendum prouocaret, aut cogeret. Ebrium in exercitu in poſterum aquam potare compulit, vt refert Crantzius rerum Saxonicarum lib. 2. cap. 8. & Auentinus lib. 4. Maximilianus Primus Imp. in menſa vt plurimum ter, extra menſam rarò bibebat; ideóque valetudo illi vſque ad vitæ finem proſpera ſemper fuit, teſte Cuſpiniano in eius vita. Auguſtus quoque Cæſar minimi cibi & tenuiſſimi potus fuit. Sed & ipſi belli Duces ſobrietatem hanc coluerunt. Vnde Vegetius de Hannibale ait, lib. 4. cap. 3. *De nocte ſemper ſurgebat, ante noctem numquam quieſcebat, crepuſculo demùm veſpertino cœnæ vacabat, vino vix vllo, ſi tamen vtebatur, parciſſimè vtebatur. Numquam ampliùs duabus horis apud eum diſcumbebatur.* Scipio Æmilianus, teſte Polycrate lib. 5. cap. 7. cùm aduerſus hoſtes iturus eſſet, toto belli tempore nec vino vtebatur, nec menſâ, ſed huc illuc ambulans, pane veſcebatur ſicco, & lympha è fonte proximo ſuppeditata ſitim reſtinguebat. Cato tenuiſſimo ac viliſſimo remigum vino contentus erat, nec vmquam, dum gereret Rempub. pretioſius bibere voluit. Princeps igitur ac potiſſimùm Chriſtianus ſuo exemplo ad omnem temperantiam & moderationem concitare ſubditos ſuos debet. Id exprimit Iſocrates ad Nicoclem: *Non poſtules, vt alij modeſtè viuant, Regibus petulanter viuere liceat; ſed tuam temperantiam alijs exempli vice proponito: nec enim ignoras totius Ciuitatis mores ad exemplum Magiſtratuum conformari.*

Quoties Principibus bibendum in menſa.

Parcus vini vſus.

CAPVT IV.

In quo Principum ac Regum facilitas conſiſtat.

IN eo, vt omnibus facillimos ad ſe aditus præbeant, omnium querelas audiant, neminem excludant.

Vt ſui copiam faciant & omnes audiant.

Sic fiet, vt iſtâ comitate & morum ſuauitate adamantinis ſibi vinculis omnes obligent. Sed inprimis Nobiles audiant & Optimates, deinde etiam plebeculam: illorum maioris eſſe momenti negotia ſolent, huius ferè ſemper quædam eſt neceſſitas, Quod caput in corpore, hoc in Rep. Rex eſt. In capite tantùm, non in alijs etiam membris, oculi & aures ſunt, vt indicium ſit, Regis eſſe omnes cognoſcere & audire. Qua in re illud videbit, vt alloquio blandus ſit, & neminem, niſi contentum, à ſe dimittat. Laborioſum ac tædioſum eſſet Principi ſemper clauſum eſſe, vulgo verò odioſum. Neque enim ſubditi animos ijs Dominis aperiunt, qui fores ſubditis ſuis claudunt; ſolâ autem conuerſationis ſuauitate factum ſatis ſibi putant, ſi comem & affabilem Principem experiantur. Porrò ſeruandus hic modus, ne auctoritatem nimia facilitas diminuat. Nimirum, vt cùm humanitate morumque ſuauitate grauitatem præ ſe ferant Principes, nec acerbi, ſed tamen auguſti appareant. Quippè Maieſtatis cuſtodia Principatus eſt diſciplina.

Sed cum modo.

Teſtimonia & Exempla.

Facile audire Principes debent.

IN eo videlicet, vt ſui copiam faciant, & omnes audiant. Apud Traianum Imp. vt ait Plinius in Paneg. *Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora; audiuntur ſtatim, dimittuntur ſtatim.* Et omnino, vt ait Auſonius in Panegyrico Gratiani. *Laudabile eſt Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione cauſari. Popularis enim & grata eſt omnibus bonitas, nihilq́; quod tam facile illabatur humanis ſenſibus. Ea ſi manſuetudine morum ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate ſermonis verborumq́; honore, patienti quoque ſermonum vice modeſtiaq́; adiuuetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis.* Ita D. Ambroſius lib. 2. De Offic. c. 7. Artaxerxes Cyri frater, cognomento memor magnum ſibi Perſarum amorem conciliauit, dum non ſolùm ſeipſum affabilem volentibus præbuit, verùm etiam vxorem iuſſit ſublatis rhedæ aulæis vehi, vt ijs, qui eam conuenire vellent, etiam in itinere aditus pateret, vt habet Plutar. in Regum Apophlegh. Eodem modo Alphonſus Alphonſi iunioris Calabriæ Ducis auus hac vnâ re potiſſimum beneuolentiam hominum ſibi comparauit, quod neminem à ſe abire triſtem patiebatur, vt refert Pontanus de Principe. Et idem cap. 15. de beneficentiâ ſcribit Franciſcum Sfortiam Mediolanenſem Ducem, in publicá conſtitutum audientiâ exteros & infimos quoſque primo omnium ſummâ humanitate & clementiâ audire ſolitum fuiſſe. *Hac comitate & ſuauitate morum omnes facillimè adamantinis vinculis obligantur*, vt ait Gregoras lib. 6. Vnde merito Cic. Epiſtola 1. ad Q. fratrem ſuum, ita illum monet *facillimos eſſe aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium; nullius inopiam ac ſollicitudinem non modo illo populari acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem tua & cubiculo excluſam tuo; toto deniq́; in imperio nihil acerbum eſſe, nihil crudele, atque omnia plena clementia manſuetudinis, humanitatis.* M. Aurelius Imp. ita facilis & affabilis fuit, vt quanquam Imperij negotia ab ipſo vno penderent, nunquam tamen vſus ſit domi ſuæ admiſſionum magiſtro aut cubiculario, nec quenquam, cui negotij foret aliquid, ſi quod interueniſſet impedimentum, vel vnum diem reiecit. Quippè nimis illiberalis eſt Princeps, qui erga eos verborum commodorum eſt parcus, qui ip-

Exempla iſtius facilitatis in audiendo.

ſum

ſum multis & plenis obſequijs demerentur. M. Barbadicus Venetorum Dux, vt ſcribit Sabellicus lib. 3. Dec. 4. Ne ob curarum multitudinem minus ad ſe aditus pateret maximè inopibus, voluit vt omnium, qui audiri vellent nomina octauo quoque die in ſortem conijcerentur, atque ita quorum nomina primò educta eſſent, illi ad ſuum tribunal prius aditum haberent. Quo factum eſt, vt neque ambitio, neque gratia inopiæ obſtaret, neque ſpes illius adeundi cuiquam adimeretur. Iulij Conſtantij Imp. ſymbolum fuit, *Patiens ſit Principis auris*, quo declarare voluit. Principem libenter omnes audire debere. Id verò ratio postulat: cùm enim ab omnibus tributa exigant, æquè omnes audire debent diuites, pauperes, mulieres. Quam ob cauſam prouidi Principes ſedem & domicilium in medio Regni eligunt, vt facilius ad illos vndequaque ſit aditus. Nihil gratius ſubditis eſt, quam cùm intelligunt aures eius, qui regnat, ſibi patere, nec querelis ſuis clauſas eſſe. Laudatur proinde ab Ælio Spartiano Traianus, quod cùm iam equum conſcendiſſet in bellum iturus, tantum ad paupercula mulieris querelam audiendam deſcenderit. Certè vbi Principum vel aures vel fores non patent, ibi etiam viſcera ſubditorum dominis ſunt clauſa. Adrianus Imperator cùm mulierculæ cuidam diceret ſibi otium non eſſe ad illam audiendam, Ergo, inquit ipſa, *Noli imperare*. Pari modo paupercula quædam cùm à Philippo Macedonum Rege non audiretur, *Age*, inquit, *ô Rex, meam cauſam niſi audias, Rex eſſe non potes*. Theodoſius Imperator benigniſſimè omnes audiebat. Carolus Magnus, teſte Eberhardo, etiam cùm veſtiretur aut calcearetur amicos admittebat, & ſi lis aliqua ab eo tantùm definiri deberet, introduci litigantes iubebat. Maximilianus Secundus quotidie à prandio menſæ adſtans aut ſedens omnes etiam viliſſimos audiebat, libelloſque accipiebat, & eadem lingua reſpondebat. Carolus Quintus eodem modo ſublata menſa omnibus patebat. Quem etiam morem Carolus Audax, & Franciſcus I. Galliæ Rex ſeruauerunt. Videndum verò ne per Aulicos Admiſſionales aliquando aditus ad Regem intercludatur. Talis erat Thurinus ſub Alexandro Seuero, quem propterea ſumo necari Imperator iuſſit. Baſilius Macedo Imp. Conſtantinopolitanus cùm aliquando ad Diatribam ſeu Audientiam deſcendiſſet neminemque reperiſſet, ſuſpicatus eſt ſubditos arceri per Aulicos aliquos. Quare Satellites quampiimum per vrbem totam dimiſit, qui an aliqui eſſent, qui loqui Imperatori vellent, inquirerent. Vbi verò neminem eſſe intellexit, præ gaudio lachrymans gratias Deo egit. Ita refert Cedrenus. Periculoſa eſt quorumdam Principum moroſitas & nimium faſtidium, dum non admittunt aut reijciunt. Audire verò Principes ſumma cum benignitate debent, vt triſtem à ſe neminem dimittant, ſemperque beneuolentiam aliquam oſtendant. Pythagoricus Philoſophus monet, *Principi ſine ira audiendum eſſe*. Et Demonax interrogatus quomodo Princeps benè imperaret, reſpondit, *cohibendo iram, pauca loquendo, multa audiendo*. Cleobulus *Magiſtratum eum vult eſſe, qui libenter audiat*.

Ratio iſtius facilitatis.

Monitum.

I 3 TITV-

TITVLVS XVI.

De Fortitudine & Magnanimitate Regia.

CAPVT I.

In quibus fortes & magnanimi apparere Reges debeant.

Aduerſus dolos, dolores, & voluptates.

INPRIMIS aduerſus fraudes & dolos, vt ijs animum non applicent: deinde contra metum & dolorem, vt his non cedant; tum aduerſus blanditias ac voluptates, vt per eas non diſſoluantur. Multa in his humanæ vitæ ſpatijs difficilia formidoloſaque eueniunt, ſed intrepidi ac nullatenus perturbati ſtare quodammodò ſupra omnia Principes debent, aſperis blandiſque pariter inuicti.

Regium eſt omnem eodem vultu ferre fortunam.

Si læta ſit fortuna, non extollant animum; ſi triſtis, non frangant. Et cùm omnia ex ſupremi Regum Regis decreto eueniant, ferenda ſunt omninò, etiam quaſi præſcita. Quippè hoc præcipuum eſt, & quod ſummos Heroas decet, quicquid tandem acciderit, ferre, quæque aduerſa ſunt læto animo tolerare. Non rarò qui fortiter & animosè caſum fert aduerſum, fortunam ſuam in meliorem commutat. Hoc præſtat Fortitudo, vt Principes lætis non credant, aduerſis non ſuccumbant. Vt hoc poſſint, Fortunæ licentiam in oculis habeant. Cùm autem magnæ indolis ſignum ſit, ſperare ſemper, verè fortis ac ſtrenui eſt, contra fortunam ſemper inſiſtere ſpei. Nullos ſæpiùs fortuna impetit, quàm Reges: ſed ſi reputent apud ſe humanos omnes caſus infra ſuam eſſe virtutem, & omnia ſua in ſe poſita, etiam rectis, æquis oculis nouercantem illam fortunam aſpicient.

Authoritates & Exempla.

IN aduerſis potiſſimùm, in proſperis verò etiam. Quippè *fortis & iuſti viri eſt*, inquit D. Hieron. in Ioelem, *nec aduerſis frangi, nec proſperis ſubleuari. Principis enim eſt*, vt ait Sen. Epiſtola 92. *ſupra omnia, quæ contingunt, eminentem eſſe, imperturbatum, intrepidum, aſperis blandiſq; pariter inuictum.* Id vno verſu complexus eſt D. Anſelmus in Monoſtichis:

Non læta extollant animum, non triſtia frangant.

Neceſſitas fortitudinis.

Admodum igitur neceſſaria Principibus eſt cùm Fortitudo tum Magnanimitas. Vtraque virtutum aliarum cuſtodia eſt, & in hoc periculoſo vitæ mari quædam anchora: adeò vt Reip. vtiles eſſe non poſſint, qui aut aduerſitatem nullam ferre poſſunt, aut, cùm fortuna recedit, deſperant. Inprimis itaque forti animo ferenda ſunt aduerſa. *Virorum fortium eſt*, inquit Plutarchus de Cupid. vitæ, *Animi ſtatum in periculis rectum & immobilem conſeruare.* Vnde Alexander Seuerus Imp. cùm audiret Artaxerxem Perſarum Regem magno militum numero Romanum Imperium inuaſurum, *fortes*, inquit, *viros & moderatos decet optima quidem ſperare, ſed ferre etiam quæcumque accidunt contra animi votum.* Illuſtrius verò exemplum eſt Ferdinandi Aragonij II. Neap. Regis, de quo Guicciardinus lib. 2. Cum res eius *Exempla.*

bello

bello attritæ eſſent ac tantùm non deſperatæ, Carolus Octauus honeſtiſſimas illi conditiones propoſuit, modo Regis nomen deponeret, iuriſque ſuo renuntiaret. Noluit vnquam ipſe & extrema penè pertulit. Conuerſo tandem rerum ſtatu Regnum ſumma cum gloria recuperauit. Quippè, vt dicit Egeſippus, *Infirmi ingenij eſt lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, cum exiguis momentis ſubitò inclinentur omnia.* Thymoleon Corinthius poſteaquam patriam ſuam à Dionyſio Tyranno oppreſſam liberauit, Siracuſaſq;&Siciliam in libertatem aſſeruit, longè maximas fortunæ acerbitates eſt expertus, quas tamen ita conſtanti animo pertulit, vt numquam vultum mutarit, aut frontem. Dictitabat ſubinde, *Rerum humanarum nihil ſine diuino Numine agitur.* Rectè proinde Sen. Epiſtola. 108. *Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo authore cuncta eueniunt, ſine murmure comitari.* Quia euentuum felicitas in noſtra non eſt poteſtate; ſed ratio, conſilium, prudentia. Deus eſt, qui rerum exitum in ſua poteſtate tenet. Omninò dicendum cum Sen. in Oedipo:

In rebus aduerſis.

—— Regium hoc ipſum reor,
Aduerſa capere, quoque ſit dubius magis
Status, & cadentis Imperij moles labat,
Hoc ſtare certo preſſius fixum gradu.
Haud eſt virile terga fortunæ dare.

Qui cætera conterit malleus, æs durat; quæ ligna corrumpit aqua, quercum firmat. Ferrum quo ſæpius canduit, durius eſt; nec radices altas agit ſeges, niſi quam nix alta oppreſſit. *Fortes & ſtrenuos*, ait Tacitus lib. 2. Hiſt. *etiam contra fortunam inſiſtere ſpei; timidos & ignauos ad deſperationem formidine properare. Quippè magnæ indolis ſignum eſt, ſperare ſemper*, inquit Florus lib. 4. c. 8. Magna ars ferendi eſt. Vnde Zaleucus fratri ſuo in malis quærenti dicebat: *Non quereris, frater, propter acerbitatem malorum, ſed quia mala ipſa ferre patique neſcis.* Ferre autem ferendo diſcimus. Hinc illa Nazianzeni ſententia,

—— Multa taliſſe Magiſterium eſt fortiter ferendi. Imò præſtandi diſciplina eſt aliquando vacillauiſſe. Enimuerò quoniam non minus ſecundæ res quàm aduerſæ hominum animos oppugnant, dicendum cum Sen. *In ſecundis nemo confidat, in aduerſis nemo deficiat; alternæ ſunt vices rerum.* Cogitandum etiam, quod Chryſoſtomus ait, proſperitatem nouercam eſſe virtutis. Ideò non minus fortitudine opus eſt in rebus proſperis, quam in aduerſis. Notum illud Publiani, *Fortuna quem nimium fouet, ſtultum facit.* Et illud Liuij, *Raro bona fortuna & bona mens ſimul dantur homini.* Quod, vt ait Plutarchus, perpaucis contingat, *felices eſſe & ſapere.* Imò multi magno animo aduerſis reſtiterunt, qui ſecundam ferè fortunam non potuerunt. *Hoc tene mordicus*, inquit Sen. Epiſtola 78. *aduerſis non ſuccumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere, tanquam quicquid poteſt facere, factura ſit.*

In ſecundis.

CAPVT II.

Quæ in aduerſis Principibus ſint ſeruanda.

Ad Deum confugere.

TRia potiſſimùm. Primum eſt, cùm fortuna ſæuit, & peſſimus eſt rerum ſtatus, ad Deum confugiant, illique ſuam ac Reipublicæ ſalutem committant. Quippè ab huius ope omnis eſt ſalus; & non rarò præter opinionem è medijs emergunt periculis, qui à ſolo Deo auxilium expectant. Secundum eſt, fidis aliquibus amicis curas, animique ſui anxietatem aperire, & arcanum, ſi quid eſt, communicare. Nam magnum eſt hoc humanæ vitæ ſolatium, præparata amicorum fidelium pectora habere, in quæ tutò ſecreta Principum deſcendant; & quorum minùs conſcientias, quàm ſuas timeant. Illi ſua prudentiâ conſilium certum ſtatim expediunt, ſuoque ſermone & vultus hilaritate triſtitiam expellunt, ſollicitudinemque leniunt. Tertium eſt, vt cognitâ fortunæ inſtabilitate, rerumque humanarum viciſſitudine rectum ſemper & immobilem animum conſeruent. Idem in aduerſis ac proſperis ſit vultus, eadem vox, idem habitus. Si clades aliqua nuntietur, cogitent, cala-

Curas amicis communicare.

Animo non mutari.

 mita-

mitatem flagrum eſſe, quo ad officium impellimur: ſi victoria aliqua, aut aliæ res proſperè geſtæ; ſuſpectam habeant fortunæ indulgentiam, cuius ingenium eſt, iis nouâ rerum proſperitate blandiri, quibus exitium molitur. Regum ſanè eſt in rebus ſeu lætis, ſeu acerbis numquam animo, imò ne vultu mutari. Dicam ampliùs, fortunam ridere, & ſic illi dominari.

Teſtimonia & Authoritates.

Inuocandus Deus. TRia hic proponimus. Primum eſt, vt ad Deum confugiant. Maximilianus Secundus Imp. Sicubi res aduerſæ animum eius ſollicitarent, conceptum à ſe ſymbolum proferebat, *Dominus prouidebit. Nam*, vt ait Ioſephus lib. 2. Ant. cap. 6. *Qui ſalutem ſuam Deo committunt, præter opinionem è medijs emergunt periculis.* Communicandum cum amicis. Secundùm eſt, vt amicis aduerſitatem ſuam communicent, ſeque totos & animi curas aperiant. *Solatium quippe vitæ huius eſt*, inquit, D. Ambroſius lib. 3. Offic. *vt habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas ſecretum pectoris, vt colloces tibi fidelem virum, qui in proſperis gratuletur tibi, in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur.* Vnde meritò exclamat Sen. lib de Tranquil. c. 7. *O quam bonum eſt, vbi ſunt præparata pectora, in quæ tutò ſecretum omne deſcendat, quorum conſcientiam minus, quam tuam, timeas, quorum ſermo ſolitudinem leniat, ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus ipſe delectet.* Fortuna animo contemnenda. Tertiùm eſt animo non mutari & fortunam contemnere. Ita fecit M. Antonius Philoſophus, qui numquam gaudio vel mœrore vultum mutauit, teſte Capitolino. Ita Carolus V. Imp. qui ſeu res lætas ſeu acerbas exciperet, perpetuam quandam Cæſarei vultus conſtantiam retinebat, numquam que colorem mutabat, teſte Zenocaro lib. 5. Caroli. Ita Franciſcus primus Galliæ Rex, qui ſui ſemper ſimillimus extitit, etiam cùm apud Carolum V. captiuus in Hiſpania detineretur, teſte Guicciardino. Nimirum oportet fortunam illam nouercantem rectis æquiſque oculis aſpicere, imitari Lælium, qui vt Cic. teſtatur, *Omnia ſua in ſe poſita eſſe dicebat, & humanos caſus ſua virtute inferiores.* Tantæ fortitudinis Philippus II. Hiſpan. Rex fuit, vt nulla aduerſitate inflecti ad aliquem doloris ſenſum potuerit. Vnde cùm claſſem eius ingentem quodam tempore tempeſtas deieciſſet, non ingemuit, non exclamauit, ſed *Non*, inquit tantùm, *claſſem iſtam aduerſus ventos, & tempeſtates, ſed contra Religionis Catholicæ hoſtes miſeram.* Non ſine cauſa igitur Sigiſmundus Imp. interrogatus, quos Imperio aptiſſimos iudicaret, reſpondit, *Eos qui nec ſecundis rebus inſoleſcunt, nec aduerſis franguntur.* Accedit quod multa ex aduerſitatibus documenta ſumantur. Documenta ex aduerſitatibus. Crœſus apud Herodotum lib. 1. *Mei caſus, etſi ingrati, mihi tamen extiterunt, diſciplina.* Et verè *difficilè eſt eum virtutes revereri, qui ſecunda ſemper fortuna ſit vſus*, inquit Cic. 4. ad Herennium. *Quæ nocent, docent*, vt dici vulgò ſolet. Et Boet. 2. de Conſ. aſſerit, *aduerſitatis exercitatione nos prudentes effici, O quam vtile eſt*, exclamat Plinius in Paneg. Traiani, *ad vſum ſecundorum per aduerſa veniſſe?* Mithridates verò, *Mihi fortuna*, inquiebat, *multis rebus ereptis vſum dedit bene ſuadendi. Non eſt*, inquit Naziazenus epiſtola 69. *quod exiſtimes vllam mentem apti rem eſſe, quam quæ ſe multis experimentis, longâ & frequenti rerum patientiâ domuit; quæ ad ſalutaria mitigatis affectibus venit.*

CAPVT III.

Nequaquam videri fortem Regem, qui voluptati cedat.

VErum iſtud ſanè verbum eſt, neſcire eum imperare viris, qui nouit parere fœminis. Et illud quoque veriſſimum, eum non amare virtutem, qui non oderit inſatiabile abdomen. Quare imperantem, cuius eſt mortalium appetitus frænare, decet non volupta-

tem

tem ſequi, ſed deteſtari. Quippè Temperantia non Regum tantùm eſt virtus, ſed eorum præclara quoque gloria. Nec fortis dicendus eſt, qui voluptati cedit, ſed qui eam repellendo vincit. Quantum illa homini vitioſo placet, tantum diſplicet Imperatori generoſo. Nam in quo fortitudo eſt, hic omnia voluptatum lenocinia auerſatur; gaudet ſeipſum primò vincere, qui alios cupit aliquando debellare. Profectò hoc maximè Regium eſt, nulli omninò voluptati ſeruire; nec cupiditatibus ſubijci, ſed eas in poteſtate habere. Multorum Principum caſtitas plus aliquando ad ſubiugandos hominum animos potuit, quàm vis armorum. Hæc cùm nota eſt, apud omnes exemplum & Regula caſtimoniæ exiſtit. Ac quemadmodum turpe eſt fœminis viros ſeruire, ita turpiſſimum Regis effœminati & voluptatibus dediti iugum ferre.

Fortitudinis Regiæ eſt voluptatem deſtari.

Teſtimonia & Authoritates.

IN domandis animi perturbationibus ac voluptate potiſſimùm ſuperanda elucere etiam fortitudo debet. *Imperare ſibi maximum Imperium eſt*, inquit Sen. Epiſtola 113. Vnde cùm Ptolomæus Ægypti Rex aliquando vnum ex 72. Scripturæ ſacræ Interpretibus percunctatus eſſet, quid Regibus omnium eſſet difficillimum, reſpondit ille, *Seipſum vincere*, vt teſtis eſt Ariſteus lib. de 72. Interp. Iſocrates Orat. 1. ad Nicoclem ita eum monet: *Impera ſibi ipſi, non minus quam cæteris, idq; maximè regium putato, ſi nulli voluptati ſeruias, ſi cupiditates magis in poteſtate habeas, quam Ciues tui. Qui dominatur animo ſuo*, inquit, Sapiens Prouerb. 16. *melior eſt expugnatore vrbium.* Et Cicero in paradoxis, *Cui tandem liberè imperabit, qui non poteſt ſuis cupiditatibus imperare? refrænet prius libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat auaritiam, cæteras animi labes repellat, tum incipiat alijs imperare, cum ipſe improbiſſimis Dominis dedecori ac turpitudini parere deſierit.* Sen. Epiſtola 51. *Nobis militandum eſt, & quidem genere militiæ, quo numquam quies, numquam otium datur. Debellandæ, inquam, ſunt voluptates, quæ, vt vides, ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt.*

Sui ipſius victoria maxima eſt.

TITVLVS XVII.

De Prudentia Regia.

CAPVT I.

An Prudentia ſit virtus Regia.

CVM duo ſint, quæ ab egregijs Principibus expectantur, domi ſanctitas, foris fortitudo, tum vtrobique prudentia. Nemo enim, niſi prudens, regere alios vel pace vel bello poteſt. Quippè prudentia eorum eſt oculus, qui regunt. Ipſa virtutum Regina, & Regni cuſtos, ſine qua nihil in Imperijs, quantacunque ſit potentia, poteſt effici, cùm vis illa, quæ conſilij eſt expers, mole ruit ſuâ. Et verò ſine hac virtute tam multis placere Principes non poſſunt, multò minùs tam diſſidentes ſubditorum voluntates conſtringere, tot in pace officioque continere, ſibi ab inſidijs, populo ab hoſtibus cauere, in omnes demùm partes proſpicere. Adeò ſine hac viuendi arte Principatum adminiſtrare nemo poteſt. Vnde fit, vt cùm omni-

Prudentes vbique Principes eſſe debent.

omnibus, tum verò Rempublicam gubernantibus maximè ſit neceſſaria, & Regia omninò virtus.

Teſtimonia & Authoritates.

CVM *nihil magis imperantis naturæ aduerſetur, quam rerum gerendarum imperitia, ſenſuum ruditas, & iudicij confuſio, defectus*, vt inquit Hippolitus de Marſil. Conſ. 118. *Imperiti quippè in rebus, veluti peregrini in regionibus, errare ſolent*, vt ait Stobæus ſerm. 4. tum manifeſtum eſt, propriam Regum & adminiſtratorum omnium virtutem eſſe prudentiam. *Rex inſipiens perdet populum ſuum*, inquit Sapiens Eccleſiaſtici x. *Et ciuitates inhabitabuntur per ſenſum prudentium.* Ideò Salomon non diuitias aut honores à Deo, ſed prudentiam, facta ſibi quidlibet petendi poteſtate, poſtulauit, vt videre eſt lib. 1. Regum. (*Teſtimonia.*) *Et omnino magnum ſub ſole malum eſt, ſtultum poſitum eſſe in ſublimi dignitate* Eccleſiaſt. c. x. Ideo etiam Rudolphus primus Imp. Symbolum hoc ſibi elegit, *Regni prudentia cuſtos.* Quod non ignoraret prudentiam *tutiſſimum eſſe murum, qui nec collabitur, nec proditur*, inquit Antiſthenes apud Laertium lib. 6. Imò verò *prudentiam oculum eſſe animæ*, vt illam appellat Ariſtoteles: quæ etiam ſola plus poteſt, quam ingentes aliquando vires. Vnde monoſticum illud D. Anſelmi,

Corporis exſuperat vires prudentia mentis.

Sicut igitur neceſſaria eſt Regibus fortitudo, quæ viribus eos armat, ita prudentia, quæ conſilijs. *Vis autem conſilij expers mole ruit ſuâ*, inquit Horatius lib. 3. Prudentia imperat, gubernat, diſponit; fortitudo imperata facit, diſcutit, perficit. Vtramque vt doceret in Principe coniungi debere Adrianus Iunius in Emblemate ſuo XIII. geminum Mercurij ſimulachrum ponit, alterum iuuenta florentis, alterum ſenio venerabundi, cum hac inſcriptione, *Prudentia cum robore coniuncta.* (*Prudentiæ ſimulachrum.*) Nihil magis Principem decere, quam vt intelligentiâ, & rerum peritiâ omnibus præſtet, aſſerit Vegetius. Verè ars imperandi ſola prudentia eſt.

CAPVT II.

Quomodo acquiri Prudentia debeat.

COmprehendi certis regulis ac præceptis Prudentia non poteſt; ita varia, ita multa ſunt, quæ conſiderare virum prudentem oportet. (*Ingenio & vſu.*) Ad eam tamen comparandam multum imprimis ingenij ac iudicij felicitas, quæ ab arte non eſt, ſed à Deo, facit; tum vſus; ac demum eius addiſcendæ ratio quædam, quæ tradi vtcumque poteſt. Illa ingenij bonitas & excellentia optanda potiùs eſt, quàm vllo artificio comparanda. Et felix ea Reſpublica eſt, cui Princeps ingenij ac iudicij alicuius contigit. Quamquam cùm ſeriùs nonnulla ingenia matureſcant, non confeſtim deſperandum, ſi tenui iudicio ac nullo acumine Princeps appareat. Vſus vix deeſſe Principibus poteſt, quem matureſcentibus annis paulatim acquirunt, cùm inter Regni negotia & in ipſa Principatus adminiſtratione educentur, ac quaſi tractandis rebus innutriantur. Pro ratione Prudentiæ addiſcendæ hæc ſint monita.

(*Diſcenda Ethica.*) Primum. Cùm ad Rempublicam adminiſtrandam prudens ſatis eſſe non poſſit, qui regere ſe ipſum, aut familiam gubernare aliquam non nouit, multum ad comparandam prudentiam eæ artes conferunt, quæ morum ſunt & affectuum moderandorum: Familiæ item regendæ Diſciplina ſeu Oeconomica. (*Et Oeconomica.*)

(*Politica etiam.*) Secundum. Politica ſcientia, quæ Reipublicæ gubernandæ præcepta tradit, & officiorum omnium rationes præſcribit, quædam eſt pruden-

tiæ

tiæ Magiſtra, adeóque ad eam acquirendam penitus eſt perdiſcenda.

Tertium. Cùm ex præteritis futura conijciamus, omninò comparandæ prudentiæ conducit Hiſtoria, cuius proinde lectio commendatiſſima Principibus ſit oportet, vt ex ea intelligant, quibus præſidijs, & adiumentis ætatis elapſæ Principes Reſpublicas ſuas ſapienter adminiſtrauerint, vt iiſdem vtantur: quænam etiam mali Reges adhibuerint, vt ab ijs ſibi temperantes in ſimilem non incidant calamitatem. Verùm cùm in Regnorum omnium, tum in ſui potiſſimùm ac maiorum ſuorum monumentis ſint quàm diligentiſſimè verſati. Sinceri ac incorrupti Regum Magiſtri ſunt ſapientum virorum libri. *Item Hiſtoria.*

Quartum. Magnum ad prudentiam comparandam momentum eſt, ſibi non fidere nimium, aut iudicio ſuo inniti, ſed in conſilium viros prudentes adhibere, conſiliaque eorum libenter audire, obſeruare, annotare. Hoc enim hominum in omni ſapientiæ parte præſtantium commercio prudentiam ſibi Principes acquirunt, ſuumque Imperium firmant. Ideóque multi eiuſmodi in Aulis Regum eſſe debent, cum quibus loquantur ſæpè & agant, potiſſimùm verò cùm de grauiſſimis rebus & difficillimis eſt conſultandum. *Non nimium ſibi fidendum.*

Quintum. Magnum ad prudentiam adiumentum eſt promptam præteriti temporis memoriam habere, & rerum quandam inter ſe comparationem inſtituere. Sic enim iudicari melius, quid expediat, poteſt; & nonnunquam ex erratis prudentia creſcit. Hæc obſeruare ſemper oportet, & cauere. *Meminiſſe præteritorum.*

Sextum. Nimium ſapere velle magnum eſt veræ prudentiæ impedimentum. Itaque ponere prudentiæ ſuæ modum quiſque debet, nec ita nimis omnia circumſpicere, menteque agitare, vt huc illuc ſemper animus fluctuet & impellatur, nec exitum reperiat, ſed certum aliquid in rebus agendis eſt tandem conſtituendum. Quippè nihil in rebus humanis, quod incommodis careat; quod pauciora habet, id eligendum. Inconſtantis eſt & imbecillis iudicij ſignum, poſtquam omnia conſideraueris, ſtatuere aliquid non poſſe, aut non audere. *Ponere modum ſuæ prudentiæ.*

Septimum. Cùm vera prudentia donum Dei ſit quoddam, hæc à Deo bonorum omnium authore petenda eſt. Eius tum demum capax erit animus, cùm virtutibus alijs ornatus exiſtet. Ars etiam virtutum aliarum quædam eſt prudentiæ regula. *A Deo prudentiam petere.*

Aliqui modi teſtimonijs confirmati.

INnumeræ penè eſſe prudentiæ regulæ, & documenta propemodum infinita eſſe poſſunt: tradi verò omnia non poſſunt; & omnino opus eſt, vt ingenitam Principes prudentiam quandam habeant, quæ donum quoddam eſt Dei. Modos tamen hic aliquos ſuggerimus. Inprimis opus eſt *ingenij quadam felicitate, vſu, & certis ſcientijs*, vt Ethicâ, Oeconomicâ, Politicâ, Hiſtoriarum cognitione. Ingenium habere bonũ felicitatis eſt, optandum illud magis, quam parandum. Vſus ita neceſſarius eſt, teſte Philoſopho x. Eth. c. vlt. *vt quiſquis in re Ciuili intelligens haberi volet, ei opus ſit experientiâ. Optima enim ad veram vitam inſtitutio videtur eſſe ſapientia, quæ fit ex commemoratione rerum ab alijs geſtarum*, inquit Polybius lib. 1. Et Mar. Cic. lib. de Orat. *Vſum omnium Magiſtrorum præcepta ſuperare ait.* Sophocles verò. *Non quod putas te ſcire ſcis, ſi vſus deeſt.* Quod attinet ad ſcientias ſupra poſitas, Illud inprimis certum eſt, quod ſcribit Caſſiodorus lib. 8. Var. *Totius prudentiæ compendium in litteris contineri, ibi enim prudens inuenit, vnde Sapientior fiat; ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quemodo ſubditos ſub æqualitate componat. Hiſtoria* autem, vt ait Dionyſius apud Plutarchum, *eſt prudentiæ & ſapientiæ initium.* Hinc Baſilius Imp. ita filium ſuum inſtituebat. *Per Hiſtorias veteres ire ne recuſa;* Neceſſitas & vtilitas hiſtoriæ.

cuſa; ibi enim reperies ſine labore, quæ alÿ cum labore collegerunt, atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuerſiones, mundi huius inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus, & vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia &c. Lucullus & Pompeius Magnus ſummam illam prudentiam ſuam ex libris Hiſtoriarum hauſerunt, teſte Cic. & Plutarcho. Alexander Magnus Philiſti hiſtoriam, & Homeri Iliaden legebat. Scipio Africanus Xenophontem vix è manibus deponebat, teſte Plutarcho Alexander Seuerus Imp. legere ſolitus erat libros Platonis de Rep. Ciceronis Officia & de Rep. Item Alexandri Magni vitam. Alphonſus Aragoniæ Rex, Q. Curtium aſſiduè peruoluebat; Carolus V. Thucydidem & Philippum Cominæum; Sigiſmundus Imp. Arriani Hiſtoriam. Fridericus Saxoniæ Dux omnium Hiſtoriarum & temporum & Monarchiarum epitomen confici ſibi curauerat, in omnibus deliberationibus inde exempla depromebat & documenta recitabat. Sciendum verò, *doctrinam debere ad facta tendere, non otÿ, aut inutilis loquacitatis cauſa vſurpari*, vt dicit Philopœmenes apud Plutarchum. Mahometes II. Imp. Turcicus nunquam in conſpectum hominum prodibat, quin antiquum aliquem Hiſtoriographum manu geſtaret. Selymus primus ardentiſſimo ſtudio res geſtas Alexandri Magni & Iulij Cæſaris legebat, eorumque Hiſtorias in linguam Turcicam transferri curarat. Ex Hiſtorÿs rerum præteritarum memoria acquiritur, quam hic quoque ad prudentiam acquirendam valere dicimus. Et Saluſtius in Iugurthâ. *Magno vſui*, ait, *eſſe memoriam rerum geſtarum*. Præterea non nimium ſibi fidendum, & à Deo prudentiam petendam eſſe, ſuggerimus. Nam Sapiens Prouerb. 33. *prudentiæ tuæ pone modum*, inquit. Qui nimis multum omnia circumſpiciunt, & mente agitant, fluctuare ſolent, & in ſuæ deliberationis labyrintho nullum exitum inuenire. Deinde cum vt diximus donum quoddam ſit Dei prudentia, ea, exemplo Salomonis, petenda eſt à Deo.

Quas hiſtorias ſinguli Principes legerint.

Non nimium ſibi fidere.

A Deo prudentiam petere.

CAPVT III.

Aliæ ad prudentiam acquirendam via.

PRima ad prudentiam acquirendam via eſt, noſcere ſe ipſum, & quaſi in ſpeculò ſeſe intueri. Altera, conſiderare officium ſuum, & munus in Republica. Qui ſelpſum nouit Princeps, ſe indignum nihil facit, Deo ſe minorem gerit, mortalitatis memor non inſoleſcit, & imbecillitatem ſuam agnoſcens, aliorum conſilio & auxilio vti nequaquam recuſat. At verò cùm munus ſuum & in Republica dignitatem intuetur, ſe inprimis Principem ac Regem cogitat, cuius eſt alios regere ac moderari. Quod vt prudenter faciat, ſolers eſſe debet, vt quod vtile ſubditis eſt, excogitet; deinde docilis, vt aliorum conſilÿs facilè acquieſcat. Secundò, commiſſum ſibi populum ſeu ſubditos conſideret. Ad hoc opus eſt aliquâ experientiâ, vt eorum naturam, affectus, conditionemque penitus exploratam habeat; tum cautione aliquâ, vt in bonis maliſve non decipiatur. Ad hæc gubernandi modum, quo vti ipſe debet, cognoſcet; eritque intelligens, vt nihil, quod neceſſarium eſt, ignoret; & rationem adhibebit, vt ſapienter ſuauiterque omnia diſponat. Poſtremò ad ea bona etiam attendet, ad quæ adducere dirigereque ſubditos ſuos debet: ideóque memor erit præteritorum, vt ex ÿs iudicet decernatque de Futuris; & prouidus futurorum, vt quod aggredetur, faciliùs ad exitum felicem perducat. Ita qui prudenter regere vult Princeps, adhibere regendo ſolertiam, docilitatem, experientiam, cautionem, intelligentiam, rationem, memoriam, prouidentiam debet.

Noſſe ſeipſum.

Et ſuam Conditionem.

Principes conſiderent 1. ſe.

2. ſubditos.

3. modum regendi.

4. finem regiminis.

Hæc

Hæc adminiſtrandi ſunt inſtrumenta. Et verè dictum eſt, nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia.

Præcepta authoritatibus confirmata.

HÆ viæ ſunt, *Noſcere ſeipſum ac conditionem ſuam, noſcere ſubditos, noſſe regiminis formam & finem.* Quod attinet ad primum præceptum, Ouidius in lib. de Arte:

Noſcere ſeipſum.

——famâ celebrata per orbem Littera cognoſci quæ ſibi quemque iubet.

Et, vt in verſu Græco eſt, *τὸ γνῶθι σεαυτὸν πανταχῇ χρήσιμον Noſcere ſeipſum vbique frugiferum eſt.* Ex hoc præcepto oriuntur hæc omnia monita. *Sutor ne vltra crepidam,* vt præcipiebat Apelles. *Quam quiſque nouit artem in hac ſe exerceat*, vt vetus eſt verbum. *In propria pelle quieſcere*, vt vulgò dicitur. *Supra fortunam animum non gerere, nec omnia omnibus cupienda eſſe, & res bonas debere vnicuique placere*, vt olim Mario ad Conſulatum feſtinanti dicebat Metellus. *Male reſpondent coacta ingenia*, vt Iſocrates Ephoro diſcipulo ad cauſas forenſes inepto dicebat. Si itaque Princeps ſeipſum nouerit, ſciet ſe *animam eſſe Ciuitatis, Ciuitatem corpus eſſe ſuum*; proinde debere ſe omni indulgentiâ fouere Ciues ſuos, & publicæ rei magis,

Varia monita.

quam priuatæ conſulere. Noſcere ſubditos ſuo omninò neceſſarium Principibus eſt, cùm vt leges eorum ingenijs accommodentur, tum vt commodè tractentur. Boterus lib. 2. de Politia Illuſtrium cap. 3. oſtendit naturam, proprietatem, inclinationes ſubditorum deprehendi poſſe pluribus modis, nimirum opportunitate loci, ætate, fortunâ, educatione. Principem autem potiſſimùm ex patrij ſoli ingenio æſtimare ſuorum ſubditorum naturam debere. Orientales populos naturâ beneuolos & tractabiles; Occidentale moroſiores & inhumaniores eſſe. Galliæ populos Regi ſuo libenter parere, ſed comiter & humaniter ab eo tractari velle; quod niſi fiat, Regem faſtidire. Formam autem & finem regiminis noſcere adeo vtile & neceſſarium eſt, vt ſelicitet imperare nemo poſſit, qui Reip. ſuæ formam non nouit. *Ad benè conſulendum enim*, inquit Marcus Tullius, *caput eſt noſſe Remp.*

Noſcere ſubditos ſuos.

Noſcere formam Reip.

CAPVT IV.

Politica quædam conſilia ad prudentiam in Principibus formandam.

I. CVm ad ſubleuandum Principum onus neceſſaria ſit Miniſtrorum opera, tum ijs numquam ita fidere debent, quin ſingulari curâ in commiſſam illis Reip. partem inſpiciant, & ad omnem Regni ſui ſtatum, potiſſimùm ad legum obſeruationem, ad Iuſtitiæ adminiſtrationem, ad diſciplinam militarem, & Ærarij diſtributionem attendant. Vbi oculus Principis vigilat, ibi miniſtri induſtria laborat. Hæc inſpectio cùm diligentes faciat, tum peccare non permittit. *Inſpiciendum in omnia.*

II. Numquam omnia, ſummam, inquam, præcipuorum Regni negotiorum tractationem, vni ſoli confidant ac committant, niſi in eo ſumma fortè prudentia probitaſque non ſuſpecta. Rarus hìc homo eſt. Cauendum verò ijs maximè, ne ad primam Reip. dignitatem alterius Religionis virum euehant, ſtatuſque ſui quaſi clauum ei concredant. Ne nimirum ad eorum viuere arbitrium cogantur, quos tenere ſub iugo deberent. Nec obloquijs carere res eiuſmodi poteſt, nec contemptæ à Principibus Religionis ſuſpicione. Qui nullam autem Religionem habet, nullam etiam habeat in Rep. partem. Qui enim animæ curam negligit, numquam Reip. ſalutem curabit. *Non omnia vni committenda. Nec euehendi hæretici. nec Athei.*

Nihil aggredi ſine populi iudicio. III. Cùm volentibus imperare Principes debeant, nihil aggredi eos oportet, ſeu in bellis ſuſcipiendis, ſeu vectigalibus imponendis, aut graui aliquâ animaduerſione, quod probare ſubditis ſuis non poſſint, ſicque eorum quodammodo iudicium ſequantur. Iudicare enim omnes de Principum actionibus volunt, etſi non debeant. Iudicium hoc, cùm fieri poteſt, ſequendum.

Populo commoto non reſiſtendum apertè. IV. Commotæ multitudini nunquam eſt repugnandum, ſed diſſimulatâ ad tempus irâ, ſedandus, quâ fieri arte poteſt, tumultus; & precibus etiam aliquid indulgendum. Poſteà ſeditionis auctoribus ſupplicia irrogentur, carptim tamen & ſingulis. Ita fiet vt multitudinis conſenſus extenuetur.

Populares ſint Principes. V. Populares quodammodo ſint Principes, & ſubditorum beneuolentiam bonis artibus excitent. Quippè inuidiam populi ſuſtinere vix Principum eſt, etiam potentiſſimorum. Vna ars autem, & præcipua eſt, quàm plurimis benefacere, triſtem à ſe neminem dimittere, blandis verbis ſpem dare, nihil, aut certè ſi opus ſit, per alios negare.

Omnia videant, audiant, faciant. VI. Vt certus ac ſecurus ſit Principum ſtatus, videre, audire, facere ipſi omnia debent. Videre, quomodo miniſtrorum vnuſquiſque concreditâ ſibi poteſtate vtatur. Audire, quicquid pro eorum obſequio, ac Reipublicæ conſeruatione proponitur. Denique bene de ſe ac Rep. meritis ſuâ manu præmia largiri.

Spem, & metum iniciant. VII. Spe & metu tanquam neruis quibuſdam Rempub. vniuerſam contineant. Spem præmia alant, metum pœnæ faciant. Et quidem ſpem nullius vmquam largiendo explebunt, vt ſperandum ſemper aliquid ſuperſit: metum verò benignitate ſeueritatem temperando ita regent, vt maiora ſinguli timeant, quàm patiantur.

Non fallant. VIII. Cùm multa promittere Principes debeant, tum fallere aut mentiri nefas eſt ijs. Iracundiæ verò vehementiùs fræna laxare, ipſis & Reipublicæ eſt pernitioſum.

Prohibeant potiùs quàm vindicent. IX. Hic legum ac conſiliorum ſit ſcopus, prohibere flagitia potiùs, quàm vindicare. Minima etiam non negligantur. Cùm tamen citra ſeueritatem gubernari ſubditi non poſſint, ita puniendo Principes agant, vt diſplicere ſeueritatem ijs omnes intelligant, tantúmque neceſſitate, & publicæ ſalutis gratiâ ad eam exercendam impelli.

Nihil inauditâ parte vel occultè agant. X. Nunquam inauditâ parte causâque aduerſus aliquem ſupremâ poteſtate vtantur; multò minùs occultè de aliquo ſupplicium ſumant. Iudiciorum ſeruanda ſemper eſt forma, ſi Reip. ſtatus patiatur. Quippè partem alteram non audire, tyrannicum eſt; occultè necare, formidinis ſignum, & dedecus Maieſtatis.

Arcana omnia teneant. XI. Res ſuas arcanas contineant, conſiliaque tegant. Ita fiet, vt attenti ſint omnes & ſuſpenſi ad eorum actoines obſeruandas. Et hoc laudabilem ijs pariet exiſtimationem. Sed & ſuos ad hoc ſilentium miniſtros aſſuefaciant.

Totius Regni notitiam habeant. XII. Maximum hoc præceptum eſt, cùm ad amplitudinem ſeruandam, tum vt feliciter negotia procedant, integram habere notitiam omnium rerum, iurium, & appendicum Regni, ad illud metiendum, & propriâ potiſſimùm induſtriâ moderandum.

Alia alibi ſubinde ſuggeremus.

Teſtimo-

Teſtimonia & Exempla.

Populo commoto non reſiſtere.

HÆc præcipua ſunt. In primis *Cedendum multitudini*, ſeu populo commoto non reſiſtendum apertè; *Quia turba turbulenta res eſt*, vt ait Euripides. Et Herodotus, *Turbâ imperitâ nullum maius eſt malum.* Apud eundem Megabizus, *Vulgo*, inquit, *inutili nihil eſt impudentius, aut iniurioſius.* Dat rationem, *nam ineſt vulgo, vt nihil intelligat.* Q. Curtius verò; *Sæpenumero* ait *populus ad furorem accenſus ipſum ignem vincere ſolet.* Quæ cum ita ſe habeant, omninò cedendum multitudini, quod Symbolum fuit M. Aurelij Carini Imp. Arte autem hic vtendum, ne cedere ſimpliciter Principes videantur. Et cedere quidem hic eſt quodammodo diſſimulare. Rectè monet Cic. lib. 1. Epiſtola 9. *Cum populum perſuaderi poſſe diffidimus, cogi fas eſſe non arbitremur.* Si quid petatur, & multitudo conſurgat, recuſet, tumultuetur, cedere oportet, diſſimulare, expectare. Nautæ contrahunt in tempeſtate vela, non illi ſe opponunt. Vnde Claudianus:

Cautior ante tamen violentum nauita Corum
Proſpicit, & tumidæ ſubducit vela procellæ.

Idem —— *Peragit tranquilla poteſtas*
Quod violenta nequit.

De Seruilio ita Liuius lib. 2. *Lenibus remedijs aptior, tutius ac facilius eſſe putabat, concitatos amicos flecti quam frangi.* Et lib. 3. de Conſulibus ait, *multum Conſules ſe abſtinebant, ne cui in colluuione rerum Maieſtatem ſuam contumeliæ offerrent.* Porrò modus vnus reſiſtendi eſt, parua aliqua populo concedere. Vnde Cic. 2 Offic. *Eſt non modo liberale, paulum nonnumquam de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum.* Sic Dux Burgundiæ cum Gandauum intraret, videretque tumultuantem populum, vltro quicquid petebat conceſſit, & varia priuilegia dedit. Quia opponere ſe irato populo, eſt auctoritatem ſuam in diſcrimen adducere. Ceſſit multitudini Claudius Cæſar, cum propter annonæ difficultatem in foro detentus à turba fuit, & conuitijs fragmentiſque panis petitus, qui poſtquam euaſit in Palatium ne quidem iratus fuit, & annonam procurauit.

Exempla.

Popularem eſſe.

Secundum eſt, vt Princeps ſit popularis, quia commune omni populo eſt, pati ſe vinci dexteritate aliquâ potius, quam auctoritate. Sic Romani Senatores cum poſt mortem Romuli animaduertercnt populum Regis electionem deſiderare, vltro obtulerunt, ſed populus vinci iſtâ humanitate a Senatu nolens, electionem reliquit. Vnde Liuius lib. 1. *Cum ſenſiſſent*, inquit, *eâ moueri patres, offerendum vltro rati, quod amiſſuri erant, ita gratiam ineunt.*

Parere tempori.

Tertium eſt, parendum eſſe tempori. Vetus eſt adagium, *Noſce tempus*, ſeu *tempori pare.* Quod Cic. lib. 3. de finibus inter præcepta ſapientum refert. Parere autem tempori hoc loco eſt *neceſſitati parere.* Menander,

Pugnare cum Dijs, cumq; fortuna graue eſt.

Idem —— *Res bella, cuncti noſſe temporis modum.*

Sic parua res fit magna, ſi data tempori eſt.

Phocylides præcipit *tempori ſeruire, nec Euro velle reſtare*, Quod, ſecundum Pindarum, *Tempus pariter in omni re obtineat faſtigium.*

Quartum eſt. *Nihil inauditâ parte faciendum.* Sen. in Medea:

Audienda pars altera.

Qui ſtatuit aliquid parte inauditâ altera
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Euripides: *Quis iudicet cauſam, aut ſententiam ferat,*
Priuſquam vtriuſque ſermonem audiat?

Traianus ab Ælio Spartiano laudatur, quod cùm iam equum conſcendiſſet in bellum iturus, ad audiendam pauperculæ mulieris querelam deſcenderit. Et Alexander Magnus cum Iudex ſederet accuſatori aurem alteram occludebat, vt reo eam integram reſeruaret. Odioſa tum eſt ſuprema dominatio & poteſtas, cum Iudicis perſonam Princeps deponit. Magnum etiam Maieſtatis dedecus, de aliquo occultè ſupplicium ſumere; ſimul eſt formidinis ſignum.

Conſilia tegere.

Quintum, *Arcana conſilia tenere. Etenim ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt*, Tobiæ 12. Et omninò *tuenda ſunt diligentius depoſita verborum, quam pecuniarum*, inquit Iſocrat. ad Demon. Certè *cum res magna ſuſtineri ab eo non poſſint*, inquit Curtius lib. 4. *cui tacere graue eſt*, regnare etiam prudenter non poteſt, qui arcana conſilia ſua tenere non poteſt.

Sextum. *Totius Regni notitiam habere.* In hac parte prudentiæ imitari

Auguſtum Cæſarem oportet, qui de [libel]lum confecit, velut ad manum Ra-
omnibus Imperij Romani partibus, vectigalibus, ſumptibus & oneribus libel- tionarium. De cæteris alibi.

CAPVT V.

De Arcanis Regni, quæ etiam ad Prudentiam faciunt.

Quid ſint Arcana Reip. & Regni.

Arcana Reipublicæ à Politicis appellantur occultæ quædam & intimæ rationes, ſiue conſilia ad publicum bonum procurandum; tranquillitatemque, & præſentem Reipublicæ formam conſeruandam. Vulgò rationes ſtatus. Arcana autem Regni ſeu Imperij ſunt ſecretæ quædam artes, per quas ſeditioſi homines ab Imperij Iure ſeu Maieſtate prohibentur. Porrò cùm huiuſmodi Arcanæ Rationes negligendæ non ſint, tum Arcanorum omnium maximum eſt, Deum non offendere, ac iuſtè imperare. Hæ verò etiam notandæ.

Primâ occaſione non ſemper vtendum.

I. Non ſemper primâ occaſione, ſed ſecundâ vtendum, cùm grauius quid agendum, quod diſplicere fortè poſſet. Quippè, vt dicitur, Nauigandum interdum non nauigatione primâ, ſeu primùm optandâ, ſed ſecundâ ſeu ſecundo loco expetendâ.

Non mutanda maiorum inſtituta.

II. Maiorum inſtituta transgredi Princeps non debet. Quod ſi noui rerum ſint caſus, tempori ſeruiet. Quippè in ipſa vetuſtate continuati Imperij obruta mutationum memoria iacet. Qui autem à Patriæ Regniſque legum contemptu Principatum inchoat, multis ſe facturum iniuriam comminari videtur. Deinde cuſtodienda eſt Principis vitâ functi fama.

Nec Conſiliarij boni prædeceſſoris.

III. Principis prædeceſſoris Conſiliarij, ſi bonus ipſe fuerit, mutari aut dimitti non debent. Si inuiſus fuerit, eiuſque Imperij ſubditos pœniteat, probi & experti in malorum locum ſunt adſciſcendi.

Non diuidendus Principatus.

IV. Principatus nunquam diuidatur, & ſucceſſioni leges certæ figantur.

Defendenda plebs contra Nobiles, & contrà.

V. Cùm Nobilium factiones timentur, tuendam eſſe plebem, & debilitandos, qui nimis ſunt potentes, Arcanum Politici habent. At contra plebis furorem Imperium tuetur Nobilium fauor, qui quia ſuperiorem vnum ferre malunt, quàm ſibi plebem æquari, ferè ſemper vni Monarchæ fauent.

Ne quis nimis ſit magnus.

VI. Cauendum ne Nobilium aliquis in Regno præ cæteris nimis potens & magnus exiſtat. Si talis timeatur, Arcanum eſt, vt ad matrimonium adigatur, ſi fortè coniugem non habeat. Qui enim ſibi ac liberis metuunt, rarò præcipiti temeritate rapiuntur, quò non deberent.

Sit Belli Dux externus plerumque.

VII. Arcanum etiam iſtud volunt, belli Ducem externum habere, cui non tam propriæ magnitudinis intuitu, quàm propter ſolius Principis auctoritatem obedientia præſtetur.

Ne arma habeant ſubditi.

VIII. Hoc quoque, ſubditis in promiſcuo vſu arma non permittere, ſed adimere, & clauſa tenere. Hac in re ad tempora attendendum.

Ne ſit hæres incertus.

IX. Ne vbi certus Regni hæres non eſt, publicas quiſque vires ad ſe trahat, non ſit diu in incerto ſucceſſor, ſed deſignetur. Immodicus tamen deſtinati ſucceſſoris honor eſt impediendus.

Sint Magiſtratus pares negotijs.

X. Eligere Magiſtratus oportet negotijs pares, non ſuperiores. Nec illi facilè diu continuandi, aut magnis familijs concedendi.

XI. Suam

Pax noſtra vi inorum bellum.

XI. Suam pacem Vicinorum bello parare, arcanum Regni maximum nonnulli volunt, ac proinde cùm ſuſpecta ac formidoloſa ſunt Vicinorum Regna, ſeditiones in ijs eſſe ferendas. Frequens hoc fortaſſe, iuſtum verò parum; etſi vix inter Vicinos ſincera conſtet fides, & diſſimulationis plurimum adhibeatur.

Innumera alia ſunt eiuſmodi, alibi etiam ſubinde Indicanda, quibus humana prudentia ludit, ſed illudere Deo non poteſt. Certiſſimum hoc eſt, parum aut nihil ad Reipublicæ conſeruationem eiuſmodi arcana Conſilia poſſe, niſi bono iuſtoque fine, ac ſummâ tantùm in neceſſitate adhibeantur. Rex ille Regum Deus, qui Regna conſtituit, eorum quoque conſeruandorum legitimas iuſtaſque rationes nouit, & bonis quandoque Principibus, cùm tempus eſt opportunum, ſubminiſtrat. Stultum eſt malis artibus Imperia velle continere, & incommoda quandoque tollere.

Arcana varia Exemplis & Teſtimonijs explicata.

Exemplum Dauidis.

HVIuſmodi Arcana cum ſacræ Hiſtoriæ, tum profanæ ſuggerunt. Sic Dauid non occidit Ioabum multipliciter mortis reum, ſed filio Salomoni, vt id faceret, teſtamento præcepit. Hoc eſt quod hic dicitur, ſecunda nauigatione nauigare. Et, vt Plautus ait,

Verſipellem frugi conuenit eſſe hominem
Pectus cui ſapit, bonus ſit bonis.

Reputare etiam Principes pro Arcano ſolent, *nullam ſuſpicionem negligere*, quæ ſalutem concernat, vt Boterus lib. 1.

Item, *nihil contra receptas leges agere: habetur enim pro comperto, quod is, qui exordium regiminis ſui, à contemptu legum ſuſcipit, multis vt iniuriam faciat comminetur*, inquit Olaus lib. 8. Hiſt. Sept. cap. 3. Regnum aliquod nouum multa ſolet habere Arcana, & quidem ad crudelitatem quamproximè accedentia. Vnde Dido 1. Æneidos,

Rex durá & Regni nouitas me talia cogunt
Moliri.

Imperium verò præſertim flagitio partum, nemo vmquam exercuit artibus bonis, Tacitus 1. Hiſt. Inter Arcana quoque eſt *plebem contra nobilium factiones fouere.* Ita factum eſt in Regno Neapolitano; & idem fecit in Ducatu Mediolanenſi Philippus ſecundus Rex Hiſpaniæ. Alij debilitant nimis potentes in Regno, vt fecit Ludouicus XI. in Gallia. E contra *Nobilium fauor contra Plebis furorem firmat Imperium.* Id experientia docet in Belgio reconciliata. Vnde Machiauellus lib. 2. Hiſtor. Florentinæ de Duce Athenienſium à Florentinis vocato, ait, *Non aliâ ratione Populum iſtum, à quo tot iniurijs oppreſſi hactenus fuerant, ſubiugari poſſe conſtituerunt, quam ſi ſub vnius Principis Imperium mitterentur.* Quidam pro Arcano *ſubditis arma adimunt.* Tacitus de Germanis Suionibus: *Arma non vt apud cæteros Germanos in promiſcuo vſu, ſed clauſa ſub cuſtode & quidem ſeruo.* Cauere etiam Principes ſolent, *ne præ cæteris vnus aliquis nimis fiat magnus.* Sic Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, Conſaluum, qui vulgò *magnus Capitaneus* dicebatur, ſibi regnoque cauens depreſſit. Idem fecit Iuſtinianus de Beliſario. Aliquando eiuſmodi viri magni ad matrimonium adiguntur, quod in Bironio incautè neglexit Henricus IV. Galliæ Rex. Non enim ita temerarij ſunt, qui ſibi liberiſque metuere neceſſe habent. Eam ob cauſam aliud Arcanum eſt, *Magiſtratus eligere negotijs pares, non ſuperiores*, vt Tacitus 6. Annal. Porrò in omnibus Arcanis, quæ hoc capite ſuggerimus, & alijs innumeris videndum, ne barbaræ & ſceleratæ Dominationis conſeruandæ rationes aſſumantur, vulgò *Conſilia Machiauelliſtica* dicuntur. Verè enim ac ſupra ſexum dixit Liuia Auguſto: *Oportet te nihil facere per iniuriam, ſed nec omninò facere videri. Nam priuatis hominibus ſatis eſt nihil delinquere, Principibus ne quidem ſuſpectis eſſe licet.* Licitè vtimur aliquando Arcanis, ſed numquam flagitijs.

Exempla eorum, qui aliquem depreſſerunt.

Nota.

CAPVT VI.

An ad Regiam prudentiam pertineat omnia per delatores ſollicitè exquirere, & intelligere.

Tunc quidem cùm ſeditionis eſt motus. Aliàs non.

SI inteſtinæ ſeditionis vehemens fortaſſe ſuſpicio ſit, vel in Regnum hoſtis externus inuaſerit, opportuni ſunt, & vtiles Auſculatores vbique conſtituti, qui omnia exquirant ſollicitè., & deſerant fideliter. Aliàs eiuſmodi hominum turba grauis eſt publicæ paci, nec tam Regium, quàm tyrannicum videtur, dicta factaque Ciuium explorare. Vnde Delatores contra Naturæ libertatem, Ciuitatis dignitatem, & Charitatis legem ſunt; hocque per eos conſequuntur Principes, vt ſubditis ſint odioſi, & ſeruilem in ciuibus metum pareant; ex quo non raró ſeditionis flammæ excitantur. Quippè delatores nihil aliud ſunt inter Ciues, quàm cancri inter roſas, & inter oues lupi. Prudenter facturi Principes ſunt, ſi cùm aliquid ad ipſos occultè deſertur, ſiſtant delatores, & fidem eius, quod delatum eſt, fieri ſibi iubeant. Ita fiet, vt nemo deſerat, quod probare non poſſit, & tranquilliùs omnes viuant. Cùm audiuntur, diligens adhibenda conſideratio eſt, nec ſtatim credendum, ſed omnia accuratè examinanda. Nihil faciliùs, quàm de eo, quem oderis, aut cuius bonis vel honori inhies, malè loqui.

Cogendi ad probationem Delatores.

Teſtimonia & Authoritates.

VVlgò dicitur, *Multa Regum aures ſunt atque oculi.* Quod de exploratoribus intelligitur. Papià lege certa illis conſtituta præmia fuerunt, nempè dimidium mulctæ. Nero reuocauit ad quartam partem, vnde Quadruplatores dicti. Cùm de abrogandis eorum præmijs in Senatu ageretur, prohibuit Tiberius, quod iura ſubuerterentur, ſi legum cuſtodes amouerentur. Eccleſiaſtici cap. x. *Nequidem in conſcientia tua Regi maledicito; nam & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annuntiabunt ſententiam.* Vbi per aues, quidam intelligunt exploratores. Eos Plato in Rep. ſuà eſſe iubet. Benè quidem ad amoliendas inſidiarum & ſeditionum ſuſpiciones, contraque rebelles in Principem ſubditos; tunc enim omnia opportunum eſt inueſtigare: non alias verò, ſicut hic aſſerimus. Veſpaſianus & Titus, teſte Suet. per amphytheatrum flagris cæſos exhibebant & trucidabant. Traianus in nauibus ſine remis & velis eos mari & fluctibus committebat, vt ait Plinius in Paneg. Aurelianus ſeueriſſimè eos puniuit. Tiberius vnà die occidi præcipuos iuſſit. Sunt ipſi Auricularij, ſunt aucupes nouitatum odioſi.

Quis bonus exploratorum vſus.

CAPVT VII.

Magnam prudentia Regia partem eſſe arcanum conſilium tenere.

Arcanum Conſilium tenere ſumma prudentia eſt.

QVid fieri expediat, cum multis deliberare Principes debent; quod autem facturi ſunt, ſciant quàm pauciſſimi, aut ipſi tantùm. Quippè Regum conſilium aut ſemper eſſe occultum debet, aut illud ſcire ſolos viros grauiſſimos decet. Itaque vel maximè ad prudentiam

tiam Regiam ſpectat, conſilium ſuum, quàm fieri poteſt, ſecretiſſimum tenere. Id vt conſequi Principes poſſint, inprimis cum nullo illud communicabunt, aut, ſi neceſſe, cum pauciſſimis. Deinde quandoque ita mentem diſſimulabunt, vt aliud velle videri poſſint, vel conſilij partem aliquam dumtaxat aperient. Præterea nec ipſum conſilij ſui executorem, niſi cùm executio præ manibus eſt, admonebunt Aliud tamen aliquando exigere tempus poteſt. Ac denique nec tantum otij concedent, vt mutare aliquid poſſint, qui ſciunt, aut alijs denuntiare. *Id quomodo fiat.*

Teſtimonia & Authoritates.

OMninò ſummæ prudentiæ eſt, arcanum conſilium ſuum tenere: id quomodo fiat hic docemus. Conſilium, teſte Feſto Pompeio, à ſilendo eſt dictum; Arcana enim conſilia ſilentio ſunt obſignanda, & ſecretum anima conſilij eſt. Hinc Q. Metellus, teſte Valerio Maximo lib. 7. dicebat, *Si conſilij mei interiorem tunicam conſciam eſſe ſenſero, continuo eam cremari iubebo.* Vſque adeò conſilia ſua occultabat. Illum imitatus Petrus Aragoniæ Rex Pontificis Martini IV. Legato reſpondit, *interiorem ſe tunicam ſuam laceraturum, ſi illam cogitationum fieri poſſe conſciam arbitraretur.* Sed hac de re iam ſupra, & iterum lib. 2. *Secretum eſt anima conſilij.*

CAPVT VIII.

An ſit Prudentiæ Regiæ diſſimulare aliquando.

NOn falsò dictum, qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare. Omninò enim & cum ſubditis ſeu populo, & cum Miniſtris ſuis nòn rarò Principes, vt prudenter regnent, diſſimulare debent Quid iſtud eſt verò diſſimulare? Nihil aliud, quàm temporibus quandoque ſeruire, & hominum moribus ſeſe accommodare. Acquieſcere Principis voluntati populus aliquando non vult, & multo clamore ſeditionem quaſi meditatur. Quid agat Princeps igitur? Diſſimulet, & donec populi ille feruor euaneſcat, expectet. Cogere numquam fas eſt eos, quibus perſuadere nos poſſe diffidimus. Tumidæ procellæ ſubducere vela oportet; & ſanè plus tranquillâ poteſtate Principes obtinent, quàm violentiâ. Deinde cùm omni populo inſit malignum quiddam, & querulum in imperantes, quid opus eſt eius ſemper turbis, & clamoribus offendi, modo ad officium tandem redeat ac ſeſe ſubmittat? Neſcit imperita multitudo, niſi poſtquam murmurauerit, rationi parere. Vim illi confeſtim opponere ſtultum eſt, diſſimulare autem & cedere quodammodo videri ſæpè eſt vtiliſſimum. Quin imò nonnumquam de ſuo iure decedere paululum, etiam eſt fructuoſum, ac non tantùm liberale. Vt in magnis populo reſiſtas, concedenda ſunt parua; vt vincas, quandoque cedendum eſt. Plus interdum dexteritas poteſt, quàm auctoritas; perſuaſio, quàm violentia. Faciliùs quippe tutiùſque concitati animi flectuntur, quàm franguntur. Nec oportet in rerum colluuione Maieſtatem contumeliæ offerre. Danda opera etiam, ne ſe contemni populus arbitretur. Præterea cùm afflictæ res ſunt, diſſimulare etiam, ſeu hilaritatem de induſtria ſimulare, & res aduerſas adumbratâ lætitiâ abſcondere conuenit. Collabuntur enim ſubditorum animi, cùm fractam Principis mentem animaduertunt, à cuius interrito *Omninò Prudentia eſt quandoque diſſimulare.* *Cum populo in primis.* *Deinde in rebus aduerſis.*

 vultu

vultu ſpem certam & alacritatem hauriunt. Conſtitutus ergò in aduerſis Princeps præſenti ſemper infractóque ſit animo, atque ita dolorem curaſque diſſimulet. Et vt timoris eius nulla ſit ſuſpicio, ne ſubito; aut non opportuno tempore de loco in locum tranſeat, ſedemque mutet, rumores de rebus aduerſis maximè initio impediat, & meliores ſpargi curet, aut certè non gratos fidem eleuando extenuet. Neque ſanè omnium eſt, ſed Principum, publicas nouiſſe clades, quorum eſt Reipublicæ malis mederi. Interim ita diſſimulare pericula oportet, vt tamen non contemnantur; parandus contra animus, & de remedijs ſeriò cogitandum. Nam diſſimulando ſeipſos fallere Principes non debent, ſed alios; etſi hoc fallere omninò non ſit.

Tum propter conſequentia. Accedit & alia diſſimulandi occaſio, cùm nimirum verentur imperantes, ne ſi hoc aut illud fecerint, id faciendi exemplum exiſtat; aut ſi omiſerint, non faciendi ſit argumentum. Quippè ea hominum pertinacia eſt, vt rectè factum putent, quod tueri exemplo poſſunt. Potiſſimùm verò in Principum actiones animaduertunt, quaſi quicquid faciunt, præcipere videantur. Quam ob cauſam intendere ipſi animum in omnes partes debent, accuratéque omnia, quæ euenire poſſunt, conſiderare, priuſquam ſtatuant, aut aggrediantur. Non aliud autem eſt hîc diſſimulare, quàm id non facere, cuius eſſe nolunt exemplum, etſi factum vellent; aut contrà. Atque hinc conſiderandum diligentiſſimè eſt, quid poſtulantibus concedatur, cuius culpæ venia detur, quid negetur, quid tolerandum aut diſſimulandum videatur, quid in populo ferendum. Omnes denique omnium actionum circumſtantiæ accuratè ſunt examinandæ.

Etiam diſſimulandum quandoque cum miniſtris. Vitia quoque & breuiores quandoque errores diſſimulare expedit, maximè cum bonis miniſtris, ac de Principe benè meritis, quorum ingenium rarum eſt, & induſtria Reipublicæ vtilis. Quis omninò ſine vitijs aliquibus? Ille bonus, in quo minima: Nemo ex omni parte beatus. Certè donandum ingenijs aliquid; & gratiâ virtutis, quod aliàs non permitteretur, permittendum. Non propter leue erratum is amittendus eſt, cui ſimilem non facilè reperias. Vir ingenio iudicioque præſtans, magnum eſt Reip. præſidium, & hoſtium quidam terror. Multi aliquando, qui vtilem Regi & Regno operam præſtiterunt, horum videndo delicta minora; videre non oportet, ne nocere incipiant, qui anteà profuerunt. Secretis artibus id agendum, vt emendentur. Quod ſi tales ſint, qui arcanorum Regni participes ſint, vel magnam Reip. partem ſuæ fidei commiſſam teneant, etiam cum ijs eſt quandoque in leuioribus diſſimulandum. In periculo cauſa eſt.

Aliæ ſimulationis occaſiones ſunt, quibus prudens Princeps cautè vtetur, cui vtile etiam eſt nonnumquam multa fingere, vt ſuorum ingenia exploret.

Teſtimonia & Authoritates.

SYmbolum eſt Frederici Ænobarbi Imperatoris, *Qui neſcit diſſimulare neſcit imperare.* Tiberius, teſte Tacito & Suetonio, nullam ex virtutibus magis diligebat, quam diſſimulationem. Difficile equidem eſt, vt Poëta ait, *abſcondere pectoris æſtus*, tamen ſecundum Publium, *Etiam obliuiſci quod ſcis interdum expedit.* Cum autem diſſimulare hoc loco nihil aliud ſit, quam temporibus quandoque ſeruire, & hominum moribus ſe accommodare; *Tẽporibus parere omnes Politici præcipiunt*, inquit, Cic. Quod omninò opus eſt in tanta hominum multitudine varietateque, vbi magnæ artis eſt inſidias vitare, & ad tantam morum, ſermonum, voluntatum diuerſitatem ſeſe accommodatum ſemper præbere. Nec quiſquam negabit.

gabit, poſſe in vtramque partem, quando vſus venit, multum eloqui multumque fingere, vt quæque res poſtulare videtur, vtiliſſimum eſſe. Cùm verò multis in occaſionibus probanda ſit diſſimulatio, tum eâ vti circa Religionem eſt nefas. Sententia Chriſti eſt apud Matthæum cap. x. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo; qui in cælis eſt, qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt.*

Nefas diſſimulare in Religione.

Præterea diſſimulare in contractibus non oportet. Quia, vt ait Liuius, *Vult ſibi quiſque credi.* Ideóque ſincerè agendum eſt, cumque detur fides remouenda omnis ſimulatio eſt. *Contractus claudicare non debent*, l. Labeo §. contractum ff. de verb. ſignif. *Quod ſemel placuit diſplicere non poteſt.* Nec vlla hic excuſatio. Nam quando aliquid prohibetur fieri directè, prohibetur & obliquum, l. Si ſponſus ff. de donat. inter virum & vxorem. *Fraus diſtringit, non diſſoluit periurium*, inquit Cic. 3. Offic.

In contractibus.

Denique diſſimulare cum malis non oportet. Intereſt enim Reip. delicta puniri, l. Ita vulneratus ff. ad L. Aquil. Sen. in Med. *Qui non vetat peccare cum poſſit, iubet.* Scriptura ſacra, lib 3. Regum, *Quia dereliquiſti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus pro populo illius.* Hinc in bello nunquam in pænis eſt diſſimulandum. Valerius Max. lib. 2. cap. 7. *Aſpero*, inquit, *& abſciſſo caſtigationis genere militaris diſciplina indiget, quia vires armis conſtant, quæ vbi à recto tenore deſciuerint, oppreſſura ſunt, niſi opprimantur.*

Cum malis.

Quintius Conſul apud Liuium, *Vellem equidem vobis parcere, Quirites, ſed multò magis malo vos ſaluos eſſe, qualicunque erga me animo futuri ſitis.* Hoc eſt ſecundum illud Ouidij,

Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Diſſimulandum cum populo.

Porrò inter occaſiones diſſimulationis, diſſimulandum hic eſſe inprimis cum populo dicimus, & hoc eſt cedere multitudini, qua de re diximus ad caput IV.

In aduerſis.

Secundò, diſſimulandum in aduerſis. Sen. ad Polybium, *Duces rebus afflictis hilaritatem de induſtria ſimulant, & aduerſa adumbratâ lætitiâ abſcondunt, ne militum animi, ſi fractam viderint Ducis ſui mentem, & ipſi collabantur.* Alexander Mag. nunquam lætior, quam cùm pugnandum cum Dario fuit. Curtius lib. 4. *Haud alias*, inquit, *tam alacrem viderant Regem, & vultu eius interrito certam ſpem victoriæ augurabantur.* Eumenes, vt eſt apud Iuſtinum, cùm certior factus eſſet de morte Perdicæ, ſeque declaratum à Macedonibus hoſtem, & indictum ſibi ab Antigono bellum, *vltro ea militibus ſuis indicauit* (inquit Iuſtinus) *ne fama aut rem in maius extolleret, aut militum animos rerum nouitate terreret, ſimul vt an contra ſe animati eſſent cognoſceret, ſumpturus conſilium ex motu vniuerſorum.*

In cladibus.

Diſſimulare cladem & periculum oportet; diſſimulare, inquam, non ſpernere tamen. Nec facilè permittere damni accepti euulgationem. Sic, teſte Curtio lib. 7. cùm Alexander Mag. in prælio duo millia peditum & trecentos equites amiſiſſet, *eam cladem ſolerti conſilio texit morte denunciata ijs, qui ex prælio venerant, ſi acta vulgauiſſent.* Sic Sertorius, vt eſt apud Frontinum lib. 2. Stratag. militem ſua manu ipſe occidit, qui Herculeij mortem nuntiabat, ne eam intelligentes milites commouerentur.

Ne ſit in exemplum.

Tertiò, diſſimulandum propter conſequentia: hoc eſt aliquid aliquando non facere, ne facti exemplum exiſtat. *Quia hæc eſt conditio Principum, vt quicquid faciunt, præcipere videantur*, inquit Quintilianus declam. 19. Proinde ante factum maturo ſemper conſilio eſt opus.

Cum bonis miniſtris.

Quartò, diſſimulandum cum bonis miniſtris, ſi quandoque errent, obſequijs interim de Principe benè meriti.

Nam vitijs nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt
Qui minimis vrgetur, vt inquit Horatius:

Et quidem faciendum in conſideratione meritorum, quod idem Horatius in carminis conſideratione ait.

— Vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendor mendis.

Quippè *aliquid permittitur gratia virtutis, quod alias non permitteretur*, l. 1. §. beſtias ff. de poſtul. Hoc verò potiſſimùm, cum antiquus miniſter eſt, & benè meritus, cuius opera vtilis fuit, & eſſe adhuc poteſt. *Imò in bellica præfectura maior reſpectus habendus peritiæ, quam virtutis aut morum*, ſecundum Ariſtotelem.

In proprijs defectibus.

Quintò, diſſimulandum eſt in proprijs defectibus. Benè quidem nati & educati ſunt Reges.

Rara tamen mendâ facies caret, occule mendas,
Quodque potes vitium corporis abde tui,

vt

vt ait Ouidius. Quia ſolutè viuentes deſpicabiles fiunt,&multas oportunitates præbent inſidiantibus, ait Ariſtoteles V. Polit. c. x. Addo diſſimulare etiam Principem debere ea, quæ in ſe habet, & illa magna proponere. Hinc Liuius lib. 26. de Scipione, *Fuit*, inquit, *Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, ſed arte quoque quadam ab iuuenta in oſtentationem earum compoſitus.* Id agendum, ne Principis nomen & auctoritas vileſcat. Ne hoc accidat, non aggrediatur ea, ad quæ capax non eſt, virtutem ſuam ipſe diſſimulet. Quod Ouidius paruæ mulieri ſuggerit: *Parua ſedens maneas, ne ſtans videare ſedere.* De alijs diſſimulandi occaſionibus alibi. In omni autem diſſimulatione ſemper ſit ſalua virtutis & honeſtatis reuerentia.

CAPVT IX.

Vtrùm prudentis Principis ſit tarditate, an verò celeritate in actionibus ſuis vti.

Paruæ moræ magnum aliquando commodum eſt, nonnumquam maximum in celeritate bonum eſt. Tardum eſſe Principem ſubinde oportet, ſed celerem & expeditum ferè ſemper. Et quidem tarditate quâdam vtetur aduerſus acriores quorundam impetus, qui cunctatione ipſâ langueſcunt; & vbi plus quiete, quàm motu proficitur; nec niſi lentè rumoribus primis fidem adhibebit. Prætereà cùm ineundus eſt contractus, aut percutiendum cum aliquo fœdus, aut cum Legatis de re graui & ardua agendum, ne feſtinet Princeps. Trahendæ hîc ſunt moræ, vt omnia deſpiciantur. Si quid etiam quandoque in Republica ſit innouandum, paulatim flectendi & ducendi ſunt ciues, vt quodam progreſſu conſuetudo fiat, non imperetur. Aut ſi in anguſtijs, & graui quâdam rerum ſuarum difficultate ſit Princeps, det ſibi tempus, nec ſit præceps. Nam puncto ſæpè temporis maximarum rerum momenta vertuntur, & vna dies aut vna nox rerum mutationem. Ipſa aliquando negotia, & rerum agendarum tempora vltrò moram & cunctationem petunt. Prudens & altum ingenium facilè animaduertit. Aliàs ſanè ſit expeditus. Qui magnæ indolis ſunt, omnia faciliùs, quàm moram patiuntur, & lenta remedia oderunt, quaſi pulchrius ſit mori citò, quàm lentè conualeſcere. Sæpè qui in occaſionis momento paulùm cunctatur, amiſſam mox oportunitatem fruſtra queritur. Inprimis celeritate opus eſt in eo conſilio, quod non poteſt, niſi peractum, laudari; tutum quippè illud celeritas facit, & tarditas temerarium. Plurimæ in bello occaſiones celeritate ipsâ in vtilitatem noſtram conuertuntur, & maturare ac præoccupare conuenit. Deinde motibus ſubditorum & rebellionibus naſcentibus ſummâ celeritate obuiam eundum eſt, priuſquam confirmentur, & inualeſcant. Et cùm Reipublicæ conſeruatio à bono eius ordine pendeat, nihil hîc ſerius conſtituendum, & omnia maturè præuidenda procurandaque. Si cum hoſtibus agendum eſt, prior occurrat, qui ſuorum augere confidentiam, & hoſtium minuere vult. Vtendum tempore & occaſione. Denique ſi cui gratificandum eſt, ne lenta ſit gratia; ſi obſequium aliquod vtile præſentatum, citò, ne occaſio pereat, acceptetur. Velox eſt rerum omnium mutatio, proinde expeditâ prudentiâ eſt opus, & cùm maturè deliberatum eſt, nihil nimis enucleandum. Vbique incommoda aliqua, quæ vitare omnia qui volet, nihil vnquam efficiet. Gratus admodum eſt ſubditis Princeps, qui eorum patientiam, cùm

Vtendum aliquando tarditate.

Sæpius celeritate.

cùm agendum eſt aliquid, nimiâ cunctatione non fatigat. Redimere multi tempus vellent, etiam eo, quod petitur, denegato.

Teſtimonia & Authoritates.

Pro Celeritate.

DIſputari vtrimque res hæc poteſt. Atque inprimis pro celeritate adferri hæc poſſunt. Lucanus lib. 1.

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

Ouidius —— *Sed propera, nec te venturas differ in horas.*

Qui non eſt hodie cras minus aptus erit.

Socrates, *quicquid agis promptiſſimè atque optimè & diligenter age.* M. Cic. celeritatem inter virtutes Imperatorias refert in oratione pro lege Maniliâ. Eam Vegetius lib. 4. in rebus bellicis amplius ſolere prodeſſe, ait, quam virtutem. Ita illa Iulio Cæſari placebat, vt penè temere ardua quæque aggrederetur, ac ſine Conſilio. Quippè dicebat, *de ijs conſultandum non eſſe, ad quæ perficienda maximam vim celeritas haberet.* Et hinc in Pontico triumpho inter Pompæ fercula trium verborum titulum prætulit, *Veni, vidi, vici.* Rogatus aliquando Alexander Mag. quomodo ſibi tam multa tam paruo tempore comparaſſet. *Nihil*, inquit, *procraſtinando.* Vide Curtium lib. 5. & 7. Eius erat tam præceps in rebus agendis cura & induſtria, vt omnium Principum celeritatem anteuerteret. Vnde conquerebatur Rex Perſarum Darius, nullum ſibi ſatis longum ſpatium relinqui, quo Alexandrum pro viribus & contentione retunderet. Nam Alexander noctu & interdiu curabat, vt improuiſum hoſtem aggrederetur. Ita magnæ indolis viri omnia facilius, quam moram patiuntur, & lenta remedia oderunt. Hanc celeritatem exprimere volens Alciatus in Emblematibus ſuis Alcem feram propoſuit, quæ equi robur & cerui celeritatem habet, teſte Plinio, cum illa Alexandri ſententiâ *nihil procraſtinandum.* Martialis:

Non benè diſtuleris, videas quæ poſſe negari.

Pro tarditate.

Tarditatem autem commendant, Inprimis Ouidius:

Differ, habent parua commoda magna mora.

Liuius lib. 31. *Nihil magni diſcriminis conſilijs tam inimicum, quam celeritas.* Saluſtius in Coniurat. Catil. notans errorem Cethegi, *Maximum*, inquit, *bonum in celeritate Cethegus ponebat.* Vt teſtatur autem Liuius lib. 22. Medici plus interdum quiete, quam mouendo atque agendo proficiunt. Notum illud Ennij ex Virgilio.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Deus ipſe tarditatem commendare videtur. Nam *Deus*, inquit Xenophon, *ab æſtu per Autumnum ducit nos in hyemem, per ver à frigore in æſtatem.* Quod citò fit, citò perit vt eſt Symbolum I. Conſtantini Imp. Et in Prouerb. eſt, *Canis dum feſtinat cæcos parit catulos.* Agatarcho pictori Zeuxis, cùm ille pingendi celeritatem iactaret, & tarditatem Zeuxi obijceret, reſpondit. *Ita quidem ego diu pingo, ſed pingo æternitati.* Nimirum ſat citò, ſi ſat benè, vt ait Cato, Cæterùm vt aliquid hic ſtatuatur, optanda in omnibus actionibus maturitas eſt; vt nec citius aliquid ſit, nec ſerius, vt ait Nigidius apud Gellium lib. x. c.xi. Nam ad res gerendas ſimul adhiberi debet, & induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. Hoc expreſſit Veſpaſianus in nummis per Anchoram & Delphinum. Anchora tarditatem deſignat, quia naues remoratur; Delphinus celeritatem, quia natando celerrimus eſt. Hoc etiam expreſſit Auguſtus Cæſar ſuo ſymbolo. *Feſtina lente.* Vtramque & celeritatem & tarditatem multi requirunt. Saluſtius in bello Catil. *Priuſquam incipias conſulto, & vbi conſulueris maturè facto opus eſt.* Seneca. diu delibera, fac citò. Bias apud Ariſtotelem in Ethicis, *Negotium ſuſcipiendum cunctanter, verum in ſuſcepto permanendum conſtanter.* I. Aurelij Commodi Imp. ſymbolum fuit, *Paulatim, pedetentim.* Dicere enim ſolebat, *ab hoſpite negotium paulatim, à mortuo fruſtra geri.* Non debent celeritate res, ſed perfectione iudicari. Dicebat Carolus V. Imp. quod quemadmodum Saturnus Planetarum ſupremus omnium tardiſſimè circumuerteretur, ita Principibus conueniret, nihil præcipitanter aut inconſideratè agere. Quippè nulla res eadem feſtinata ſimul eſt, & examinata. Cùm autem magnæ res celeritate perficiantur, magnæ etiam tarditate. Hoc Capite quibus in occaſionibus celeritate ſit opus aut tarditate deſignauimus, celeritate in bellicis expeditionibus ferè ſemper eſt opus. Alexander

der Magnus cùm audiret Græciæ motus, ſtatim cum potentiſſimo exercitu illam inuaſit, tantâ celeritate, inquit Iuſtinus, *vt quem venire non ſenſerunt, videre ſe vix crederent*. Et quia, vt ait Cic. Philipp. 5. *omne malum naſcens facilè opprimitur, inueteratum plerumque fit robuſtius*, ideo etiam contra ſubditorum rebelliones vtendum eſt celeritate. Rodogina Perſarum Regina, vt eſt apud Polyænum lib. 8. cum quandam ſuorum defectionem intellexiſſet, lauandis crinibus impedita, non prius exſiccatis ijs equum conſcendit, & illos ſtatim oppreſſit. Idem de Semiramide refertur, quæ Babylonios incompoſitis crinibus eſt aggreſſa; & Syraces cum vno tantùm pede calceum induiſſet. Melior eſt prouidentia, quam pœnitentia, vt inquit Dionyſius Halicarn. Romani dum de ſuppetijs Sagantho ferendis diu deliberant, vrbs capitur.

TITVLVS XVIII.

De Auctoritate Regia.

CAPVT I.

Quid ſit Auctoritas Regia, & in quo conſiſtat.

Authoritas eſt auguſta de Regis celſitudine exiſtimatio.

REGIS alicuius ſeu Principis Auctoritas nihil aliud eſt quàm ſubditorum exterorumq́ue de eius Celſitudine ſumma auguſtaque exiſtimatio, ex qua veneratio ſequitur. Hæc certiſſima eſt Imperij, & ſalutis publicæ tutela, veriſſimumq́ue Principis patrimonium, & amoris beneuolentiæq́ue conciliatrix. Cuius ea vis eſt, vt odium ac contemptum Regis ex ſubditorum animis tollat, & defuncti Principis liberos, ſeu poſteritatem ſuâ gloriâ obumbret. Nec eam negligere, ſed omni ſtudio quærere Principes debent, & vulgi opinionem certis artibus eò trahere, vt auguſtè ac reuerenter ſuam exiſtimationem in admiratione habeant. Conſiſtit autem non in extemo illo ac vano ſplendore, nec in affectata quæſitaque apud ſubditos famâ & opinione, ſed in vera virtute, morumq́ue non fucata, ſed propria grauitate. Ideóque non captare Principes debent inanem illam reputationem, vt vocant, ſed veram virtutis famam, vt non tantùm præſtantes virtute videantur, ſed verè ſint.

Conſiſtit autem in virtute.

Authoritates & Exempla.

NIHIL aliud Auctoritatem eſſe, quam auguſtam de Principis Celſitudine exiſtimationem, hic oſtendimus; item in vera virtute, morumq́ue grauitate conſiſtere. *Hæc eſt ſalus & cuſtodia Principatus*, inquit Q. Curtius lib. 9. Eius verò acquirendæ conſeruandæq́ue ſumma eſſe cura debet. *Cum*, vt idem ait, *nihil poteſtas Regum valeat, niſi prius valeat auctoritas*. Et Cic. Orat. pro lege Manilia: *Auctoritas multum in bellis quoque adminiſtrandis, atque imperio militari valet. Vehementer autem pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocij de Imperatoribus exiſtiment, quis ignorat? cum ſciamus homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quam aliqua certâ ratione commoueri.* Alphonſi Aragoniæ Regis tanta exiſtimatio, & ex exiſtimatione auctoritas fuit, vt etiam ab inimicis

Authoritas.

Exempla

cis viris alioquin ſpectatiſſimis laudaretur. Vnde cum Franciſcus Sfortia contra eum magnas copias duceret, idque intelligeret Nicolaus Cardinalis Capuenſis grauiſſimus Alphonſi inimicus, cùm paſſim dicerent non futurum Regi negotium cum Renato, *Imò verò*, inquit, *iam demum intelliget Sfortia, cum alio ſibi, quam cum Philippo Maria rem eſſe gerendam.* Tanta erat eius auctoritas, vt etiam aliquando victus victoribus conditiones daret, quod hi victoriam non virtute, ſed caſu conſecuti viderentur. Illum aliquando Fredericus Imp. Romæ coronatus inuiſit; cumque reuerſus in Germaniam reprehenderetur, quod maior dignitas ad minorem deſcendiſſet, dicebat, deſcendiſſe *ſe ad Alphonſum Regum omnium prudentiſſimum & Magnificentiſſimum, nec ad minorem, ſed ad maiorem. Nam etſi minor ſit Regis, quam Imperatoris auctoritas, Alphonſus tamen Frederico maior eſt.* Rudolphi II. Imp. tanta etiam auctoritas fuit, vt præter Chriſtianos Principes & Reges, Perſæ, Turcæ, Moſci, amicitiam & fœdus eius expeterent; imò plures Regum Legati, & verò etiam Principes Germani ad intuitum eius contremiſcerent & obmuteſcerent. Scanderbergus, teſte Botero, tanta apud omnes, etiam Turcas, auctoritate pollebat, vt etiam poſt mortem eius conſpecto ipſius exercitu in fugam ſe contulerint viuum illum adeſſe exiſtumantes.

CAPVT II.

Quomodo Regia Auctoritas acquiratur.

Per dotes Natura ſingulares.

ALiquando diuinitus Auctoritatem Principes ſortiuntur, cùm nimirum ſingulares quaſdam dotes ad Maieſtatis præſidium illis indit natura, quibus ipſi homines ad ſui admirationem venerationemque nolentes volentes trahunt, ſecreto quodam quaſi naturæ impetu. Atque hinc eâ animi Celſitudine præditi ſunt quidam, tanquam cœleſti Auctoritate, vt venerationem alijs ac terrorem inijciant. Hæc cuiuſdam diuinitatis vis eſt.

Per virtutes.

Aliàs Regiam Auctoritatem conciliant eximiæ virtutes; adeò vt tanta ſit auctoritas, quanta virtus. Virtutes, inquam, ſed hæ potiſſimùm, Pietas, Prudentia, Fortitudo, Iuſtitia, Liberalitas, Clementia, Temperantia; quibus ſi aſſiduò Principes occupentur, nihil vnquam humile, nihil parui momenti cogitabunt, ſed tanquam ſoles quidam ſuis in Regnis virtutum omnium radios in ſubditorum oculos tranſmittent. Et verò Iuſtitiæ diuinique cultus opinio mirabilem vim habet ad conciliandam bonam apud ſubditos de Principibus exiſtimationem, quod omnes ſummâ veneratione dignos eos iudicent, & magni faciant, quos amari à Deo propter pietatem, Dei quoſdam Vicarios per Iuſtitiæ adminiſtrationem eſſe animaduertunt.

Modi quidam, Teſtimonia & Exempla.

PEr dotes quaſdam naturales, item per virtutes. Hinc Cic. pro lege Manil. *Neminem, ait, poſſe auctoritatem à ſeipſo preſtare.* Naturales illæ dotes Caio Mario quandam authoritatem conciliarant, vnde, vt teſtatur Val. Max. lib. 2. c. 10. *cum miſſus eſſet ad eum occidendum in priuata domo Minturnis clauſum ſeruus publicus natione Cimber, & ſenem & inermem, & ſqualore obſitum, ſtrictum gladium tenens aggredi non ſuſtinuit, ſed claritate viri occæcatus, abiecto ferro attonitus inde ac tremens fugit.* Conciliauerant etiam Auguſto Cæſari, qui ſolo vultu, & aſpectu Actiacas Legiones exterruit, vt eſt apud Suetonium. Parem habuit Philopæmenes, teſte Iuſtino lib. 32. quem iacentem in foſſa Meſſenij hoſtes eius metu virtutis, vel verecundia dignitatis interficere auſi non fuerunt. Ferdinandus Aragoniæ Rex, vt eſt apud Guicciardinum lib. 1. Hiſtoriarum, cuiuſdam

Exemplum Marij.

Philopæmenis.

Ferdinandi Aragoniæ Regis.

iuſdam Arcis in Inſula Ænatia Præfectum ſolum ipſum admittere volentem, ita vultus Maieſtate exterruit, vt ſuæ poteſtatis arcem quamprimum faceret. Parem fuiſſe authoritatem & Maieſtatem in Oloue Nouargiæ Rege, refert Albertus Krantzius lib. 1. Nouargiæ, qui venientem ad ſe Starcuterum virum ferociſſimum & percuſſorem pretio emptum quodam oculorum fulgore protinus fugauit. Quod attinet ad virtutes, de quibus iam in præcedentibus titulis diſſeruimus eæ ſingularem omnino conciliant Principibus auctoritatem. Alexander Magnus glorioſum illud nomen propter res à ſe geſtas, & virtutes eſt conſecutus, dum omnes fortitudinem eius, dexteritatem & felicitatem admirantur. Pompeius apud Romanos ſolo militum applauſu dictus eſt magnus, dum propter virtutes ſingularem de eo opinionem excellentiæ concipiunt. Mithridates Rex Parthorum propter ampliſſimas victorias, & Mithridates Rex Ponti propter diuturnum cum Romanis geſtum bellum Magni ſunt appellati. Idem cognomen inditum eſt Herodi primo, quod cùm priuatus eſſet & peregrinus, ſingulari tamen induſtriâ & virtute factus eſt Iudæorum Rex, & ſe aduerſus innumera pericula tutatus eſt. Conſtantinus Magnus, quod Chriſtianam Religionem defenderet feliciter, & Romani Imperij fines proſperis ſucceſſibus augeret, honorificentiſſimum illum titulum obtinuit. Poſt illum etiam Theodoſius propter liberatum magno diſcrimine Imperium. Plures alij apud Chriſtianos: imò etiam Chingus Tartarorum Rex propter victoriarum amplitudinem Magnus eſt appellatus, & poſt eum reliqui omnes magni Tartarorum Chami. Mahometes primus autem propter ſubiugata duo imperia & erepta Chriſtianis duodecim Regna ducentaſque vrbes occupatas, Magnus Turca dictus eſt, quod etiam nomen ſortiti ſunt eius ſucceſſores. Hæc omnia nomina glorioſiſſima fecit admiratio virtutis, ſicque acquiſita comparataque authoritas. Reliquæ virtutes, quæ non tantùm admirationis, ſed etiam amoris multum habent, vt iuſtitia, prudentia, liberalitas, Clementia, magnam etiam conciliant authoritatem, & ſingulare cognomen apportant. Sic Alphonſus X. Rex Caſtellanus propter ardorem ſingularem erga Philoſophiæ, potiſſimum Aſtrologiæ, ſtudium dictus eſt ſapiens. Ottho III. Imp. propter admirandam ſapientiam, & fortitudinem dictus eſt miraculum mundi, Alij Pij, Iuſti, Boni &c.

Olonis Regis.

Cauſæ Cur alii qui magni appellati.

CAPVT III.

Quænam alia ſint ad comparandam auctoritatem adiumenta.

Corporis bonis.

MVltum inprimis ad comparandam auctoritatem poſitum eſt in aſpectu quodam regali, inque totius corporis præſtanti dignitate. Nam eſt in ipſa corporis maieſtate veneratio. Deinde in inceſſu graui, in ſermone prudenti, in morum grauitate laudabili. Hæc enim magnum virtuti Imperioque ſuffragium & commendationem addunt. Ipſa etiam Regum potentia, & quædam rebus in omnibus felicitas auctoritatem quaſi ſecum apportat. Præterea præclaram conciliant exiſtimationem proba Principis moneta, in cuius materia, ſigno, pondere nulla fraus ſit; Itinera vbique per regnum tuta, cùm viarum ſecuritatem præſtare Reges debeant, & graſſatoribus maliſque hominibus Prouinciam vniuerſam purgare. Fides promiſſi, quæ etſi toto orbe exularet, conſiſtere integra apud Reges debet, quorum verbum vnum valere tantum ad fidem oportet, quantum hominum aliorum iuſiurandum. Denique maximæ lumen auctoritatis Principibus adfert cum viris doctis conuerſatio, quam ob cauſam frequentes eſſe in eorum Comitatu ac Palatijs debent. Nec ſanè proſtituunt, ſed augent & illuſtrant auctori-

Potentia & felicitas.
Proba moneta.
Itinera tuta.
Fides promiſſi.
Cum doctis Conuerſatio.

ctoritatem ſuam, cùm publica Doctorum Virorum Auditoria inuiſunt & in ſubſellijs ſedentes ex pulpitis eos docentes auſcultant. Quibus exemplis vehementiſſimè Iuuenum ſtudioſorum animi ad bonas artes diligentiùs complectendas commouentur, cùm illarum tantam eſſe dignitatem vident, vt earum profeſſores à Regibus etiam & Principibus audiantur.

Teſtimonia & Exempla.

Teſtimonia.

INprimis formæ & corporis dignitas, ſi reliqua adſint animi ornamenta. Nam vt dicit Curtius lib. 6. *In Maieſtate corporis veneratio eſt.* Et vt Stobæus ſerm. 63. *Reuerendum quid & admiratione dignum continere videtur pulchritudo.* Et ideo Alexander Magnus contemptui habitus eſt a Regina Amazonum, quod non perinde pulcher, quam rerum geſtarum famâ eſſet celebris, qua percita ad ipſum venerat. Simili modo Ageſilaus apud Ægyptios, quod breuioris eſſet ſtaturæ, minori fuit in veneratione, vt refert Plutarchus. Accedit quod ex corporis forma coniecturam de animi præſtantia facere liceat. Hinc Paris apud Ouidium in Epiſtola ad Helenam.

Forma vigerq; animi, quamuis de plebe videbar,
Indicium tectæ nobilitatis erant.

Exempla.

De Scipione ita Plutarchus in eius vita, *Erat animo alijſque virtutibus vehementer excellens, ſed præſtans etiam pulcritudine erat ac totius formâ corporis conſpicuus, lætâ ac hilari fronte, quæ plurimum valent ad gratiam hominum conciliandam.* Imò Ariobarzanes ob inſignem corporis formam & præclarum animum, apud Armenios Rex eſt electus, teſte Tacito, lib. 2. Annal. Pari modo, teſte Suida, Ariſtocrates par Imperio & Principatu dignus eſt iudicatus, quod aſpectu venerando & mirabili eſſet. Non mirum igitur ſi tam iniquè Iulius Cæſar caluitij deformitatem in ſe ferebat, quam vt occultaret, ex omnibus decretis ſibi à Senatu honoribus nullum libentius, quam coronæ Laureæ perpetuo geſtandæ vſurpauit, vt refert Suetonius in eius vita. Quicquid tamen ſit animus præcipuè ſpectandus eſt, ſine quo forma non tam authoritatem, quam amorem conciliat. Hinc Demoſthenes Legatus cum Æſchine & Philocrate ad Philippum Macedoniæ Regem, cum illi eum laudarent, quod dicendi artificio valeret, quod formoſus eſſet, quod feſtiuus conuiuatur plurimum vini iucundè biberet, *prima*, inquit, *laus Sophiſtarum eſt, ſecunda mulierum, tertia in Spongiam quadrat. Regis verò nulla in eis eſt commendatio.* Ita Plutarchus in vita Demoſthenis.

Spectandus quoque animus.

Secundò potentia & felicitas. Vnde fit, vt cum Principes non vſque adeo pecuniæ auxilio rerumque abundantia ſunt instructi dignitatem ſuam artificioſâ impotentiæ diſſimulatione conſeruare, & quandoque ad maximæ potentiæ opinionem euehere debeant, vt monet Boterus lib. 2. de Politia Illuſtrium cap. 9. quâ in re longe excelluit Alphonſus primus Rex Neapolitanus, item Ludouicus Sfortia. Reprehenſus tamen fuit Ezechias Rex Iudæ, quod iactando potentiam ſuam theſauros Babylonicis Legatis oſtenderit, quos quia infideles erant, admonere debebat, omnem ſibi in Deo ſolo defixam eſſe fiduciam, non in opibus ponere ſpem vincendi.

Tertiò moneta proba, itinera tuta, & fides promiſſi. Ita dicebat Philippus Landgrauius Haſſiæ Princeps, vt refert Waremundus de Regn. c. 5. *Tribus commendari bonum Principem ſolere, 1. proba moneta, 2. ſecuris itineribus, 3. præſtatione promiſſorum.* Et hoc vltimum quidem meritò additur, quia pluris fiunt facta, quam pollicitationes, ideoque in maiori authoritate exiſtimationeq; ſunt, qui re plura conficiunt, quam verbis crepant. Quam ob cauſam maioris æſtimantur homines ſubtriſtes & melancholici, quam lætiores & verboſi. Alphonſus Hiſpaniarum Rex dicere ſolebat, vt habet Panormitanus lib. 1. de dictis & factis eius. *Tantum valere debere apud Regem verbum ſimplex, quantum priuatorum hominum iuſiurandum.*

Quanti momenti ſit Regis verbum.

Quartò *conuerſatio cum doctis.* Hinc Prouerb. 15. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus ſtultorum ſimilis inuenietur.* Et verè optima Principum inſtitutio videtur, circa ſe ſemper viros doctos & graues habere. *Princeps bonus fiet, ſi bonis amicis vtatur,* inquit Ca-

pitolinus. Franciſcus Primus Galliæ Rex, vt ſcribit Beſoldus, cum nullâ eruditione ſingulari tinctus eſſet, quotidianâ doctorum virorum conuerſatione factus eſt prudentiſſimus, & diſciplinarum omnium gnarus. Nam, vt eſt in adagio, *qui ſæpius apricatur, etiam non ſentiens obfuſcatur.* Cominæus lib. 1. *Conuerſatio*, inquit, *illa eruditorum reſarcit, compenſat, & occultat inſcitiam Principis, hacq; lumine & purpurâ eruditionis aliorum coloratur: & ſic Princeps opinionem ſcientiæ excitabit, & conſequenter ſcientiâ aliorum auctoritatem ſibi maximam conciliabit.* Hæc cum litteratis conuerſatio Carolo Magno ſummum decus & ornamentum peperit, teſte Eginhardo in eius vita. Henricus V. Imperator ſuo in comitatu aſſiduè viros doctos habuit, qui ſummopere illum illuſtrauerunt, vt habent Germaniç Chronica. Carolus IV. frequentius inter Litteratos, quam inter Aulicos viſus fertur; qui etiam in Pragenſi Schola ad horas quatuor diſputantes liberalium Artium magiſtros audiuit; cumque purpurati cœnæ tempus adeſſe dicerent, *Hæc*, inquit, *mihi cœna ſuauiſſima eſt, cum viris doctis eſſe*, vt Mutius in eius vita. Imp. Sigiſmundus pauperum doctos filios ad dexteram ſuam collocabat, nobiles indoctos ad ſiniſtram; dicebatque ſe eos pluris facere, quos natura alijs feciſſet ingenij dotibus excellentiores.

Qui Principes viris doctis delectati.

CAPVT IV.

An ad auctoritatem conciliandam expediat rarò Principes conſpici.

Non rarò ſed frequenter conſpici expedit.

EQuidem ex nimia familiaritate, & æquali conſeruatione naſci contemptus ſolet; expedit tamen, etiam ad auctoritatem ſtabiliendam, Principes in ſubditorum conſpectu luceque verſari, quod barbara nimium ea grauitas ſit, ab vno aut altero, vel certè pauciſſimis videri, ac ferè neminem alloqui. Vultus ille Principum, & ad ſubditos læta frons porrecta incredibile quantum ciuium omnium animos recreet. Non ergò in lateribus quaſi ſoli & gurguſtijs deliteſcant, ſed exoriantur ſæpè, & ſui copiam faciant quibuſdam humanitatis, comitatis & affabilitatis radijs. Ipſa Principum viſa facies plerumque admirationem cum amore, & præclaram aſpicientibus inijcit exiſtimationem. Sit tamen modus, & ſalua Maieſtas.

Teſtimonia & Exempla.

PLutarchus in vita Periclis notat, quod Pericles nullâ aliâ re magis ſibi auctoritatem apud Athenienſes conciliarit, quam *quod rariſſimè in publicum prodiret.* Eandem ob cauſam Ariſtides omnia ſodalitia fugiebat. Perſarum Reges ſub Maieſtatis ſpecie, ferè ſemper olim latebant, nec eodem cum exteris potu vtebantur. Erat etiam cuiuſdam felicitatis eos vel ſemel vidiſſe, vt refert Athenæus lib. 1. & Cæl. Rodiginus lib. 8. Diocles Medorum Rex primus cauit, ne quis ad Regem ingredi permitteretur: per internuncios omnia tranſigebantur, nec conſpici à quoquam Regem fas erat. Idem ſepſit Regiam ſuam munimentis, & circumquaque populum habitare iuſſit. Vide Herodotum lib. 1. Rex Chinenſium, etiam hoc tempore nunquam Regiâ ſuâ pedem effert, per internuncios vbique imperans, vt refert Alexander Valignanus in admirandis Regni Chinenſis. De Rege Abyſſinorum, vix eum ter ſubditis ſuis faciem aperire quotannis tradit Damianus Goeſius. Rex quidam Indiarum, vt legere eſt apud Kirchnerum de Rep. diſ. 20. *neminem niſi per vitrum alloquitur*; & ita in cauea iſta vitrea otioſam Maieſtatem barbaramque grauitatem ſe tueri poſſe exiſtimat. Caliſtratus, vt refert Tholoſanus lib. 2. de Eunomia, dicebat Magiſtratum pati non debere ſe contemni; quod fiet, ſi alios

Exempla Regum ſe occultantium.

ſi alios in familiaritatem admittat. Nimia enim familiaritas, vt dicit Comicus, parit contemptum.

Contra verò Ageſilaus Rex Spartanorum, teſte Plutarcho in eius vita, aſſidue in propatulo & omnium oculis verſari gloriabatur. Marcus Imp. vt habet Herodianus in eius vita, ciuilem ſe & commodum omnibus præſtabat, cuiuis adeuntium dexteram dabat, & prohiberi aditu neminem volebat. Alexander Cæſar, teſte Cuſpiniano in eius vita, familiariter ſeſe erga omnes exhibens, vt amabilis eſſet omnibus, effecit, vtque pius, Sanctus, Reip. vtilis appellaretur. Talis enim eſſe Princeps debet, qui in conſpectu populi & Reip. luce negotioſus, non in occulto, non in latebris & clauſtris otioſus verſetur. Dum lucem fugit, malè ſibi conſcius, aut vitio aliquo imbutus præſumitur. Theodoricus Galliæ Rex, quia Regni adminiſtrationem alijs committebat, ipſeque abditus Aulicorumque arbitrio viuens latebat, à Proceribus monaſterio incluſus eſt, vt refert Gaguinus lib. 3. de geſtis Francorum. Rectè Tacitus lib. 2. Magnates omnes monet, *vt præſtent ſe ſemper arbitros rerum iure à nomine regio.* Vnde ſtabiliendæ auctoritatis prætextu non debent Principes ſolitudinem affectare. Debet tamen hic cautio aliqua adhiberi, nimirum vt modum aliquem teneant, nimiaque familiaritate auctoritatem non amittant. *Cum ſubditis*, inquit Andreas Gaill. lib. de Areſt. Imperij, *blandè benigneq́, agendum, & dulcibus colloquijs potius demulcendi, quàm nimiâ ſeueritate irritandi ſunt, ita tamen ne liberaliori indulgentia, & aſſiduâ familiaritate deteriores fiant, & Domini contemptui eſſe incipiant.* Nimia olei copia lychnum extinguit, iuſta conſeruat. Antiochus Epiphanes Aſiæ Rex ob nimiam popularitatem inſani nomen à vulgo meruit, teſte Athenæo, lib. 5. Appius Claudius nimiâ familiaritate effecit, vt de gradu dignitatis deturbaretur, teſte Diodoro, lib. 20.

Item Regum publice conuerſantium.

Monitum cum cautione.

CAPVT V.

Quænam Principum proſtituant auctoritatem, & contemptum pariant.

REgum ac Principum auctoritatem vehementer ſanè imminuunt plena faſtu ac vanitate verba, quidam Hyperbolici ſermones, qui quodam promiſſorum hiatu proferuntur. Dedecet enim omnis iactantia Maieſtatem. Deinde veſtitus indecorus Maieſtatem quaſi proſtituit, & contemptum parit: ideóque dare operam Principes debent, vt pro locis, temporibus, negotijs, & ætatibus in decenti ornatu compareant, ita vt ſplendor aliquis ſit pro dignitate, & modeſtia interim ſine faſtu animaduertatur. Plurimùm verò ſupremæ Maieſtatis auctoritatem deformant ebrietas, libido, & ira immoderata. Quippè indignum Maieſtate videtur, & eſt quiddam immane, ita ſe ingurgitare, vt iudicij ac mentis nulla ſint ſigna. Nec profectò decet, vt ingenui liberíque homines ebrioſo Regi obediant, qui ventri potiùs & abdomini, quàm ſceptro purpuræque ſit natus. Libido verò cùm ciuium animos alienet, tum in contemptum Reges adducit. Indignum namque etiam eſt, eos iura alijs dare, qui mulierum prauitatibus corrupti ſuæ ponere modum cupiditati non poſſunt. Nec facilè eos Duces ſuos viri agnoſcunt, quos fœminarum illecebris capi intelligunt, & quorum Aula quoddam Veneris eſt Gynæceum. Sunt qui in ebrietate eum ſceptro vitam amiſerunt; nec deſunt, qui propter libidines ſuas rebellis Populi furorem non ſuſtinuerunt. Ira verò cùm tranſuerſos agat Reges, & iudicij lumen obfuſcet, impotentes eorum animos reddit, & ludibrio ipſos exponit. Verbo abſoluam, vitia omnia Regum Maieſtatem de-

Verba iactantia plena.

Veſtitus indecorus.

Ebrietas. Libido. Ira.

Vitia denique omnia.

 fœdant,

fœdant, & eorum famam hominum conuitijs proſtituunt. Omnium animis pene innata hæc opinio eſt, Reges ſubditis eſſe meliores ac præſtantiores, ideóque venerantur eos, & ſeſe ſubmittunt: cùm verò inſignes vitijs vident, deſpiciunt, obloquuntur, ſubeſſe dedignantur. Vita bona Principum auctoritatis & Maieſtatis vera cuſtodia eſt.

Teſtimonia & Exempla.

INprimis verba iactantiæ plena. Quia Hyperbolici iſti ſermones, qui verborum & promiſſorum quodam hiatu proferuntur, faſtum & vanitatem indicant. *Imò auctoritatem Magnatum vehementer imminuunt*, inquit Hippolitus in Princip. cap. 26. Et abſtinendum ſermone ſexquipedali, cui fides haberi non ſolet, monet Boterus lib. 1. de Polit. Illuſt.

Moniturn.

Secundò Veſtitus indecorus. Hinc Carolus IX. Rex Gallorum cùm in curtiore pallio tanquam pica ſaltaſſet, authoritatem Regiam indecoro veſtitu proſtituit, vt refert Iouianus. Vnde Pontanus in Dialogo cuidam percunctanti quid de Carolo ſentiret, an ſapientem illum iudicaret? quomodo eſſet ſapiens, inquit, cum tam curta veſte vtatur? *Amictus corporis, & riſus dentium, & inceſſus hominis, qualis ſit produnt*, inquit Siracides. Cùm ergo in veſtitu decoro momenti plurimum poſitum ſit quantum ad auctoritatem publicam pertinet, vt ait Cominæus lib. 3. Principes proſtituere ſuam authoritatem indecoro habitu non debent. Non enim ſine cauſa Regum inſignia & ornamenta ſingularia ſunt; nimirum ad illuſtrandum Maieſtatis intuitum.

Ornamenta Regia ſint ad Maieſtatem.

Tertiò vitia, vt ebrietas, libido, ira, & quæcumque alia. Sic ebrietas, inquit Plutarchus in Alex. *Alexandri Magni auctoritatem deformauit*. Hinc Tacitus 2. Hiſt. monet vt Princeps fugiat epularum fœdam & inexplebilem libidinem. Libido, vt ait Diogenes, *omnium malorum eſt origo*. Aſſyriorum Reges ludibrio & contemptui habiti ſunt, quod ſegni otio in fœminarum turba delitteſcerent. Ira Regem tranſuerſum cogit; Ideo Iulius Criſpus Imp. hoc ſymbolum vſurpabat, *Homo, non homo iratus*. Ira, inquit Ennius, initium eſt inſaniæ. Cætera omnia vitia cum hominis naturam deſœdent, tum Maieſtatem deturpant & proſtituunt auctoritatem. De quibus videndi Scriptores morales.

CAPVT VI.

Fundamentum auctoritatis amorem eſſe ſubditorum.

Magni faciunt homines quem amant.

VErè multum imperando Reges poſſunt, ſed plus amando: amorem amore conciliant; & hic auctoritatis eſt fundamentum, ex quo obedientia ſequitur. Nam ei quem homines amant, libenter obediunt; illum magni faciunt & venerantur. Adeò, vt dici ſolet, amor & obedientia germani ſunt fratres. Et valentior eſt ſanè ad obtinendum quiduis amor, quàm timor; nec imperium vi retinetur, ſed beneuolentiâ ſubditorum. Atque is demum eſt felix Princeps, pro quo Ciues timent, non quem timent, quique non metum ex crudelitate, ſed ſui deſiderium ex bonitate omnium animis inſtillat. Hic tamen amor cum veneratione quadam ac timore coniunctus eſſe debet. Et abſit nimia cum Miniſtris familiaritas, quæ leuitatem ſemper comitem habet.

Sed amor cum timore ſit coniunctus.

Teſtimo-

Teſtimonia & Authoritates.

NVllum *Imperium tutum eſt, niſi beneuolentiâ munitum*, vt in Dione ait Æmilius probus. *Nemo ſe alterius Dominum per violentiam nominare poteſt*, inquit Anton. Perez. *Et multum quidem imperando, plus tamen amando Rex poteſt:* Amor & obedientia fratres ſunt germani. Metus & odium inſeparabilia cenſentur, vt ait idem. Vetus verbum eſt. *Nemo poteſt eſſe fidus ei, quem timet. Male veneratio terrore acquiritur, longéq; valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor*, inquit Plinius Epiſt. 8. Imo amor eſt de eſſentia Regis, inquit Arniſæus. Notandum.

TITVLVS XIX.

De Maieſtate.

CAPVT I.

Quid ſit Maieſtas, & in quo conſiſtat.

MAIESTAS eſt ſumma illa poteſtas, quam qui Reipublicæ præeſt, in ſubiectos omnes obtinet. Hanc in Monarchia Reges & Principes habent, in Ariſtocratia Optimates, in Democratia ipſe populus. Conſiſtit illa, non in diuitiarum amplitudine, aut numeroſa Prouinciarum multitudine, ſed in ſummis Reipublicæ muneribus ac Iuribus, quæ qui habet, nec ſuperiorem vllum, nec parem in ciuili adminiſtratione agnoſcit, proindeque leges ipſe alijs dat, à nullo accipit. Quare qui ſuperiorem aliquem ſua in Prouincia agnoſcit, Maieſtatem non habet; cùm in eo Maieſtas eſſe non poſſit, qui nihil habet, quod non alterius nexu fiduciâque teneatur. Perpetua verò eſt Maieſtas, quia poteſtas eſt nullo tempore diſinita, duratque tamdiu, quamdiu Imperans, & Imperium ipſum. Eſt etiam à Deo, vt non immeritò qui illam habent, ſe Dei gratiâ Reges & Principes appellent; etſi ab hominibus etiam ſit, vt Dei quibuſdam inſtrumentis, dum aut libero ſuffragio Reges eligunt, aut per ſucceſſionem ad Imperium venientes approbant recipiuntque. *Eſt perpetua. Et à Deo.*

Teſtimonia & Authoritates.

THOLOSANVS lib. 8. de Rep. ait, *Maieſtatem eſſe latens quippiam, quod præter naturam propriam admirabile quippiam reddit*. I. Lipſius lib. 2. Polit. cap. 16. ait, *eſſe Maieſtatem reuerendam quandam amplitudinem ob meritum virtutu aut affinium rerum*. Kerkermannus ita definit. *Maieſtas eſt vu quadam, per quam Princeps ſibi conciliat in animis hominum ſingularem quandam admirationem venerationemq́, & cum vtraq́, coniunctum metum*. Ita illi & alter aliqui alij: vera autem Maieſtas, de qua nunc nobis eſt ſermo, non tam in auctoritate ſeu exiſtimatione conſiſtit, quam in poteſtate, qua in ſignificatione illam hic definiuimus. Hæc dicitur *ſumma, perpetua, legibuſque ſoluta poteſtas*. Nec eſt aliud, *quam facultas gubernandi, omniaq́, pro ſalute Reip. diſponendi*, quæ vel ſucceſſionis, vel electionis iure conceſſa eſt. Ideóque à Bodino dicitur poteſtas ſumma perpetuaque competens in res perſonaſque ſuæ di- *Variæ definitiones. Qualis ſit maieſtas.*

tionis. Cum autem qui eminentem hanc obtinet poteſtatem, etſi homo ſit, poteſtatem tamen videatur Diuinæ ſuccedaneam adeptus, vt res honeſtas & diuinas inſtituat, ſermone autem vtatur humano, inde factum eſt, vt Maieſtatem cœlo delapſam antiqui fixerint. Vnde Ouidius lib. 5. Faſt.

Hinc ſata Maieſtas, quæ mundum temperat omnem,

Quaq; die partu eſt edita, *magna fuit*.

Locum illi Deo proximum Guntherus attribuit. Ita enim de illa canit.

——*Semper terribilis, ſemper metuenda, ſuoq;*

Plena vigore manet, nulliq; impunè premenda

Creditur, & ſemper cunctis & vbique timetur.

Hinc etiam *ſacra & ſancta Maieſtas* appellatur; Hinc Diui olim Imperatores dicti, vt Principes ſui officij admonerentur, ſe nimirum Dei miniſtros eſſe, & eius hic Iuſtitiam, Clementiam, beneficentiam adminiſtrare debere. Cùm deinde *ſumma ſit poteſtas*, fit vt à Deo dependere dicatur, cuius vices in terris obtinent Reges. Expreſſit hoc Guntherus loco citato.

——*Nullum caput iſta ſuper ſe*

Aſpicit, excepto cælorum Rege, poteſtas.

Quod ſi ſumma poteſtas in aliquem ad tempus tantùm transferatur, is, vt exiſtimant Politici, dici Rex non poteſt, ſed ſummus Magiſtratus, quod perpetua eſſe ſumma debeat poteſtas. Ita apud Romanos Dictator cum ſummâ Poteſtate Rex non erat, quia ad ſemeſtre duntaxat. Quod ſi breue omninò ſit tempus, dici poterit ſummæ Poteſtatis ſeu Imperij cuſtos. Maieſtas itaque, vt hinc colligitur, *eſt ipſum ſummum Imperium*; agimus enim hic de Maieſtate perſonali.

CAPVT II.

Quid ſint Iura Maieſtatis ſeu Regalea, & quænam?

Definitio eorum. IVra Maieſtatis ſunt Iura ſummo principi in ſignum ſupremæ eminentiæ ac dignitatis ad Reipublicæ ſalutem decuſque tuendum competentia. Dici vulgò ſolent Regalia, à Rege, ſeu Regendi ſumma poteſtate; item Iura vel ſacra Regni. Notæ ſunt, per quas dignoſci Maieſtas poteſt; imò quædam ſunt ſupremæ ipſius poteſtatis munera functioneſque. *Radix.* Eorum radix ac fundamentum eſt ipſa ſuprema Reipublicæ poteſtas, quam qui habet, Iura ſimul Maieſtatis obtinet.

1. Legem omnibus dare. Sunt autem hæc. Inprimis *Legem omnibus ac ſingulis dare*, quod præcipuum ac primum eſt Maieſtatis caput, cuius eſt imperare, vetare, permittere, punire, quæ omnia per leges fiunt. Primæ quidem à diuina Maieſtate ſunt leges, & hominum animis Naturæ ius eſt inſculptum, ſed cùm propter quorundam malitiam regendis hominibus ſufficere non poſſit, commiſit Deus legum aliarum condendarum arbitrium ac Poteſtatem Principibus, vt pleniùs per eam ac perfectius Rempublicam animarent. Quippè ideò Regiam dignitatem rebus humanis præpoſuit Deus, vt, quæ nouiter contingunt, emendet, componat, modos certos, ac conuenientes vitæ regulas præſcribat.

2. Dignitates, & magiſtratus conſtituere. Secundò *Dignitates ac Magiſtratus conſtituere*. Et quidem quo maior ac ſublimior eſt Reipublicæ Maieſtas, eo maiores quoque conferre dignitates ac conſtituere Magiſtratus is poteſt, qui Reipub. ſupremus eſt. Hinc ita ſupremi aliqui ſunt, vt etiam Reges creent, quod ius Cæſareæ competit Maieſtati. Aliqui Principes, Duces, Comites, Marchiones, Barones nominant; nonnulli Palatinos & Caſtellanos ex equeſtri Ordine conſtituunt: multi Ius nobilitatis tantùm conferunt. Communes in omni Republica Magiſtratus, & deſtinata regendorum ſubditorum officia deſignant, quicumque abſolutâ poteſtate regunt. Atque inde

inde ſolemni jurejurando fides illis promittitur. In nonnullis tamen officijs quandoque aliud mos patrius ex priuilegio iubet.

3. Bellum indicere, & pace finire.

Tertiò, *Bellum indicere & pace finire.* Quo iure Maieſtatis vix vllum eſt maius, cùm in bellorum ſuſcipiendorum ratione vniuerſæ Reip. ſalus vertatur. Et quamquam ad hanc rem ferè ſemper Senatus vel Ordinum deliberatio adhibeatur, non idcircò tamen Maieſtatis jus imminuitur, ſed Reipublicæ felicitas promouetur. Hinc rei læſæ Maieſtatis ſunt, qui in Regno ſine Regis iuſſu arma mouent, & vim alicui inferunt, quod nefas ſit antè Martis opem, quàm Regis Iuſtitiam implorare.

4. Iudiciorum prouocationes habere.

Quartò, *Omnes Iudiciorum omnium prouocationes habere.* Et ita pronuntiare, vt prouocari à ſententia non poſſit. Sicut enim ſummus eſt Reip. Princeps, ita ſummus Iudex, cuius eſt ſupremum Iuſtitiæ tribunal tenere, & ſententiam extremam pronuntiare, à qua, cùm maior alius non ſit, prouocatio nulla conceditur. Nec verò tantùm à ſummi Principis iudicio non prouocatur, verùm etiam is ita Iudicem dare poteſt, vt ab eius quoque ſententia non prouocetur, etſi ipſe contra eam reſtituere in integrum poſſit. Ius etiam ſupplicandi Maieſtati, cùm propter Iuſtitiam audire omnes debeat, ſemper eſt integrum. Cùm verò ſuâ in cauſa Iudex eſſe ſummus Princeps poſſit, tum melius eſt, vt præſtantibus alijs probitate grauitateque viris iudicandam eam committat. Perniciosum quippè eſt & Tyrannicum, non allorum ſuâ in cauſa iudicio acquieſcere velle. Patiuntur Maieſtatis benignæ mores, vt à Rege non ſatis, aut malè inſtructo, ad eundem meliùs inſtruendum quandoque prouocetur.

5. Vitæ & famæ reſtituere.

Quintò, *Vitæ & famæ reſtituere.* Quâ in poteſtate diuina quaſi quædam potentia eniteſcit, nec quicquam tam Regium eſſe poteſt, quàm ſupplicio damnatos eripere, quod ſine Maieſtatis detrimento concedi alteri omninò non poteſt. Hoc verò diuino beneficio non temerè nec ſine graui cauſa eſt vtendum, quod is prouocare & inuitare ad ſcelera cenſeatur, qui veniam ſceleratis indulget.

6. Vectigalia & tributa inſtituere.

Sextò, *Vectigalia noua inſtituere ac tributa imperare.* Quod profectò æquè Maieſtatis eſt proprium, atque lex ipſa, & ab antiquiſſimis eſt temporibus. Cuius cauſam attulit neceſſitas, quæ cùm adeſt, iure ſuo Reipublicæ Dominus vtitur, & ex omnium bonis, ſeruato ſemper modo, quantum opus eſt, accipit, cùm pace, tum bello. Sunt enim vectigalia pacis ornamenta, & belli ſubſidia.

7. Monetam cudere.

Septimò, *Monetam ſeu nummos percutere, ſignare, pretium & valorem conſtituere.* Quippè cùm poſt legem nihil in Rep. neceſſarium ſit magis, quàm nummorum pretium, pondus, imago, cuius eſt legem ponere, eius etiam eſt nummos ac pecuniam conſtituere. Adeò vt læſæ quoque Maieſtatis ſit reus, qui nummos adulterat, & corrumpit. Hoc ius verò alteri concedere Maieſtas poteſt.

8. Comitia indicere.

Octauò, *Comitia indicere.* Nam eſt ſummi Reip. Principis communem pro Reipublicæ vtilitate deliberationem inſtituere, eaque conſilia inire, quibus ſtant Regna, Vrbes, Domus. Et verò res arduas conſultò tantùm tentare, non modò vtile, ſed etiam neceſſarium eſt, cùm non viribus, non velocitate aut celeritate corporum res magnæ gerantur, ſed conſilio ſententiâque Seniorum ac prudentiorum.

Alia plura.

Atque hæc quidem præcipua ſunt ſummi Imperij ac Maieſtatis Iura, quibus alia plura annectuntur, vt priuilegia concedere, criminis admiſſi gratiam facere, Legatos mittere, contra leges quandoque diſpenſare,

penſare, creare Nobiles, immunitatem concedere, Ius nundinarum dare, aut venationis. Sunt & alia, quæ minora à nonnullis appellantur, commodumque pecuniarum reſpiciunt, ſed hæc non Maieſtatis ſunt, etſi ab eius pendeant poteſtate, ſed Fiſci. De ſingulis ferè iterùm alibi dicendum.

Explicatio cum teſtimonijs.

PRimùm *eſt Leges omnibus dare.* Ita paſſim leges omnes in Iure concedunt, & ideò Geneſis 49. Iacob Patriacha ſceptro immediatè Legiſlatorem coniungit. Sine hoc iure enim ſtare poteſtas Politica non poſſet, nec omnindò Reges imperare. Hinc reſpectu authoritatis condendi legem *vox Regis pro viua lege habetur* l. 2. §. 1. de orig. Iur. Quodque Principis placuit animo, legis ſanciendæ vigorem obtinere putatur. Eodem reſpectu in Nouell. 105. dicitur Deus Imperatori leges ſuggeſſiſſe, ipſumque hominibus tanquam legem animatam miſiſſe. Propter hanc cauſam legis condendæ poteſtas non eſt meri Imperij, aut iuriſdictionis, ſed de reſeruatis Principis, vt multi Iuriſconſulti loquuntur. Inferre autem hinc licet Maieſtatis quoque eſſe, mores populi conſuetudineſque approbare, & veteres etiam leges confirmare, mutare, interpretari. Hinc Symmachus lib. x. Epiſt. 40. *Operio quid deliberatio Auguſta conſtituat, cui ſoli fas eſt de diualibus iudicare.*

Vox Regis viua lex.

Secundùm eſt, *Magiſtratus conſtituere.* Nimirum faciendæ legum executionis gratia, vt ſit *Magiſtratus lex viuens & loquens*, miniſter & cuſtos legis mutæ. Fruſtra enim eſt ius & legem à Maieſtate condi, niſi ſint qui illud exequantur, dicant, & decernant. Sunt Magiſtratus, potiſſimùm maiores, Reip. corporis quaſi membra & manus, vnde eos conſtituere ſpectat ad eum, qui ſummum habet Reip. Imperium. Quod attinet ad Regum, Principum, Ducum, Comitum dignitates, exiſtimant Politici omnem eum qui Maieſtatem habet poſſe dignitates omnes ſua Maieſtate inferiores conſtituere, ac proinde Imperatoris Romani eſſe Reges deſignare renunciareque. Sic Henricus V. Imp. Vratiſlaum Ducem Bohemiæ Regio titulo exornauit, teſte Dubrauio lib. 9. Fredericus I. Petrum Daniæ ad Regij honoris faſtigium euexit, teſte Trithemio cap. 17. Otto III. Boleſlao Polonia Principi Regia ſtemmata dedit, teſte Ottone Friſingenſi, lib. 7. c. 17. Eberhardus Barbatus primus Dux Wirtembergenſis in Comitijs Vormatienſibus ab Imperatore Maximilano primo creatus eſt anno 1595. Carolus Audax Burgundiæ Dux & Belgij Princeps Regiam dignitatem à Frederico III. petijſſe dicitur. Cum autem Pius V. Pontifex Coſmum Ducem Florentiæ corona & Magni Ducis Hetruriæ titulo donaſſet Maximilianus II. Pontifici ſe oppoſuit, inquiens, *Non habet Italia Regem, niſi Cæſarem.*

Imperatoris eſt Reges facere.

Exempla.

Tertium *bellum indicere ac pace finire.* Hoc ius Maieſtati tam arctè cohæret, vt in quocumque ſuperiorem cognoſcente iniuſta ſemper belli cauſa præſumatur, vt ait Andreas Gaill. de pace publicâ cap. 4. n. 4. Et Albericus Gentilis 1. de Iure belli cap. 3. Ratio verò huius iuris eſt, quia Maieſtatis eſt ſubditos defendere contra vim omnem. Iniuſtum autem bellum cenſetur, ſi non eius, penes quem eſt Maieſtas, auctoritate moueatur. Proindeque armorum delatio & prohibitio ad Principes ſpectat. Ad eoſdem ſpectant militaria officia, & hoc eodem iure ſubditos cogere poſſunt, vt excubias agant; imò vt ad bellum proficiſcantur, ſi illud non ex Maieſtatis affectu, ſed pro patriæ defenſione ſit ſuſceptum. Ius conſtituendi armamentaria Principum quoque eſt; item ius muniendi Ciuitates, extruendi propugnacula & arces, hoſtes declarandi, ſecuritatem concedendi, Fœdera ſanciendi, & cum hoſtibus per Legatos agendi. Cuius autem eſt bellum indicere eiuſdem eſt pacem conſtituere.

Militaria officia & munia Reges mandant.

Quartum *iudiciorum prouocationes habere.* Hoc iudicium ſummum & prouocatio extrema Maieſtati, vt dicunt, ita eſt innodata, vt ne ſtatuto quidem aboleri, antiquari, & penitus ſubuerti queat. Hinc iudicia omnium examinat, ad eumque tanquam ad legem viuam ab omnibus prouocatur. Tantùm autem momenti conſiſtere in iure prouocationis extremæ Mœcenas iudicauit, vt in conſilio, apud Dionem lib. 52. ſuaſerit,

rit, Auguſto, nemini vnquam vt eam det poteſtatem, vt ab eo prouocari ad Imperatorem non poſſit. Putant etiam aliqui Maieſtatem nulla ſeruata iudicij formâ procedere contra aliquem, ac ſententiam pronuntiare poſſe; nunquam verò conſultum eſt hoc iure vti; nam etiam Diuina Maieſtas condemnare Adamum, niſi auditum, noluit. Quidam in Galliâ hac ratione Guiſij Ducis mortem excuſant, qui prius occiſus ab Henrico III. Rege fuit, quam ſe Regis gratiam amiſiſſe ſuſpicaretur, vt habet Hiſtoria vltimorum tumultuum. Ex hoc Iure volunt quoque ad Maieſtatem pertinere controuerſiarum magni momenti diiudicationem, & cognitionem de crimine læſæ Maieſtatis Regalibus annumerant. Hinc de parricida Alberti Imperatoris nihil ſtatuere voluit Pontifex Maximus, vt refert Bernardus Girardus Tom. 2. lib. 13. Hiſt. Franc. quod diceret ſpectare ad Imperatorem punire eum, qui in perſonam Imperatoris iniurioſus fuiſſet. Pari modo cum Dux Bironius in Francia iudicari non niſi à Paribus Collegis ſuis vellet, id ipſi negatum eſt, eo quod de crimine læſæ Maieſtatis quæreretur. Quod attinet ad proprias cauſas eorum, qui Maieſtatem habent, etſi iudices ipſi eſſe poſſint, non tamen vt ſint receptum eſt. Ideo cauſæ quibus impetitus Imperator fuerit, coram Palatino Electore tractantur. Sic etiam in Sileſia certi quidam Iudices ſunt, coram quibus conueniri Bohemiæ Rex poteſt, vt refert Henelius in Sileſiographia. Phillippus II. Hiſpaniæ Rex Præſidi Conſilij Regij mandauit, vt in cauſa dubia contra ſe pronuntiaret, vt refert Boterus.

Ab omnibus ad Regem appellatur.

Reges in cauſis ſuis non ſolent eſſe iudices.

Quintum *vitæ & famæ reſtituere.* Hoc ius ita exiſtimauit Carolus V. ad Maieſtatem ſpectare, vt licet Senatui Mediolanenſi Regiam penè poteſtatem conceſſerit, reſeruatam tamen ſuæ Maieſtati eſſe voluerit veniæ reis concedendæ facultatem. Hoc etiam Regis matri concedi non poſſe ſine Maieſtatis detrimento Pariſienſis Curia iudicauit, vt habet Bodinus lib. 1. de Rep. benè Poëta quidam.

Solus Reges eſt vitæ & famæ reſtituere.

Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis,
Numquam conſpicitur meliore potentia cauſa.

Tiberius Cæſar non aliam ob cauſam ſuſtuliſſe Aſyla videtur, quam vt gratia ſeruatorum ſolis Principibus accepta referretur, vt eſt apud Tacitum lib. 3. Annal. Inde etiam ſolorum ſummorum Principum eſt, *Aſyla aperire*, ad quorum ſtatuas confugienribus tutus olim receptus erat. Porrò in concedendâ vitæ gratia operæ pretium eſt Hiſpanorum inſtitutum imitari, apud quos tribunal quoddam eſt, quod Cameræ conſilium appellant, in quo tres aut quatuor ſelectiſſimi Doctores vna cum Rege de venia delictorum concedenda, deque alijs rebus, quas gratias vocant, deliberant. Quod attinet ad famæ reſtitutionem Symmachus lib. x. Epiſt. 3. *Notatus*, inquit, *iudicio exploratiſſimum remedium veniæ Imperialis implorat, vt indicati remiſſione famæ ſuæ vulnus excludat.* Eadem illa ſuprema Poteſtas, ſpurios & naturales ſuo reſcripto legitimos pronuntiat.

Sextum *vectigalia inſtituere & tributa imperare.* Cum pecunia rerum gerendarum ſit neruus, conſiſtereque ſine ea Reſp. non poſſit, ad Maieſtatem ſpectat, hanc ex omnium opibus accipere, cuius eſt ſua vigilantia omnium ſtatum ſartum tectum ſeruare. Sed de vectigalibus alibi.

Septimum. *Monetam cudere* de quâ lib. 3. Fuit autem vetuſtiſſima Sanctio legis XII. Tab. talis, *Triumuiri monetales, aurum, argentum, æs publicè ſignanto.* Franci olim cum Gallias primum occupauerunt ſignum Maieſtatis ſupremæ arripuerunt, Nummos cudere ſuorum Regum impreſſa imagine.

Libro 3. Inſtitutionum Politicarum.

Octauum. *Comitia indicere.* Hoc regale proprium eſſe Maieſtati inde patet, quod cuius eſt Reip. cura, ad eum quoque ſpectet *de rebus conſultare, & conſilia, quibus ſtant Regna, Vrbes, domus*, vt inquit Lipſius 3. Polit. c. 3. *inire.* Ideóque ex hac generali ratione vtilitateque Conſiliorum Maieſtas, poteſtas, & neceſſitas habendi comitia ſemper coniuncta fuerunt. Neque tantùm Conſiliorum ea neceſſitas eſt, verum etiam ad legum conſtitutionem, belli indictionem, impoſitionem tributorum & alia ſimilia pertinent.

Atque hæc de maioribus Maieſtatis iuribus, de minoribus ſubinde in decurſu mentio fiet.

CA-

CAPVT III.

An cum Maieſtate vitæ & necis in ſubditos poteſtas ſit coniuncta.

Habent Reges poteſtatem occidendi ſceleratos.

NEquaquam ſanè. Neque enim quem aut quando volunt interficere Reges poſſunt, quod eſt Tyrannorum; habent eam tamen poteſtatem, vt improbos ac ſeditioſos è medio Reipublicæ vitam adimendo tollant. Quippè datus eſt illis & conceſſus gladius, vt eius aciem facinoroſi homines ſentiant, & legem ipſi ac Iuſtitiam vendicent. Ita vbique Gentium receptum eſt. Et ipſa iubet ratio, vt communi Ciuitatis bono conſulatur, quod fieri certè, ſi inſigniter mali viuant, non poteſt. Pereat vna pars potiùs, quàm in diſcrimen Reſp. trahatur. Hic porrò videndum, vt Iudiciorum forma ſeruetur, præcedat accuſatio, concedatur defenſio, vt cùm apparuerit magna in Remp. offenſio, omnis inuidia vitetur, & manifeſta Iuſtitia cernatur.

Authoritates & Exempla.

Reges gladij poteſtatem habent, ad iuſtitiam exercendam.

HOc dubium vel idcircò motum, quod ius vitæ & necis inter iura Maieſtatis numeretur. Polybius lib. 6. de Romanis, ait, *Morte mulctat populus ſolus.* Et in legibus XII. Tabul. *De capite Ciuis niſi per maximum Comitiatum ne ferunto.* Apud Francos Baſanus Rex Sicambrorum quocumque ibat gladium & funem ſibi præferri iubebat. Carolo Magno ante eius tribunal Spatha nuda more Imperiali perpetim ferebatur. In Anglia ſubditorum vita & membra ad ſolùm Regem pertinere dicuntur, vt habet Smithus de Rep. Anglorum lib. 2. c. 4. Merum etiam Imperium dicitur gladij poteſtas. Hæc verò omnia iuſtitiæ ſignum oſtendunt, non verò poteſtatem vitæ & necis pro Regum arbitrio declarant, quam eos habere hic negamus. Habent tamen gladij poteſtatem à Deo, & mandant ſacræ litteræ, ne Reges patiantur maleficos viuere.

CAPVT IV.

Vtrùm melius ſit ſummum Imperium penes Regum arbitrium eſſe, an verò penes leges.

Melius penes Reges.

EQuidem Reipublicæ regula lex eſt, quæ nec odio ducitur, nec amore, nec iram admittit, nec ambitionem ſequitur; imò commotos affectibus homines repellit recta præcipiens, & praua depellens. Melius tamen eſt ſummum Imperium penes Reges eſſe, quàm penes leges. Quippè melior eſt Magiſtratus loquens, qualis eſt Rex, quàm mutus, qualis eſt lex. Et quanquam incorruptior Rege ſit, ſi affectum ſpectemus, eodem tamen eſt ineptior, ſi Principatum conſideremus. Libentiùs etiam Regi Ciues obediunt, quem vident ac timent, quàm legi, quæ latens eſt quoddam ſcriptum. Nec vllam, niſi à Regibus, poteſtatem habet. Illi enim ſunt, qui legum vires ad Reipublicæ vtilitatem accommodant, qui illas elingues exponunt, & elumbes

gladio

gladio defendunt. Certè cùm vniuerſè tantùm loquantur leges, proſpicere tempori & occurrentibus caſibus, quibus Regum prudentia conſulit, non poſſunt. Quàm ſæpè etiam cùm ciuium inconſtantia, tum rerum viciſſitudines nouas leges ac inſtituta poſtulant? Omninò niſi plurima Regum arbitrio prudentiæque ſint commiſſa, gubernari Reſpublica non poteſt. Ita verò penes Reges ſummum ſit Reipublicæ Imperium, vt non omnia ad arbitrium ſuum reuocent, ſed imperando leges ſequantur.

Ratio & Teſtimonium.

Reges regunt per leges.

MIniſtri Legum Reges dicuntur, non quod ijs ſubſeruiant, ſed quod earum vires ad Reip. vtilitatem accommodent, exponant, & tueantur. *Anima Ciuitatis Rex eſt*, eiuſdem verò regula lex eſt; melius igitur eſt ab animâ, hoc eſt à Rege ſecundum regulam gubernari, quàm à regula dumtaxat. Aliæ hic rationes exponuntur, Vida lib. 2. de Reip. dignitate. *Ne Magiſtratus*, inquit, *& qui populos regunt, in iubendis ac vetandis rebus errarent, neue quicquam agerent ex libidine, condita fuerunt mira omnium Gentium conſenſione leges ſapientiſſimorum hominum cogitata atque inuenta, quibus iura ac iudicia deſcribuntur.* De nde leges quædam ſunt morum præceptiones, quæ ab ipſis Regibus ſeu ſupremis Magiſtratibus fiunt, vnde penes eas eſſe ſummum Imperium non poteſt.

CAPVT V.

Vtra ſit maior, Reipublicæ vniuerſæ, an Regis ſolius poteſtas.

SI Reipublicæ totius, quàm Regis ſolius minor eſt poteſtas, comprimere Regem ſuum, etſi Tyrannum, nunquam ſanè poteſt. Quis verò credat Rempublicam ita omnem omninò poteſtatem in hominem vnum Regem ſuum tranſtuliſſe, vt ſibi de ſummo iure nihil reſeruarit? Nec neceſſitas coëgit, nec conſilium aut ratio ſuaſit. Et ſi maiores vniuerſæ Reipublicæ ſunt vires, quàm Regis tantùm, de maiori illius poteſtate dubium eſſe nequaquam videtur. *Pro Reip. poteſtate.*

Ego tamen, ſi de ſimplici Monarchia, quæ Ariſtocratiæ temperamentum non habet, loquamur, maiorem Regis ſolius, quàm vniuerſæ Reipublicæ poteſtatem eſſe exiſtimo. Nam ſi ſumma illa & maxima poteſtas penes vniuerſos eſſet, iam non Monarchia, ſed popularis eſſet Principatus, & à Regum ſententijs prouocare ad Rempublicam liceret; vnde & rerum confuſio, & iudiciorum perturbatio ſequeretur. Non minor ſanè Regis eſt in Regno poteſtas, quàm Patrisfamilias in domo, qui ſolus pluſquam vniuerſa familia poteſt. Et ſi omnem transferre poteſtatem Reſpublica in Reges poteſt, cur id factum non concedamus? Quippè inde fit, vt maior in Regibus imperandi ſit auctoritas, & obediendi in ſubditis non minor neceſſitas. Iam verò ſi pax & bellum in Regum ſunt manu, ſi leges dant, & non recipiunt; ſi ius dicunt omnibus, & Reipublicæ officia dignitateſque diſtribuunt, ſi eorum ſunt ea omnia, quæ ſuprà poſuimus, Maieſtatis & ſummi Imperij iura, adeò vt reſiſtat nemo, aut à Regibus factorum rationem exigat, profectò non ſingulis modò, verùm etiam vniuerſis maiorem habent Reges poteſtatem. Certiſſima maioris poteſtatis eſt nota, à Regijs decretis ac ſententijs non prouocare. Et omninò ex vi Regiæ dignitatis habent hoc Reges, vt om- *Maior tamen Regis vi.*

 nem

Exceptio poteſtatis Regiæ.

nem Reipublicæ poteſtatem ad ſe tranſlatam obtineant, & eorum ſit imperare, Reipublicæ verò, quod imperatum eſt, præſtare. Non infitior tamen eos ſummâ illâ ſuâ auctoritate nec mutare, nec abrogare leges poſſe, quæ de ſucceſſione in Regnum ſunt, vel electione, quod certâ lege id reſeruauiſſe Reſpublica cenſeatur. Quod nonnunquam ad impetanda tributa Reip. conſenſus requiratur, id ex peculiari gentis alicuius eſt inſtituto, ad quod ſeruandum iureiurando Reges obſtringuntur. At verò ſi tanta Regum eſt ſupra Rempublicam vniuerſam poteſtas, quomodo deprauatus aliquando Monarcha coërcebitur? Prudens Procerum conſilium modum inueniet, etiam ſaluâ Maieſtate.

Rationes & Teſtimonia.

Maiorem ſolius Regis poteſtatem hic aſſerimus, & ratione oſtendimus. Hinc eſt, quod qui Maieſtatem habet à ſolo Deo dependere dicatur, *cuius vicem obtinet in hoc mundo, & qui eum proximè* antecedit, vt inquit Albericus Gentilis diſp. Regia 1. pag. Huc etiam referendus eſt locus ille Guntheri in Liguimo lib. 6. ſupra citatus de Maieſtate.

Reges Vicarij Dei.

—— *Nullum caput iſta ſuper ſe*
Aſſicit, excepto cælorum Rege, poteſtas.

Horatius lib. 3. od. 1.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis.

Si ergò ſupra Maieſtatem nulla poteſtas eſt, maior eſſe Reip. non poteſt. Nec refert Maieſtatem ab alio transferri. *Haud quippè à populo eſt Maieſtas*, inquit Bornitius de Maieſtate cap. 4. *qui eam tranſtulit in Principem, ſed ipſa ea poteſtas, quam populus ab initio habuit, fuit à Deo, nec inde, quod à populo tranſlata fuit à transferente ortum habet.* Inde ſunt ſacra illa elogia. *Nulla poteſtas niſi à Deo. Non hominum ſed Dei iudicium exercetis. Deus transfert & ſtabilit Regna.* Imperatores etiam Romani paſſim profitentur Imperium ſibi traditum accepiſſe à cœleſti Maieſtate, & Deum omne Imperium conſtituere. Nouell. 82. & 83. Accedit quod ſi ſuperuenerit Maieſtas nullus Magiſtratus retineat iuriſdictionem ſuam. Quo ſenſu Plinius in Panegyrico. *Altiſſimæ Ciuium dignitates collatione faſtigij Imperialis quaſi deprimuntur, quantoque proprius ad magnitudinem aſcenderint Principis, tanto etiam à ſuâ deſcendiſſe videantur.* Non aliter ac ſolis luce ſtellæ cæteræ obfuſcantur, ſoleque ſupra horizontem exiſtente, non alio quam ſolari lumine ſplendent; ita eo, qui Maieſtate præfulget, præſente omnes aliæ poteſtates conticeſcunt. Hinc iterum Guntherus lib. 2.

Rege præſente ceſſat Magiſtratuum Iuriſdictio.

—— *Atque omnis iudex, omniſque poteſtas*
Atque Magiſtratus ipſo præſente quieſcunt.

Sit etiam pro ratione hoc loco diuina Auctoritas, quæ iubet *vt omnis anima poteſtatibus ſublimioribus*, hoc eſt Regibus, *ſubdita ſit*: Vnde cum tota Reſp. iiſdem ſubdita ſit, non poteſt iis maiorem habere poteſtatem. Tertullianus in lib. ad Scapulam, *Colimus*, inquit, *Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem.* Martialis:

Imperator à Deo ſecundus.

Qui Rex eſt Regem, Maxime, non habeat.

Atque adeo Regum Maieſtas ſumma dicitur, quod inter homines nec ſuperiorem, nec æqualem agnoſcat.

CAPVT VI.

De Iure Dominandi ſeu Ratione Status.

Quid ſit Ius Dominandi. Eſt Imperantium Priuilegium

Cogit quandoque neceſſitas, aut certè publica vtilitas, vt à Ciuilium legum præſcripto, iureque recepto Reges ac ſummi Principes recedant. Id facere iure Dominandi, quod vulgò rationem ſtatus appellant, dicuntur. Eſt autem Ius Dominandi Iuris ordinarij ad maiorem Reipublicæ totiuſque Status vtilitatem derogatio. Dici poteſt Imperantium Priuilegium. Sicut enim priuati nonnulli homines per priui-

priuilegium ſibi comceſſum communi lege aliquâ ob ſuam vtilitatem non tenentur; ita Imperantes propter maiorem plurium vtilitatem & ad ſuum Regniq́ue Statum commodiùs tuendum, commune Ius quodam ſupremæ poteſtatis priuilegio emendant. Neque iniquum eſt hoc eſſe tantum Imperantium Priuilegium, vt excedere communis iuris limites quandoque poſſint, cùm vtilitas Reip. maior eſt futura. Sunt enim Perſonæ publicæ, & cùm in eos Imperium Reipublicæ ſit collatum, ipſi Rempublicam repreſentant vniuerſam, adeóque decorum eſt, vt ſummo priuilegio donati cenſeantur. Quod profectò nihil aliud eſt in ipſis, quàm quædam boni publici procurandi, aut mali auertendi ratio. Atque idcircò, quanquam bonis ſuis aliquem priuare leges vetent, tamen cùm grauis eſt annona, poſſunt Principes ſuo frumento ciuem opulentum priuare iuſto illi pretio perſoluto, atque illud in populum diſtribuere, vt publica ſalus conſeruetur. Hinc etiam cùm ſine grauiſſimò damno receptam iudiciorum formam ſeruare non poſſunt, & certum Státui eorum periculum impendet, incognitâ Iudicibus cauſâ reum aliquem ſupplicio extremo mactari curant. Ad quem modum, & ordinarij Iuris tranſgreſſionem eos neceſſitas compellit. Porrò ius hoc dominandi certis terminis eſt circumſcriptum. Inprimis ſicut iuribus omnibus alijs præcellit, ita diuino iuri ſubijcitur, & æquiſſimum eſt, vt Religioni potior locus, quàm Imperio concedatur, quando Imperium cum Religione ipſa comparatur. Adeò Iuri dominandi nunquam licet Ius ſacrum conculcare, & Religionem imminuere. Deinde Iure dominandi vti non oportet, cùm, quod per illud quæritur, obtineri iure communi poteſt. Neceſſaria enim legis tranſgreſſio non eſt, cùm fini noſtro lex fauet. Poſtremò neceſſarium eſt, vt in ratione Status bonum publicum ſemper attendatur, vt & charitas & vtilitas, & perfectio Reipublicæ totius appareat. Quin imò cùm Principes ipſi, & bonum publicum comparantur, debent bono publico primas concedere.

Iure merito illus debitum.

Cedere autem debet Religioni.

Nec eo vtendum cum lege agere æquè prodeſt.

Semper verò publicum bonum attendendum.

Teſtimonia & Exempla.

Exempla. IVs dominandi ſeu rationem ſtatus hic definiuimus eſſe *iuris ordinary ad maius Reip. bonum derogationem.* Id exemplis
Tiberij. confirmandum. Tiberius Imp. Agrippinæ Nutui maritum, quem (vt Tacitus 4. Annal.) iuſtè petebat, negauit. Ratio ſtatus erat, quod animaduerteret ſuſcipiendos ex ea filios Auguſti futuros pronepotes, atque ita magnum eorum futurum numerum, qui ad Imperium adſpirarent, Rempublicamq́ue vexarent. Ita
Claudij. minor ratio maiori conceſſit. Claudius Cæſar Iuliam Agrippinam propter leges Ciuiles iungere ſibi matrimonio non poterat, iunxit tamen propter rationem ſtatus potentiorem. Nimirum *ne fæmina experta fæcunditatis integra iuuenta claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret*,
Romuli. vt ait Tacitus 12. Annal. Romulus initio Regni ſui, vt eſt apud Liuium lib. 1. aſylum inſtituit, & nequiſſimos quoſq́ue homines datâ libertate & omnium impunitate congregauit, & iuri ciuili, quod iniquos caſtigat, obuiam iuit. Videlicet id imperandi iure fecit, vt ciuitatem exſtrueret, quæ bonis poſtea legibus malos illos homines ſuſceptos erudiret. Idem Romulus Virgines Sabinas rapuit; non id quidem licebat; ratio tamen ſtatus fuit, quod per auctam generatione multitudinem vtilior paulo poſt futurus eſſet raptus ille, quam detrimentum antea exiſtimatum. Augu-
Auguſti. ſtus Cæſar, cum conſuetudo Romanorum eſſet propagare quantum fieri poſſet imperium, conſilium dedit *coërcendi intra terminos imperij*, vt habet Tacitus lib. 1. Ratio ſtatus fundabatur in proſpectis eminus periculis, quæ euenire ſucceſſoribus poterant. Et cum vetuit ne Senatori vel equiti proficiſci liceret in Ægyptum, contra legem & ius commune, quo Senatoribus Prouinciæ committebantur, motus hac ratione ſtatus fuit, vt illi iuri derogaret, quia ſi magnæ alicuius auctoritatis viri in Ægyptum

ablegati fuiſſent, Romanam Ciuitatem perturbare & Imperium confundere potuiſſent. Porrò cum ex his certum ſit dari aliquod ius imperandi ſeu rationem ſtatus, vt perfectum illud ius ſit, ijs terminis debet circumſcribi, quos ad finem huius capitis explicamus. Inprimis verò vt Religioni ſummum Imperium cedat. Sic apud Valerium Max. lib. 1. c. 1. Poſthumſum Flaminem & Conſulem, cum in Affricam ad bellum gerendum iturus eſſet, eum Metellus Pontifex vrbe egredi, quod flamen eſſet, non eſt paſſus; atque tum Religioni ſummum imperium ceſſit, inquit Valerius. Eodem modo cum Campani aduerſus Samnites bellum haberent, amicitiam cum Romanis inire, & auxilium petere ſtatuerunt, imò etiam ſeſe Romanis dedere. Conſultus igitur Senatus Romanus, quamuis vtilitatem maximam & acceſſionem ingentem futuram videret, *tamen*, vt ait Liuius lib. 7. *vtilitate fides antiquior fuit*, quod iam eſſent Samnitibus confœderati Romani. Proinde ita Conſul Campanis reſpondit. *Auxilio vos Campani dignos cenſet Senatus, ſed ita vobiſcum amicitiam inſtitui par eſt, ne qua vetuſtior amicitia ac ſocietas violetur. Samnites nobiſcum fœdere iuncti ſunt; itaque arma Deos priuſquam homines violatura, aduerſus Samnites vobis negamus.*

Ius ſtatus circumſcribendum.

Cedat Religioni Imperium.

Secundo quando manifeſta ſit æquitati aut honeſtati iniuria, imperandi iure vtendum non eſt, ac tum ratio ſtatus ceſſat. Sic cum Athenis, referente Plutarcho in Themiſtocle, Ariſtides diceret, *nihil eſſe Themiſtoclis conſilio Reip. vtilius, ſed parum illud cum honeſtate conuenire*. ex templo reſpondit populus, *non placere tale conſilium*. At quæres num ea legitima ſit ſtatus ratio, cum Turcarum Imperatores fratres ſuos occidunt, vt bella quibus innumeri homines perirent, inter Principes Otthomannos hac ratione impediant, imò tollant? Ea ſanè iuſta ratio eſſe non poteſt, quod naturæ diuinæque repugnet legi, quæ fratri fratrem occidere nullum ob commodum permittit. Tertio ſpectare bonum publicum oportet, & priuato illud anteponere. Apud Romanos cum Reges eiecti eſſent etiam opera Tarquinij Collatini, viderent tamen Romani nunquam Remp. tutam ſatis futuram, quamdiu aliquis ex Tarquiniorum ſtirpe in vrbe remaneret, Brutus Conſul Tarquinium Collatinum Collegam ſuum rogauit, vt ſponte abiret, & hoc metu patriam liberaret. Tandem neceſſe illi fuit ſponte abire, ne inuitus diſcedere cogeretur. Vide Liuium lib. 2. initio.

Non ſit contra honeſtatem.

Referatur ad bonum publicum.

TITVLVS XX.

De Exercitijs & Recreationibus Regijs.

CAPVT I.

An ſepoſitis Regni curis recreare ſe Reges aliquando debeant.

OMNIS hominum vita in ſtudium ac remiſſionem eſt diuiſa: ideóque intendere curis animum Reges nec ſemper debent, nec poſſunt. Reuocare aliquando animum ab occupationibus ad recreationes & exercitia honeſta oportet, vt maior poſt otium virtus ſit, & vires ipſâ quiete alantur. Ac deinde etiam vt nulla animi hebetatio vel languor ex iſta laborum aſſiduitate oboriatur. Cæterùm videndum eſt, vt, quæ recreationes aſſumuntur, Regiam Maieſtatem deceant; tum vt ex illis nullum rebus gerendis impedimentum adueniat: ac denique vt eiuſmodi ſint, quæ in turpem voluptatem non trahant;

Omninò recreare ſe Reges debent.

Sed cum modo.

trahant; vt remiſſi quidem ſint Principum animi, ſed non ſoluti. Proinde adſit hilaritas, ſed quæ ſeueritati nihil detrahat; appareat ſimplicitas, ſed quæ grauitatem non tollat; oſtendatur humanitas, ſed ſine Maieſtatis detrimento.

Teſtimonia & Authoritates.

AFFIRMAMVS hic, ſed cum modo. *Noſtra omnis vita*, vt inquit Plutarchus de liberis educ. *in remiſſionem ac ſtudium eſt diuiſa.* Idem Plutarchus, *relaxationibus vtendum ſeu medicamentis*, ait, *vt vegetiores reddantur animi ad ſolita negotia.* Quippè, vt Horatius Sat. 4.

——Vires inſtillat alitque

Tempeſtiua quies, maior poſt otia virtus.

Vel ideò verò recreare ſe Reges aliquando debent, quia, vt inquit Seneca de Tranq. animi. *Naſcitur ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quædam, & languor.* Deinde quia Princeps aliquis, vt ait Dio lib. 52. *multis curis quotidie ac timoribus conficitur, & moleſtiſſima quæque identidem videt & audit & ſentit.*

CAPVT II.

Quæ recreationes & exercitia Principes deceant.

VAriæ decere poſſunt, ſed vel inprimis Equeſtris exercitatio & Venandi ſtudium. Illa aptiores ad pugnam Principes reddit; hoc induſtriæ & cogitationis eſt excitamentum, ac deinde corpus laboribus & incommodis perferendis aſſuefacit, non ſine iucunda delectatione. De muſico Regum oblectamento alibi diximus; pellit animi curas & triſtitiam Muſica. Laudanda verò etiam ſedatior illa animorum relaxatio, quæ ex virorum eruditorum ſermonibus capi non rarò poteſt, dum illi honeſtos iocos & doctas facetias apportant.. Nam virtutis quædam exercitatio eſt cum bonis ac ſapientibus viris conuerſari, qui facetijs mentem demulceant, & ad præclara facinora acuant. Videndum verò diligenter, vt non promiſcuè omnes in hanc cum Principe familiaritatem admittantur, ſed ij tantùm, qui Principe ſunt digni, & quorum operâ vti in adminiſtratione Reipublicæ poteſt. Neque enim cum omnibus iocari decet. Aliæ eſſe honeſtæ animorum recreationes poſſunt, in quibus omnibus videndum, ne quid nimis, & quid maieſtatem deceat. Certè dedecent commeſſationes, & laruarum ineptiæ, quæ Principum auctoritatem eleuant, & in diſcrimen nonnunquam adducunt

Equeſtris Exercitatio. Venatio. Muſica. Sermones doctorum virorum. Videndum cum quibus. Vbique ne quid nimis.

Exempla & Teſtimonia.

Alexandri Magni. DIonyſius Tyrannus, item Alexander Mag. pila folliculoque ſummoperè delectabantur, vt teſtis eſt Alexander ab Alex. lib. 3. c. 20. Cytharam tamen etiam laxamenti cauſa nonnunquam Alexander ſumebat, ad exemplum Achillis, qui feruidam animi iracundiam, quâ ſæpè inflammabatur, harmonia ſolùm compeſcebat, & ab armis fatigatus ad cytharam frequenter recurrebat — Achillis.

dibat, vt videre eſt apud Homerum. Scæuola, teſte Cicerone, de Claris Orat. & Valerio Max. lib. 8. c. 8. cum à forenſi labore feſſus eſſet, pilæ ludo ſe aliquantulum inſtaurabat. Albertus Imp. dicere ſolebat. *ſe voluptate quauis aliâ carere poſſe, venatione non poſſe*; itaque illi operam aſſiduè dabat, vt refert Æneas Syluius lib. 4. de rebus Alphonſi. Tiberius Cæſar cum recreandi animi cauſa,

Scæuolæ. Alberti Imp. Tiberij Imp.

ſa, ſecederet, teſte Tacito 4. Annal. *ſocios ſecum aſſumebat Cocceium Neruiam Iuriſconſultum & alios liberalibus ſtudijs præditos, quorum ſermonibus leuaretur.* Quippè *quædam eſt virtutis exercitatio cum bonis viris conuerſari*, vt ait Theognis apud Ariſtotelem. Amaſis Rex Ægyptiorum vt curis ciuilibus animum leuaret, interdum potitabat; quo nomine cum reprehenderetur, reſpondebat, *Animum perinde atque arcum quandoque laxandum, ne ſi ſemper intendatur nulli negotio ſit aptus*, vt refert Diodorus Siculus. Carolus Magnus, teſte Acciolo Donato in eius vita, ita venationibus ſtudebat, vt non niues, non montes, ſyluæque eum etiam ſeneſcentem reuocarent. Venationem etiam amauerunt vel maximè Marcus Antoninus Imp. teſte Capitolonio in eius vita, Alexander Seuerus, teſte Lampridio, Alexander Mag. teſte Plutarcho, Adrianus Imp. teſte Dione, qui eum ait, venandi ſtudio vſque ad inſaniam & periculum detentum fuiſſe. Imò inter venandum diffracto humero & crus penè contriuit, inquit Cuſpinianus in eius vita. Penè nimium etiam venationibus indulſit Maximilianus I. Imp. ſæpè grauiſſimis obiectus periculis, dum in altiſſimis rupibus capreas ſectaretur. Certè digna Principibus venatio eſt, ſi cum modo inſtituatur. Illam Ariſtoteles in Politicis partem artis bellicæ, quà contra belluas vtendum eſt, facit. Et Machiauellus in Principe ſuo cap. 14. vt probe, inquit, Princeps ſit ordinatus & exercitatus venandi ſtudijs ipſe incumbat. Hic verò non omittenda Panormitani ſententia. *Abuſum venationis, non vſum in turpibus eſſe habendum.* Vſus eſt, quatenus ſeruit neceſſitati & valetudini, abuſus eſt, ſi quis propter eam neceſſaria omittat negotia.

Amaſis Regis.

Caroli Magni.

Alij amatores Venationis

CAPVT III.

An deceat vt aliquo opificio ſeſe Principes exerceant.

Non videtur decere.

DElectari præclarâ aliorum induſtriâ ſanè Principum eſt, non eorum verò vilibus quibuſdam opificijs, aut quæſtuoſis artibus otium conſumere. Vnde nec pingere Regum eſt, nec fabricare, nec ſtatuis fundendis operam dare, nec quiduis aliud eiuſmodi exercere. Natæ ad ſceptrum ſunt eorum manus, & Maieſtas eo deprimi non debet. Plerumque non ſatis ſapientum iſta ſunt Principum exercitia. Alchymia acre iudicium, & non mediocrem Philoſophiæ cognitionem requirit, tum etiam pietatem; vt nimirum, qui illam exercet fraudibus non pateat, & Deum hominesque nequaquam offendat. Hæc cùm in Principibus tanta eſſe non ſoleant, prudenter ab Alchymia abſtinebunt, nec opes perdendo opes quærent. Quicquid opificiorum eſt, plebeis eſt relinquendum, quorum induſtriam aliquando Principes præmijs quibuſdam excitabunt.

Exempla ad hanc rem.

ATtalus Rex Aſiæ fundendis ſtatuis ſeſe occupabat, aut hortum colebat, vt refert Alexander ab Alex. lib. 3. Et ibidem Eropus Rex Macedoniæ fabricandis lucernis & imaginibus cera aut gypſo fingendis otium conſumebat. Valentinianus Imp. puppas ſeu imagunculas cereas recreationis gratia faciebat. Demetrius arma in belli vſum fabricabat. Alphonſus I. Dux Ferrarienſis tormenta bellica fundebat, atque explorabat. Alphonſus X. Rex Caſtiliæ totum ſe Aſtrologicis exercitijs dabat. Cum Philippus I. Macedoniæ Rex diu cum peritiſſimo muſico diſputaſſet, & ſe victum fateretur, *Euertant Dij*, inquit ille, *O Rex, vt tam peritè atque ego de arte diſſeras.* Nimirum declarabat parum ſolertes & ingenioſos eſſe Principes illos, qui ſe artibus illis dedunt. Et omninò ita iudicamus parum iſta Reges decere.

Opificia, quibus dediti quidam Reges.

TITV-

TITVLVS XXI.

De Tyranno.

CAPVT I.

Quis Tyrannus, & quomodo à Rege dignoſcendus.

REGES omnes priſcis temporibus Tyranni appellabantur; poſteà qui piè iuſtéque adminiſtrabant, ij tantùm Reges ſunt dicti; qui impiè iniuſtéque, Tyranni. Itaque Tyrannus eſt, qui, ſpretis Gentium & naturæ legibus, impiè iniuſtéque Rempublicam adminiſtrat. Signa, quibus à Rege Tyrannus dignoſcitur, hæc ſunt præcipua. Tyrannus ſuam, non ſubditorum; Rex ſubditorum, non ſuam ſpectat vtilitatem. Deinde vi apertâ Tyrannus tam ſacra quàm profana, tam publica quàm priuata abripit, & libidinem quærit nullis iudicijs ſubiectam; Rex verò omnia omnibus conceruando iudiciorum auctoritatem agnoſcit, & dum Tyrannus leges conculcat, ipſe tuetur ac defendit.

Definitio Tyranni.

Diſcrimen inter Regem & Tyrannum.

Exempla Tyrannorum.

Tyranni varij.

TYRANNVM hic definimus, & eius Regiſque diſcrimen ponimus. Tales fuerunt Buſyris in Ægypto, Phalaris apud Agrigentinos, Dionyſius apud Syracuſanos, Tarquinius Superbus Romæ, item Caligula, Nero, Domitianus, Caracalla, & alij apud Hiſtoricos non ignoti. Referri huc ea poſſunt, quæ ad caput quartum Tituli ſecundi diximus de diſcrimine inter bonas & corruptas Reip. formas.

CAPVT II.

Quænam ſint Imperij Tyrannorum arcana.

HOc ſanè primum eſt, viros probos ac ſapientes, quorum aliqua eſt in Rep. auctoritas, è medio tollere. Vt nimirum ijs ſublatis, cæteros vel vi, vel ſolo nutu ad ſeruiendum compellant. *Bonos ſapientes interficere.*

II. Plebem bonis & facultatibus ſuis ſpoliare. Vt ſcilicet promtiùs obediat. *Plebem ſpoliare bonis.*

III. Ciuium inter ſe ſocietates, congreſſus, colloquia, conuiuia prohibere. Vt inire conſilia aduerſus Principem & conſpirare non poſſint. *Prohibere ſocietates.*

IV. Odia inter ſubditos ſeminare. Vt priuatis intenti ſimultatibus paulatim ſeſe inuicem conficiant. *Odia ſeminare.*

V. Legum obſeruationem ſimulare, & eaſdem tranſgredi ſceleſtè. Vt ipſâ æquitatis & iuſtitiæ ſpecie faciliùs decipiant, & interim cautè ſint praui. *Simulare legum obſeruationem.*

Scholas euertere. VI. Academias & ſcholas euertere, quaſi exploſis artium omnium rudimentis legere ſcribereque ſit ſatis. Vt nimirum nemo plus quàm Tyrannus ſapere audeat.

Alia plura. Denique mandare facinus, & mandatum non agnoſcere, ſed punire. Otium negotio inani à plebe, ne nouis conatibus ſtudeat, arcere. Prætorianos milites, ſeu corporis ſui cuſtodes & Aulæ miniſtros potiſſimùm exteros habere. Peregrinis potiùs, quàm Ciuibus aditum ad ſe præbere. Delatores habere, & exploratores vbique conſtituere. Amicis non fidere. Hominibus improbis ac ſceleratis familiariter vti. Plura alia ſunt, quæ perſequi non lubet, & Tyrannos ſatis deſignant.

Exempla & Authoritates.

I. *Viros probos & ſapientes tollere.* Sic Nero, teſte Dione, optimum quemque exitio deſtinauit. Sic triginta illi Athenis Tyranni in Ciues optimos graſſari primum cœperunt.

II. *Plebem ſpoliare.* Sic Tarquinius ſuperbus Romæ, teſte Liuio, qui paſſim quos volebat ſuis opibus per ſubornatos accuſatores priuabat, & ad cloacas expurgandas miſeris ciuibus abutebatur.

III. *Prohibere Societates.* Polícrates Samuls omnes paleſtras ſuſtulit, ne quam amicitiæ occaſionem ciues haberent. Ita hodie in Turcia nulla eſſe conuenticula poſſunt, imò ne dari ſignum poſſet, ſublatæ ſunt omnes æreæ campanæ, vt refert Kirchnerus.

IV. *Nobiles è medio tollere.* Sic Periander Corinthius, Traſibulus Mileſius, alijque olim Tyranni, vt ſubtractis generoſis ac Nobilibus tanquam Reip. columnis, illuſtres familias delerent, & Reip. pro libidine ſua dominarentur, Nobiles omnes occiderunt. Imitatus illos fuit Romæ Tarquinius, vt videre eſt apud Liuium lib. 1.

V. *Scholas euertere.* Sic Iulianus Apoſtata claudi Chriſtianorum ſcholas iuſſit, vt eos facilius deleret. Mytilenæi hoſtes à ſe deuictos non aliâ pœnâ affecerunt, quàm vt eorum ſcholas claudi curarent, & priuatam inſtitutionem prohiberent. Eodem modo Turca literas publicè docere vetat, ne quid detrimenti tyrannis ſua patiatur. *Nota.*

VI. *Delatores fouere.* Ita Tiberius, qui eos ad Reip. gubernacula euehebat, & ampliſſimis prœmijs decorabat; qui etiam ebriorum ſermones, & iocos ſimplicium excepiſſent, ad ſeque detuliſſent.

VII. *Odia inter ſubditos ſeminare.* Sic nimirum ſtatuunt Tyranni ſemper aliquos eſſe debere, cum quibus ſubditi bella gerant, ne arma in ſe vertant. Nec aliam ob cauſam Scipio Naſica exſcindendam eſſe Carthaginem nolebat, quam ne eâ ſublatâ arma in ſeipſos Romani verterent.

De alijs Tyrannorum notis & arcanis per occaſionem in alijs poſtea libris.

CAPVT III.

An verè Rex eſſe poßit, qui improbus eſt.

Poteſt eſſe verè Rex qui improbus eſt. NVllâ improbitate legitima Regum poteſtas aboletur, adeóque etiam, qui improbus eſt, Rex eſſe verè poteſt. Nam cùm Naturæ Gentiumque iuris ſit Regia poteſtas, non à virtutibus aut probitate vitæ dependet. Et verò, quæ non in Remp. pernicies inueheretur, ſi propter improbitatem aliquam Regiâ poteſtate Principes ſpoliarentur? Cùm delinquere aliquando ſit facile, etiam in illo rerum humanarum faſtigio, quotidie noui expectandi Reges forent, & latiſſima ſubditis ad ſeceſſionem via aperiretur. Neque delictum quemquam regendi poteſtatis reddit incapacem. Latent in hominis animo virtutes, & vitia, de qui-

de quibus cùm certum ferre iudicium nemo poſſit, ſequitur, quis verè Rex ſit, aut non ſit, incertum eſſe. Quod ſi ita eſt, quanta rerum omnium confuſio? quàm certa Reipublicæ pernicies? At verò cur Regum ille Rex maximus homines improbiſſimos regnare quandoque permittit? Nimirum, vt hominum delicta per eos puniat, & puniendo erudiat: flagella enim ſunt Dei, quicunque Reges ſunt mali. Imò diuinæ Iuſtitiæ non rarò ſunt miniſtri, per quos pœnas Deus de impijs exigit. Vnde Regum improbitas populorum eſt pœna: & ſicut bonorum virtutibus ſeruamur, ita malorum erroribus periclitamur.

Cur Deus Regum malos regnare patiatur.

Teſtimonia & Authoritates.

ID omninò affirmamus, & ratione hic confirmamus. Addendæ igitur auctoritates. Nabuchodonoſor impius Rex fuit, & tamen diuina Maieſtas Hieremiæ 27. cap. *Ego*, inquit, *dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſerui mei. Seruient ei omnes gentes & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus.* Iſaiæ cap. 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius Gentes, & dorſa Regum vertam.* Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 21. *Non tribuamus dandi Regni atque Imperij poteſtatem, niſi Deo verò, qui dat felicitatem in Regno cælorum ſolis pijs; Regnum verò terrenum & pijs & impijs ſicut ei placet, cui nihil iniuſtè placet.* Nicetas, *Diuinæ*, inquit, *eſt prouidentiæ eum, qui aſpectu atque ſpecie ementitur virtutem, permittere, vt Rex declaretur, idque propter populi, cui animaduerſione & diſciplinâ opus eſt, improbitatem.* Si quis ergo quærat quænam Omnipotenti Numini ſit cauſa, vt regnare hominem improbum faciat, reſpondet Iob, *propter peccata populi, vt qui peiora commeriti, ſic puniantur, caſtigentur, erudiantur.* Neque hoc ipſum Ethnicos & à fide noſtra alienos latere potuit. Vnde Plutarchus lib. de ſera Numinis vindicta cap. 4. *Deus*, inquit, *quibuſdam malis tanquam carnificibus vſus eſt, ad ſumendas de alijs malis pœnas, quod verum eſſe de plerisque Tyrannis arbitror. Quemadmodum enim fel hyenæ & Phocæ aliorumq́; fœdorum animalium coagula aliquid habent ad ſanandos morbos vtile, ſic nonnullis morſu & pœna indigentibus Deus inijciens Tyranni alicuius ſæuitiam implacabilem, aut Magiſtratus moleſtam aſperitatem, non ante id, quod excruciabat, aut turbabat ſuſtulit, quam vitioſos morbo liberaſſet ac purgaſſet. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis, Orthogoras Myro, Cliſthenes Sycionijs.* Feſtiuè autem Theognis Megarenſis, qui cum videret ciuitatem vitijs corruptam, ſuperbiâ luxuq́ue grauidam. *Hæc Ciuitas*, inquit, *vterum fert, timeo autem ne pariat virum correctorem malæ inſolentiæ veſtræ.*

Authoritates diuinæ.

Item humanæ.

CAPVT IV.

An liceat Tyrannum, in quo legitima ſit regnandi poteſtas, interficere?

REipublicæ ſalus ſuprema lex omnibus eſſe debet. Quare quis neget tollendum è Republica malum, ne in Reipublicæ perniciem ſerpat? Quod ſi hoſtem patriæ inſidiantem quouis modo mactare fas eſt, ſanè etiam Tyrannum, qui in Reipublicæ viſceribus Rempublicam ipſam perdit, & honeſtatis repagula nefariè perfringens, nullam pietatem, nullum ius agnoſcit, leges omnes conculcat. Vim vi repellere Natura ipſa permittit. Apud priſcas olim Gentes ad hoc inuitant eorum exempla, qui, quia Reges iniuſtos & flagitioſos interemerunt, coronis & ſtatuis donati ſunt, & apud Poſteritatem ſui nominis laudem inuenerunt. Nec rarò occulto quodam Dei

Rationes pro affirmante parte.

ipſius

ipſius inſtinctu nonnulli in Tyrannos ferro graſſati ſunt, vt Religionem aſſererent. Etiam fœminarum manibus nonnunquam impij Reges ceciderunt. Et verò cur non auctoritate publicâ fas ſit in eum inſurgere, qui Regnum ſuum latrocinium effecit, & crudelitatem ſuam tot bonorum cædibus obfirmauit? vbi alia deſunt remedia, ferrum concedere ius omne videtur, vt vnius capite Reipublicæ totius ſalus ſanciatur.

Rationes pro parte negante. Ita quidem nonnulli ſentiunt, at profectò violentas in Regem manus intendere, etſi ſit Tyrannus, planè eſt nefas. Nulla diuina aut humana lex Regis Imperium iubet excutere; imò conuitijs eum proſcindere non licet, quanquam improbus ſit, ſummâque ſæuitiâ Rempublicam concutiat vniuerſam, non minus tamen ſacrum eſt in eo Regis nomen, quàm in optimo; quod cùm hominis vitio labefactari non poſſit, multitudinis arbitrio tolli non poteſt. Sit iſta vis aduerſus Reges permiſſa, lata audaciæ porta improbitatique aperietur; & cùm legibus ac pœnis maleuolorum audaciam Reges coërcere volent, non deerunt, qui fictæ Tyrannidis prætextu Reges confodient. Quod ſi pernicioſus aliquando Rex eſt, ita diuinæ prouidentiæ placuit, vt per eum populum caſtigaret, & quis ei reſiſtat? Fidem Principi ſuo iurauerunt, cuius inter mortales nulla maior eſt neceſſitas, adeò vt perfidiæ ſit in Regem ſuum inſurgere. Et cùm in natura nihil ſit, quod maiorem auctoritatem non reuereatur, indignum eſt ſolos homines in ſupremam poteſtatem ferro graſſari. Nihil Regiæ Maieſtatis honore ſanctius, nihil dignius apud homines eſſe debet, atque ideò in ſacroſanctum Regis caput ferro aliquid moliri pluſquam eſt nefas. Iam verò quis tandem Regem legitimum, etſi Tyrannum, inuadendi modus? non per iudicium; neque enim vel priuati vel Magiſtratus vllam in ſummum Principem habent poteſtatem, cùm ab eius Imperio omnium imperia dependeant, & eo præſente omnium Magiſtratuum poteſtas quieſcat. Non per vim etiam, cùm in eum vi agere ſit nefas, quem in ius vocare non licet. Nec obſtant ſacrarum litterarum quædam exempla, cùm quæ occulto Dei iudicio inſtinctuque fiunt, vim accipere legis non poſſint. Obediendum eſt etiam improbo Principi, quantum licet; & cùm vindicta diuina ceſſat, ceſſare vis omnis humana debet. Nec verendum ne Religionem crudelitas euertat, defenditur illa non occidendo, ſed moriendo, non ſæuitiâ, ſed patientiâ, non ſcelere, ſed fide. Vetus illud ſolemne verbum eſt, Leonis catulum aut non educandum in vrbe, aut educati mores ferendos eſſe. Sanè in Monarchia difficilia ſunt & periculoſa remedia, quod fortiùs fere ſemper boni pro libertate loquantur, quàm pugnent. Carere periculo motus non poteſt, & boni ipſi hâc in re non niſi improbis vti cogerentur. Nec rarò qui libertatis tutelam præ ſe ferunt, Imperium euertunt, & libertatem aggrediuntur. Verendum quoque ne Anarchia oriatur, & pro vno decem exiſtant Tyranni. Excedit plerumque medicina modum, quanquam hîc nulla iuſta eſt, & tolerandi ſunt, qui legitimi ſunt Reges, qui cùm in adminiſtratione ciuili nullum, præter Deum, agnoſcant ſuperiorem, ad Deum recurrendum eſt, & Reipublicæ ſalus illi committenda.

Teſti-

Teſtimonia & Authoritates in vtramq; partem.

Pro parte affirmante.

RAtiones hic vtrimque ſunt. Vt affirmantem partem confirmemus, inprimis Pittacus *eam Remp. benè conſtitutam eſſe dicebat à cuius gubernaculis Tyranni remouerentur*. Plato *tyrannidem quaſi viperam in vtero Ciuitatis conceptam*, ait, *quæ niſi tollatur, ruinam atque interitum adfert*. Cic. Philip. 2. laudat eos qui aliquando Tyrannos occiderunt. Septem Perſarum Proceres Smerdem Magum cum fratre Paticete, vt Perſas fœdo dominatu liberarent, interfecerunt, vt Herodotus in Thalia. Iulius vindex Galliæ Præſes, vir iuſtus & fortis, vniuerſæ Galliæ, vt à Nerone deficeret, perſuaſit. Traſibuli ope triginta Tyranni Athenienſibus impoſiti è medio ſunt ſublati. Tucydides lib. 8. Pelopidas Tyrannidis odio, Alexander Phæreus domi à coniugis fratribus faces tenente coniuge trucidatus eſt. Plutarchus in vita Pelopidæ. Macedones à Demetrio tyranno ad Pyrrhum defecerunt. Lex apud Græcos fuit, vt tyrannicidæ prœmijs ampliſſimis afficerentur, & eorum in Gymnaſijs imagines ponerentur. Primæ in foro poſitæ fuerunt Harmodio & Ariſtogeni, quod hi primi tyrannidem ſuſtuliſſent, teſte Ariſtotele. Imò diuinos honores tributos ijs apud Græcos, qui Tyrannos necauiſſent Cicero affirmat. Accedat his Diuina Auctoritas lib. 2. Regum cap. 9. & 10. Deus inſtruit Iehu armis contra Achab Dominum, vt de Ieſabelæ manu Prophetarum ſanguinem repoſceret. Eliud Eglon Regem Moabitarum occidit, Iaël Siſeram, Iudith Holofernem.

Pro parte negante.

Partem negantem, quam potiorem hic ſequimur, adiuuant. Inprimis Dauid Saulem Regem, & hoſtem, cum è medio tollere potuiſſet, nunquam voluit; eumque qui Saülem occidit, cum id nuntiaret; interfici curauit, quod inijcere manus violentas in Regem vnctum auſus fuiſſet. Moyſes & Aaron Pharaonis crudelitatem tantùm fugerunt. Sub Nerone & alijs Tyrannis Catholici primi viri ſanctiſſimi vixerunt, atque nemo eorum in illos vnquam conſpirauit. Luculentum eſt de Nabuchodonoſore exemplum, qui cum euertiſſet Hieroſolymam, Regeque occiſo omnia profanauiſſet, ſummiſque ſceleribus contaminauiſſet, & ſuam ſtatuam adorari ab omnibus voluiſſet, Sanctiſſimi tamen Prophetæ ad captiuos ſcripſerunt, vt pro Rege Deum deprecarentur, vt diutiſſimè cum filijs ſuis regnaret. Illum etiam Deus ſeruum ſuum appellauit, & vt omnes illi obedirent, imperauit, effecturumque ſe dixit, vt potentiſſimus eſſet terræ totius Monarcha. Quod ſi olim grauiſſimum crimen fuit eâ manu matulam effundere, cuius in digito annulus Cæſaris effigie inſignitus fuiſſet, multo maius eſt crimen in Sacroſanctam Regis perſonam ferro aſſurgere. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, inquit D. Paulus ad Rom. cap. 13. *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* D. Petrus Epiſtola 1. cap. 2. *ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè.* Et ibidem. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſiue Regi tanquam præcellenti; ſiue Ducibus ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei.* Concilium Conſtantienſe doctrinam hanc tanquam erroneam in fide & moribus damnat, nimirum, *quemlibet Tyrannum poſſe, & debitè licere ac meritoriè occidi per quemcumque vaſallum & ſubditum ſuum, etiam per clancularias inſidias & ſubtiles blanditias & adulationes.* Ioannes Mariana lib. 1. de Iuſtit. Reg. cap. 6. affirmantem partem parum firmis rationibus adſtruere conatur, propter quam doctrinam librum eius Pariſienſis Curia flammis adiudicauit.

CA-

NICOLAI VERNVLÆI

INSTITVTIONVM POLITICARVM SEV ELEMENTORVM CIVILIS DOCTRINÆ

LIBER SECVNDVS.

De Conſiliarijs, Legatis & alijs Magiſtratibus.

TITVLVS I.

De Dotibus Conſiliariorum.

CAPVT I.

Quid Conſilium, Qui Conſiliarij, & quæ eorum neceſſitas.

CONSILIVM eſt virorum ſelectorum ad Principi belli paciſque tempore conſulendum congregatio. Conſiliarij verò ſunt viri periti fidique, qui ſalutaria Principi conſilia bello paceque ſuggerunt. Hi Principibus omninò ſunt neceſſarij. Quippè tantæ molis, quanta in Reipublicæ adminiſtratione eſt, Principis vnius mens nequaquaquam eſt capax. Ius omnibus ex æquo dicendum, & tot difficultatibus ac negotijs eſt reſpondendum; multa deinde cura ſummo Imperio ineſt, multi ingenteſque labores, vt planè neceſſarium ſit, viros alios peritos ac fidos in curarum laborumque partem vocare, quo feliciùs regni negotia ad optatum exitum perducantur. Quod ſi nihil difficilius eſt, quàm bene imperare, non vnius certè hominis eſt opus. Et quanquam prudens aliquando, ſagax, & perſpicax

Definitio. Conſilij & Conſiliariorum. *Eorum neceſſitas*

ſit Princeps, adhuc tamen aliorum ei opus eſt conſilio, quod ferè ſinguli homines ſuis in negotijs hebetiores ſint, & turbida agitent plerumque conſilia, qui ſibi ipſis ſuadent. Nonnunquam etiam euenire ſolet, vt ea hebetior proſpiciat, quæ videre maximè ſapiens non poteſt. Nec dubium, qnin plures rem vnam examinent & expendant melius, cùm ad conſilium adhibentur, quàm vnus; quod, vt dici ſolet, plus oculi videant quàm oculus. Accedit quod per Conſiliarios maiorem ſibi Princeps apud ſubditos conciliet auctoritatem, & quod ea iuſta eſſe credant, quæ ex prudentum conſilio virorum ille facit, aut decernit.

Explicatio & teſtimonia.

CONCILIVM & Conſilium ita nonnulli diſtingunt, vt Concilium ſit legitima congregatio hominum ſelectorum, qui Principi ſuo, belli paciſque tempore conſulunt, vt ſalus Reipublicæ conſeruetur. Conſilium verò, ſit aliquid faciendi aut non faciendi ratio prudenter excogitata. Conſiliarij ſunt perſonæ idoneæ ad Concilium electæ, fidæ, rerumque peritæ. De neceſſitate Concilij Conſiliariorumque in Rebſup. dubium eſſe vix poteſt. Diuus Paulus ad Romanos XI. cap. *Quis Conſiliarius eius fuit?* ex quibus verbis colligit diuus Chriſoſtomus ſolius Dei proprium eſſe, nullius egere conſilio, omnes verò homines aliorum vti conſilijs debere. Ideo Prouerb. cap. 3. *ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Et cap. 12. *Qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* Eccleſiaſtici cap. 32. *Fili ſine conſilio nihil facias.* Hinc D. Bernardus lib. 2. de conſideratione. *Omnia illi deſunt, qui nihil ſibi deeſſe putat,* D. Auguſtinus lib. 14. de Ciuitate Dei, *Homo ſuum ſibi ſufficere delegit, ab illo qui verè ei ſufficit, defecit.* Theopompus Lacedæmoniorum Rex, vt habet Plutarchus in Apophtegmatibus Lacedæmoniorum quærenti cuidam quâ ratione quis fidele & perpetuum ſeruaret Regnum, *Si amicis,* inquit, *iuſtam admonendi libertatem concedat, ac ſubditos, quatenus efficere poſſit, non negligat lædi.* Imp. Alexander Seuerus, teſte Lampridio, nullam grauiorem ſanctionem ſine multis Iuriſperitis ac ſapientiſſimis viris ſanciebat. Theodoſius autem & Valentinianus Imperatores, ita ad Senatum Romanum reſcripſerunt L. Human. C. de leg. *Benè cognoſcimus quod veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri Imperij, & ad noſtram gloriam redundare.* Ariſtoteles epiſtola ad Alexandrum, quæ Rhetoricæ ad Alexandrum præficitur. *Rerum,* inquit, *humanarum auguſtiſſimum eſt, conſultatione vti; nam eius ope, quod melius ac vtilius eſt, inuenitur.* Vnde Plato Conſilium *rem ſacram* appellat. Saluſtius de Rep. ordinandâ. *Omnia regna, ciuitates, nationes vſque eo proſperum imperium habuerunt, dum apud eos vera conſilia valuere. Vbicumque autem gratia, timor, voluptas ea corrupere, poſt paulò imminuta opes, deinde ademptum imperium, poſtremo ſeruitus impoſita eſt.*

Definitiones, Concilij Conſilij, Conſiliariorum.

Neceſſitas.

Teſtimonia.

Quam ob cauſam quando Reges inaugurantur, iurant ſeruaturos ſe leges, ius, & ſacroſanctæ Eccleſiæ pacem, adduntque hæc verba. *Sicut in Conſilio fidelium meorum melius potero inuenire.* Ita etiam Pontifex Maximus iurat. Prouerb. XI. cap. *Diſſipantur cogitationes vbi non eſt conſilium; vbi verò ſunt plures Conſiliarij confirmantur.* Et alibi. *Salus autem vbi multa ſunt conſilia.* Quod profectò ita verum eſt, vt ſi quis per ſcientiam à conſilio capiendo auocaretur, expediret minus eum ſcientem eſſe ac debilioris iudicij, quàm conſilium non audire. Quam ob cauſam nonnulli aliquando Reges, vt Hiſtoriæ referunt, noluerunt ſucceſſores ſuos ſcientijs operam dare, ne rerum cognitione cum ſummâ poteſtate coniuncta multum ſibi fidentes aliorum cōſilium aſpernarentur. Hanc cauſam Ludouicus XI. Galliæ Rex adferrebat, cum Carolum VIII. filium ſuum litteras ſcire nollet, quod ipſe ductum ſuum ſecutus in multas ærumnas incidiſſet. Rogatus aliquando Bias, *quid eſſet de quo boni & mali ſolliciti eſſe deberent? de quærendis,* inquit, *conſilijs & Conſiliarijs, quod conſilijs res ſecunda conſeruentur, aduerſa repellantur.* Vnde verè Tacitus lib. 13. Annal. Plura in ſumma fortuna auſpicijs & conſilijs, quam telis & manibus geruntur. Ideo Cato lib. 1. de re ruſtica, dicit. *Romanus ſedendo vincit,* id eſt, conſilio & prudentia Sena-

Regum iuramentum.

Præſtat Regem meritum eſſe, quam non audire Conſilia

Senatorum in vrbe ſedentium. Hoc Imp. Otto teſtatur. *Quid*, inquit, *vos ne pulcherrimam hanc vrbem domibus ac tectu & congeſtu lapidum ſtare creditis? muta iſthæc & manca intercidere ac reparari continuò poſſunt. Æternitas rerum & mea cum veſtra ſalus incolumitate Senatus firmatur.* Fruſtra ergo Machiauellus & qui eius familiæ ſunt, Principem vti conſilio non debere contendunt, quod nihil optabilius ſit Reip. quàm habere Principem, qui ſuoptè ingenio ſapiat, Principi autem qui per ſe non ſapit, non rectè dari conſilia poſſe. At verò vbi ille, qui tantùm ſapiat Rex? *Fieri non poteſt*, inquit Oſorius lib. 6. de Regis inſtitutione, *vt vno tantùm ingenio cuncta, quæ Regibus ſunt excogitanda, prouideantur; aut vnius oculis omnia, quæ ſunt in Rep. ſpeculanda, cernantur, aut vnius auribus omnia poſtulata, & querelæ audiantur.*

CAPVT II.

An vnus, an verò plures Principis vnius Conſiliarij eſſe debeant.

PLurimum conſilia, qui prudens eſt Princeps, libenter audit, ac plures proinde Conſiliarios admittit. Neque enim tot Regni vnius, ac plurium aliquando prouinciarum negotia vnius tantùm conſilio regi poſſunt & adminiſtrari. Et obſecro, vbi ille terrarum reperietur, cuius mens omnia præuideat, & labor omnia conficiat? Equidem plerumque principes vnum aliquem ſibi Conſiliarium habere ſolent, ſed fauor ille ſummus Aulæ, ſi non Principes, certè Conſiliarium tandem perdit. Nec Principum idcircò auctoritas, quod plures ſint Conſiliarij, imminuitur: nam hi eorum nomine agunt omnia, & quæ egerunt, Principum auctoritate decernuntur, & auſpicijs publicantur. Rex eſt enim ſeu Princeps, qui iubet, qui ſtatuit. Et nota illa formula eſt, *Per Regem aut Principem in ſuo Conſilio.* Expedit tamen, vt pauci aliqui ſint ſpectatæ fidei, prudentiæ, induſtriæ, qui à ſecretis ſint conſilijs, & quorum ſententijs, quæ maiora ſunt regni negotia, conſtituantur. Hi prope Principes eſſe debent, vt quæ occurrunt, faciliùs ad eos negotia deferantur. Sanè Reip. ſalus fidorum Conſiliariorum incolumitate firmatur.

Plures eſſe expedit.

Nec minuor eſt Principum proinde poteſtas.

Teſtimonia & Exempla.

Teſtimonia.

PLures vt ſint expedire iudicamus. Teſte Poëta:

Non vni dat cuncta Deus, quid proferat alter
Diſce, ferent aliquod mutua ſenſa bonum.

Plautus in milite *Nemo ſolus ſapit.* Creon apud Euripidem in Phœniſſis, *vnus vir non videt omnia; plus enim vident oculi quàm oculus.* Agamemnon decem Neſtores optabat. Darius Hydaſpes Perſarum Rex, cùm in manu haberet pomum vnum punicum, nihil magis optare ſe faſſus eſt, quàm vt tot Zopyros haberet, quot grana pomum illud punicum haberet. Quare non audiendi illi, qui Principibus ſuggerunt, nequaquam ex vſu eorum eſſe, multos eſſe Conſiliarios, quod multi & magni Conſiliarij non ſint ſignum prudentis Principis, vt communiter dicitur. Marcus Aurelius Antonius tantus ac tam prudens Imperator, nihil vnquam agere ſolitus fuit, ſine conſilio totius Senatus, & quam plurimorum Iuriſperitorum. Vnde cùm reprehenſus eſſet quod nimio plus amicorum conſilijs tribueret, *quanto*, inquit, *æquius eſt me tot taliumq́; amicorum ſequi conſilia, quàm tot & tales amicos omnes meam vnius ſequi voluntatem.*

Exempla.

CAPVT III.

Quibus Scientiis præditi eſſe debeant Conſiliarij.

Philoſophiâ morali. *Phyſicâ.* *Dialecticâ.* MOrum inprimis Doctrinâ, vt per eam virtutum omnium ac vitiorum morumque teneant rationem. Deinde Philoſophiâ naturali & Arte diſſerendi, vt rerum naturalium cauſas non ignorent, & diſſerere verúmque à falſo diſtinguere ſciant. Non opus eſt tamen, vt duabus hiſce Scientijs tam operosè inſudent, cùm illæ multa contineant, quæ in contemplatione tantùm poſita paruam in Reipublicæ adminiſtratione vtilitatem habent. Subtiles enim plerumque ſunt argutiæ, quæ, dum delectant, ingenium ab operibus maioris momenti & vtilioribus abſtrahunt. *Iuriſprudentiâ.* Poſt Philoſophiam Iuriſprudentia ſeu Legum ſcientia in Conſiliarijs neceſſaria eſt, ſed quæ cum morum ac conſuetudinum Patriæ cognitione ſit coniuncta. Per eam fit, vt in conſilio dando non affectum, ſed legem ac Religionem ſequantur; & cùm multa in Conſultationibus quandoque difficillima occurrant, per hanc Iuris doctrinam expediuntur. Quam ob cauſam digniſſimum eſt, vt Senatorio veſtiatur honore togata Profeſſio. *Eloquentiâ.* Eloquentia vel maximè in Conſiliarijs requiritur, vt eius beneficio, quæ prudenter conceperunt, diſertè exponant. Parum eſt enim ſentire præclarè, niſi ad perſuadendum aptè pronunties. Et numquid aliquando etiam flectendus eſt populus, mulcendus, *Hiſtoriâ.* in ſententiam trahendus? Sine facundia nemo id fecerit. Ad Eloquentiam iungenda eſt Hiſtoriarum cognitio, ſiquidem qui præteritorum meminerit, rectiùs de futuris deliberabit; & eſt ipſa Hiſtoria veriſſima quædam diſciplina, & ad res ciuiles exercitatio, quæ experientiam vſumque rerum gignit, ſine quo tractari Reip. negotia vix poſſunt. Debent verò Conſiliarij in ijs potiſſimùm exercitati eſſe Hiſtorijs, quæ de Principis ſui Maioribus, de Patria, de vicinis, de hoſtibus, de amicis, ſunt *Linguarum Peritiâ.* conſcriptæ. Accedat Linguarum peritia; nam Conſiliarios vel loqui vel audire per Interpretem non ſatis certè decet. Eorum verò Populorum diſcendæ ſunt vel inprimis linguæ, quibus Rex aut Princeps imperat. *Politicâ.* Denique Politica ſeu Ciuilis Doctrina, vt rei gerendæ rationem tam belli, quàm pacis tempore teneant, atque ita Principis ſui officium, quod in gubernatione conſiſtit, gubernationis ipſi periti, tueantnr. Ad has artes & ſcientias ſi alacre & expeditum ingenium acceſſerit, tum perfecti erunt Senatores. Quippè actionum omnium præclararum principium eſt ingenium alacre, è cuius vigore virtutis eximiæ ſperandus eſt fructus.

Authoritates, & Explicatio.

Scientiæ requiſitæ. IN Conſiliarijs requirimus *Philoſophiam moralem, Phyſicam, Dialecticam, Iuriſprudentiam, Eloquentiam, Hiſtoriam, linguarum peritiam & Politicam.* Quod attinet ad Philoſophiam, quamuis Plato felicem eam iudicauerit Remp. quam Philoſophi adminiſtrarent, idem tamen Philoſophos in adminiſtranda Rep. ſimiles eſſe dixit, Taleti, qui cœlum ſuſpiciens in foueam incidit, & Thracenſibus riſum mouit. Ariſtoteles in Politicis Philoſophos ſapientes, ſed non prudentes appellat, proindeque ad Rempub. gubernandam minimè idoneos. Ariſtoteli aſſentitur Socrates apud Platonem in Theæteto, vbi eos, qui in Philo-

De Philoſophia.

Philoſophiæ ſtudio longo tempore vel per omnem ætatem verſati ſunt affirmat ridiculos eſſe, vbi ad forum venerint. Quo ſpectat illud dictum Athenæi lib. 5. *Citius ex Satureis lancem conficeres, quam ex his in vmbra & ſpeculationibus educatis probos Conſiliarios.* Idem Athenæus lib. 13. c. 33.

Heu mihi Philoſophasru? atqui Philoſophi
Sermone ſolo ſunt ſapientes; cæteru
In rebus eſſe noui ego ſtultiſſimos.

Ideo Romæ à tutelæ munere excuſabantur, quod ignorent ea, quæ in quotidiano ſunt vſu; & alia ratio ſit altercationum in ſcholis, alia rerum gerendarum, vt ait Plutarchus in Pericle. Quam agitur Philoſophiam hic requirimus? dicam cum Hyppolito à Collibus, *Non loquimur de Philoſophia, quæ in meris ideis animi vacui ab omni gubernatione fingitur, nec de Philoſophaſtris, qui vel ſine iudicio Philoſophiæ operam dant, vel nimio eius ſtudio ducti Philoſophia vti neſciunt, & ſapientes ſunt, præterquam in ijs, in quibus ſapientes eſſe debent; ſed de ijs, qui vſum & exercitationem coniungunt.* Hinc Plinius, *Nulla*, inquit, *laudabillior Philoſophiæ pars eſt, quam agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere & exercere iuſtitiam*, quæque Philoſophi docent, in vſu habere. Requirimus ergò eam Philoſophiam, quæ in actione conſiſtit, hoc eſt *moralem, Oeconomicam, Ciuilem ſeu Politicam.* Hæc enim eſt illa, quam Cicero *vitæ ducem, virtutis indagatricem, & vitiorum expultricem appellat.* Cæterarum autem partium ne ſit ignarus Conſiliarius. Ego, inquit Lipſius *doctos libenter in Conſilium admitto, ſed qui non ſint hoc tantùm. Nam qui ſolâ & nudâ iſta cognitione litterarum ſe iactant, valdè repello.* Iuriſprudentia ſemper quidem, ſed tum potiſſimùm in Conſiliarijs requiritur, cum ijdem Iudices ſunt futuri. Benè Plautus in Epicid.

Quæ Philoſophia requiritur.

Nota.

De Iuriſprudentia.

——Hic erit optimus
Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges tenet.

Romani Imperatores Iuriſperitos Conſiliarios eligebant. Ita Auguſtus, teſte Suetonio Iuriſconſultos viginti à Senatu petijt, inter quos Trebatius, quorum Conſilio vteretur. Huius exemplum ſecuti ſunt Galba, Traianus, Adrianus, Aurelius, Alexander Seuerus, de quo Lampridius, *nullum*, inquit, *decretum fecit ſine Iuriſconſultis viginti.* Veſpaſianus vſus eſt præcellenti Iuriſconſulto Caſſio; Traianus Neratio, Adrianus Iuliano & Antonio Scæuola Septimus Seuerus Papiniano, Alexander Vlpiano, quem non tantùm pro Conſiliario, ſed etiam pro tutore habuit, vt teſtis eſt Lampridius. Eloquentia magnum eſt in Conſiliarijs ornamentum, & potens ad res gerendas inſtrumentum. Hinc Plato. *Oratoriam animus hominum imperitare* ait. Vim eius in ſeditionibus componendis expreſſit Virgilius lib. 1. Æneidos.

De Eloquentia.

Ac veluti magno in populo cum ſæpè coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile vulgus,
Iamq; faces & Saxa volant, furor arma miniſtrat
Tum pietate grauem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectisq; auribus adſtant
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Non requirimus tamen in Conſiliarijs fuſam illam & Aſiaticam dicendi rationem ad delectandum, verborumque lenocinijs perſuadendum, ſed breuem, argutam, & verè laconicam in ſententia explicanda eloquentiam. Illâ tamen ſæpè etiam opus habere poſſunt extra Concilium Senatores ſeu Conſiliarij. Hiſtoriarum cognitio Conſiliarijs vtiliſſima eſt, Ariſtoteles lib. 2. Rhet. cap. 21. *Ad Conſultationes*, inquit, *res geſtæ vtiliſſimæ ſunt, quod vt plurimum præteritis futura ſimilia ſint.* Polybius lib. 1. *veriſſimam* ait *diſciplinam exercitationem ad res Ciuiles Hiſtoriam eſſe.* Sen. Epiſt. 83. *Conſilium futuri ex præterito venire dicit.* Vnde Iſocrates ad Nicoclem *Si præteritorum*, inquit, *memineris, de futuris etiam rectius iudicabis.* Linguarum peritiam omnes ſemper in Principum Conſiliarijs laudauerunt, ac tum potiſſimum cum diuerſæ ſunt populorum eorum linguæ, quibus Princeps aliquis imperat. Ideo Carolus IV. Imp. per Bullam Auream ordinauit, vt Electorum filij à primis ſtatim annis linguas Latinam, Italicam, Sclauonicam, præter Germanicam, addiſcerent, quo multis cum gentibus miſcere ſermonem poſſent. Apud Turcas quot linguas quis callet, totidem æquiualere viris iudicatur.

Quæ Eloquentia requiratur.

De Hiſtoria.

De Linguarum peritia.

CAPVT IV.

Quid agere Principes debeant, cum ſcientijs varijs ornatos habere Conſiliarios non poſſunt.

TVm ſanè pro rerum varietate varios ſingulis illis ſcientijs prædiditos adhibebunt. Si iuris enodandæ ſint quæſtiones, Iuriſperitos aduocabunt; ſi de Religione ſuſceptiſque ſacris agatur, Theologorum ſententias exquirent; Si legationum munus ſit obeundum, virorum eloquentium & Politicorum operâ vtentur. Magna negotia magnis egent adiutoribus. Quantum verò fieri poteſt, expertes litterarum nequaquam aſſumantur, quod adulari Principibus tantùm ſciant, qui litteras & bonas artes ignorant. Vtilia ſemper Reipublicæ conſilia ab ijs emanant, qui fidi, eruditi, & earum, de quibus agitur, rerum ſunt gnari. Docet enim ſcientia quid faciendum ſit, experientia quomodo faciendum. Et eruditi illi viri, qui temporum omnium ac locorum Hiſtorias percurrerunt, varios rerum euentus, & agendorum negotiorum exempla ad prudentiam proponunt. *Varij pro rerum varietate ſunt, adhibendi.*

Teſtimonia & Exempla.

VArios tum pro rerum varietate adhibendos eſſe hic iudicamus. Ita fecit Alexander Seuerus Imp. de quo ita Lampridius in eius vita. *Fuit illi conſuetudo, vt ſi de Iure aut de negotijs tractaret, ſolos doctos & diſertos adhiberet; ſi verò de re militari, milites veteres & ſenes benè meritos, & locorum peritos ac bellorum & caſtrorum, & omnes litteratos, & maximè eos, qui Hiſtoriam norant: requirens quid in talibus cauſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum Gentium feciſſent.* Fecit etiam eodem modo Carolus V. Imp. qui dicere ſolebat *ea conſilia non poſſe non vtilia eſſe, quæ procederent à viris bonis & earum rerum gnaris, de quibus conſultatur.* Cum de rebus Eccleſiaſticis ageretur, Theologos in Conſilium vocabat. Ipſe etiam Imp. Valentinianus Diui Ambroſij opera multis in Conſilijs & Legationibus eſt vſus, vt teſtatur Baronius Tom. 4. anno 387.

CAPVT V.

Quæ qualitates in Conſiliarijs ex parte corporis requirantur.

FOrma inprimis corporis dignitati congruens magnum eſt Conſiliarijs ornamentum. Nam oris decus & elegantia quædam eſt tacita amoris illecebra; nec quicquam decore gratius eſt, quod talis anima vulgò credatur, qualis eſt forma. Et ipſa Natura magnis mentibus digna corporum domicilia tribuiſſe videtur. Ne ſint igitur Regum Conſiliarij, qui ſpecie ipsâ horribiles, qui mutili, qui contorti, qui turpi alio defectu notati. Et quanquam natura nonnunquam bonis internis ea ſuppleat, quæ externis nouercali quâdam malignitate negauit, ea tamen eſt in corporum Maieſtate veneratio, vt homines paſſim non alios magno- *dignitas formæ.*

magnorum operum capaces exiſtiment, quàm quos eximiâ ſpecie Natura donare dignata eſt. Sit deinde conſtitutum bene corpus, vt par eſſe laboribus perferendis poſſit, nec ſub onere negotiorum deficiat. Complexio bona hoc præſtat. Melancholici Phlegmaticiq́ue ad Reip. gubernacula inepti cenſentur: ſanguinei voluptatibus plerumque ſunt dediti: Cholerici auſteri ſunt & virtutem in ſe obfuſcant. Quare mixta ex omnibus complexio optima eſt. At verò quia rara, ſanguinei & Melancholici non paucorum iudicio præferendi, ſicut Cholerico Phlegmaticus. Choleram tamen ingenij acrimonia, memoria, & iudicium ſequi ſolet. Statura corporis ea commendatur, quæ inter proceritatem & paruitatem eſt media. Sit vultus gratioſus, amabilis, placidus, & bonos mores præ ſe ferens, qui Comitate ſemper commendentur. Ne tamen paruus defectus quenquam, ſi cætera adſint, à Regum conſilijs remoueat, quod arte virtuteq́ue corrigi facile ſanè poſſit.

Bona corporis Conſtitutio.

Statura Mediocris.

Teſtimonia & Authoritates.

PRima eſt *formæ dignitas*. Dignitatem appello, quia, vt inquit Cicero, *Venuſtatem muliebrem dicere debemus, dignitatem autem virilem*. Hæc in Conſiliario ideò requiritur, quia omne id, quod aſpectu deforme eſt, etiam oculis ægre eſt, atque hominum animos à ſe alienat. Virg. *Gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus*. Ideo Theophraſtes *formam* appellat *fraudem ſilentem*, quia conciliat hominum animos, *quod natura datum nobis ſit, vt corpore ſpectabiles diligamus*, vt ait Dio. Vulgatum iam verbum eſt, *qualis forma talis & anima*. Vnde Pythagoras exiſtimabat corporum ſtructuram ſimilem eſſe ſtructuræ animorum, & diſtorta membra effectum eſſe ſeu teſtimonium diſtorti prauis affectibus animi. D. Ambroſius *ſpecies corporis ſimulacbrum eſt mentis figuraq́; probitatis*. Cum ergò in eligendis Conſiliarijs ad formæ dignitatem attendere oporteat, tum etiam ſciendum eſt Pulchritudinem nec in omnibus, nec ſemper eſſe notam virtutis. Aliquando natura corporis deformitatem ingenij bonitate compenſat. Inde apud Ouidium:

Bona corporis.

Nota.

—— *Si mihi difficilis formam natura negauit,*
Ingenio formæ damna rependo mea.

Fuit Ageſilaus Rex Spartanorum corpore deridiculo, attamen ſapientiſſimus.

——*Nec formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes.*

Secunda eſt *bona corporis conſtitutio*, quæ vulgò complexio ſeu temperamentum dicitur. Pro hac qualitate iudicio medicorum eſt opus. *Meo iudicio*, inquit Farius, *aut ſanguineæ vel cholericæ non alterius ſit conſtitutionis: nam ijs temperamentis præditi ingenij acrimonia, memoria, iudicioq́; valent, iuſti, affabiles, fideles, benefici, Magnifici, magnanimi, fortes, alacres, ſani, & benè temperati ſunt.*

Idem iudicat Melancolicos & Plegmaticos natura ineptos eſſe ad Reip. gubernacula. Eos alij, cum rerum experientia, eruditione, & virtute præditi ſunt, non excludunt. Suadent verò ſanguineum præ cholerico, cholericum præ melancholico, melancholicum præ Phlegmatico eligendum eſſe. Hunc tum prius admittendum, cum maturiori ætate exſiccatus eſt. Quippè, vt ait Hippocrates *Anima ſicca, anima prudens eſt.*

Quid de Melancholicis ſentiendum.

Tertia eſt *ſtatura mediocris*, ſeu quæ proceritate & craſſitie media ſit. Extrema enim vtriuſque auctoritatem Conſiliarij minuunt. Proceri rarò Sapientes dicuntur potiſſimùm ſi macro ſint corpore & collo oblongo. Vnde prouerbium *Amens longus*. Breuioris ſtaturæ homines irriſioni plerumque ſunt expoſiti, deinde parui temeritate iracundiaq́ue magis, quàm iudicio feruntur. Immodica pinguedo corporum, aut etiam macies ad negotiorum tractationem ineptos reddunt homines.

CAPVT VI.

Quibus virtutibus ornati eſſe Conſiliarij debeant.

Vſu rerum, Charitate, dicendi libertate.

Libertatem Amor & timor impediunt.

OMnis boni Conſilij fundamentum eſt virtus, & is ſemper conſilio ſuperior eſt, qui moribus nequaquam eſt inferior. Ad perfectam autem conſilij dandi rationem tria potiſſimùm requiruntur, Vſus rerum, Charitas ſeu Patriæ boniſque publici amor, & in dicendo libertas. Et ille quidem inprimis rerum vſus; quis enim de rebus ijs rectè iudicet, quarum experientiam nullam habet? Quare ad conſilium pro Reip. ſalute dandum neceſſaria in Conſiliarijs eſt rerum earum notitia & experientia, quæ pertinent ad Imperij Principatuſque conſeruationem, ad Ærarium, ad Annonam, ad Leges, ad Pacem & Bellum; & quo maior eſt Princeps grauioreſque in eius Conſilio cauſæ tractantur, eo peritiores eſſe Conſiliarij debent, qui prudens ac certum dare Conſilium poſſint. Charitas eſt optima voluntas Principem Conſilio iuuandi nullâ proprij commodi habitâ ratione. Nullus enim fidelior eſſe ad Conſilium dandum poteſt, quàm qui non ſuâ, ſed Principem & Patriam diligit. Cùm autem conſiliorum omnium finis eſſe debeat Reipublicæ ſalus & Status conſeruatio, fit vt qui hac charitate in Principem ac Patriam feruntur, magno affectu, ſincerâ fide, conſtanti voluntate conſulere ac ſuadere ea debeant, quæ è re publica eſſe perſpexerint; & quæ damnum inferre poſſunt, diſſuadere. Ita vt nec ſpes commodi, nec damni metus, nec Regis gratia flectere mentem, linguamque ducere videatur, ſed vna conſilij regula diuina lex ſit. Libertas magnum quoque in ſententia dicenda momentum habet. Quippè bonus Conſiliarius, etſi prudens, virtuteque præditus, eſſe non poteſt, qui dicendi libertate deſtituitur; & fruſtra eſt omnis prudentia, ſi eloqui liberè non datur. Libertatem hanc impediunt amor & timor. Nam dum gratum Principi conſilium adferre volunt & conſequi aliquid ſperant, aut dum illum vel Collegas offendere verentur, multa plerumque tacent dicenda, aut ambiguo ſermone vtuntur, aut aliter quàm ſentiant, dicunt. Qua in re grauiſſimè in Deum, Principem, Remp. peccant. Optima fidele Regnum ſeruandi ratio eſt dicendi libertas Conſiliarijs & amicis permiſſa.

Iuſtitia.

Amor boni publici.

Liberalitas.

Manſuetudo.

Fortitudo & Conſtantia.

Peregrinatio.

Præter hæc aliæ quoque eſſe in Conſiliarijs virtutes debent. Iuſtitia inprimis, vt ſepoſito omni affectu æqui rerum ſint arbitri & iudices. Amor publici boni, qui vigilantes & ſollicitos eos pro Republica facit, vt neceſſaria prouideant, conſiderent, ſuſcipiant. Liberalitas, quia populus hâc potiſſimùm virtute trahitur, & beneficos liberaleſque amat. Manſuetudo & benignas, vt eâdem facilitate ſummos & imos audiant, cum diuitibus & egenis agant. Cùm reſpondendum eſt, ſint beneuoli; cùm negandum aliquid, non ſuperbi; cùm promittendum, graues; cùm reprehendendum, non iniurioſi; cùm dimittendum, non aſperi. Fortitudo & Conſtantia, vt nimirum animo excelſo ſint cùm ad veritatem tuendam, tum ad Patriam propugnandam. Sint denique ad omnes Fortutæ caſus æquali animi tenore. Porrò ad Conſiliarij perfectionem plurimum peregrinatio confert, ſed in terras potiſſimùm Principis, Vicinorum, Hoſtium. Per eam enim Prudentia comparatur. Deinde rei dome-

domeſticæ peritia. Nam qui rebus ſuis bene proſpiciunt, alienis quoque bene conſulere ſolent. Et illa emendandæ ordinandæque Reip. ratio eſt, ſi ad conſilium de publicis negotijs ij adhibeantur, qui in rebus priuatis nulli poſtponerentur. *Peritia rei domeſtica.*

Enumerantur & teſtimonijs confirmantur.

D. Gregorius Nazianzenus in Carminibus ita ait,

Nam trina cum ſint, vt vetus ſenſit cohors,
Pollere debet optimus monitor quibus
Rerum vſus, ingens caritas, os liberum.
In me requires prorſus ex tribus nihil.

Vſus ſeu experientia. Vſus igitur imprimis, & quædam rerum gerendarum peritia experientiaque neceſſaria eſt, ſeu notitia rerum ad Reip. conſeruationem requiſitarum. Inde Cic. 2. de Orat. *Ad Conſilium de Rep. dandum caput eſt noſſe Remp.* Plato *In omni re conſulendi principium eſt, noſſe id, de quo conſilium eſt inſtitutum, aut in totum aberrare ſit neceſſe.* Tacitus: *Morum animorumq́; prouinciæ niſi gnari, qui de ea conſultant, perdunt ſe & Remp.* Ribadeneira: *Vt de rebus bellicis non rectè diſſerit, qui bello nunquam interfuit; nec de maritimis, qui non nauigauit; nec de mercatura, qui negotiator non eſt; nec de agrorum cultura, qui non eſt colonus; nec de alijs artibus & ſcientijs, nedum planè, & earum notitiam non aſſecutus; ſic nemo de ignotis benè iudicat, nec bonum conſilium dat ijs de rebus, quarum experientiam non habet.*

Charitas in patriam. Secundò, *Charitas erga Principẽ & patriam* requiritur. S. Greg. Pont. l. 1. Epiſt. 33. *Nullus fili fidelior eſſe ad conſilium poteſt, quam qui non ſua, ſed te diligit.* Propoſitus verò huic amori finis ſit, Reip. ſalus, ad quam omnia conſilia magno affectu & conſtanti voluntate Conſiliarius referat, ſuadendo quę è re ſunt, & cõtraria diſſuadendo. Rara autem auis eſt, Conſiliarius ſincerus, multi non tam Principem, quam eius bona diligunt; nec tam Reip. vtilitatem, quam proprium ſuum commodum. Hinc Mar. Aurelius Imp. ad filium ſuum commodum, *Equidem*, inquit, *cum longæuam à Diuis vitam acceperim, diuturnam bonum omnium cepi experientiam. Scito enim me xv. annorum ſpatio Conſulem, Senatorem, Cenſorem, Prætorem, Quæſtorem, Ædilem, Tribunum, & poſt hæc omnia duodeuiginti annis Imperatorem Romanum fuiſſe, quibus omnibus annis, pleraque ea qua dicebant, ad commodum proprium & damnum proximum dirigebant, ac monſtri inſtar erat, ſi quis candidè ad obſequium & alterius emolumentum loqueretur.* *Monitum.*

Libertas dicendi. Tertiò, *libertas dicendi.* Sen. lib. 6. de Benef. *Timor numquam fidele conſilium daturus eſt.* Vnde Auguſtus Cæſar, ſi quid publicè proponeret deliberandum, hortabatur, vt ſententiæ liberrimè dicerentur. Quippè *Timidis conſilia in incerto ſunt.* In rebus etiam grauioribus conſilia in tabellis rogabat, vt liberiora eſſent, ita ſuadente Mæcenate. D. Ludouicus Galliæ Rex inter gubernandi præcepta filio data illud etiam adiecit: *Ita te gerito, vt qui tibi ſunt à Confeſſionibus & Conſilijs liberè te admoneant, doceantq́; quid in omnibus negotijs ſequendum fugiendumue ſit.* De hac libertate iterum infra.

Iuſtitia. Quartò, *iuſtitia, liberalitas, manſuetudo, fortitudo, conſtantia*, quæ virtutes quemadmodum Regibus, ita Regum Conſiliarijs conciliant auctoritatem. De ijs lib. 1. diſſeruimus. *Qui iuſti ſunt Conſiliarij, honeſtè viuunt, alterum non lædunt, ius ſuum cuiq́; tribuunt.* Quæ Iuris tria præcepta. *Nihil eſt autem*, inquit Cic. *quod tam deceat, quam in omni re gerenda, conſilioq́; capiendo ſeruare conſtantiam.* D. Bernardus Epiſtola ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum: *Omnes iuxta Domini præceptum diligantur, etiam inimici, ſed ad conſilium ſoli eligantur, qui prudentes eſſe videntur & beneuoli: abſque prudentiã & beneuolentia non ſunt perfecta conſilia.* Sigiſmundus Imp. teſte Æn. Syluius de geſtis Sigiſm. *Beatos fore Reges in terris* dicebat, *ſi excluſis ſuperbis & crudelibus Conſiliarijs, viros manſuetudinis & miſericordia cultores in Curia Aſſeſſores & Conſiliarios habeant, & ijs morigeros ſeſe præbeant.*

Peregrinatio. Quintò, *cognitio aliqua rerum ex peregrinati ne hauſta.* Hinc Franciſcus Patricius de Regno: *Is non ſum*, inquit, *qui mihi perſuadere poſſim aliquem hominem perfectè ſapere, qui parua aliqua ora, vt breuiore terræ angulo vel vnis manibus deliteſcens reliquas mundi partes ignoret, nullos mortales præter indigenas ſuos norit, non externos, aut conſuetudines varias viderit, ſed contentus ſit his rebus, qua exiguo ſpatio natalis ſoli paruiq́; laris anguſtijs cernuntur &c.*

Oeconomia. Addimus poſtremò rei domeſticæ peritiam, nam etiam recta domus adminiſtratio hominem ad Reip. adminiſtrationem idoneum reddit.

TITV-

TITVLVS II.

De Electione Conſiliariorum.

CAPVT I.

Quid ſit Electio illa, & quomodo ſe gerere in ea Principes debeant.

Quid ſit Electio.

Quæ in ea conſideranda.

ELECTIO Conſiliariorum eſt conſtitutio idoneorum ad gerenda Patriæ negotia virorum. Hæc ad Principes ſupremos ſpectat. In ea verò ita ſe gerere debent.

I. Statuent ab Electione Conſiliariorum ſuæ Maieſtatis honorem ac famam, deinde populi ſui ſalutem pendere. Quales enim Conſiliarij ſunt, tales & ipſi Principes æſtimantur.

II. Certò ſibi perſuadebunt neceſſarios eſſe ſibi Conſiliarios. Nimirum vt veritatem audiant & intelligant, quam in Palatijs paſſim adulatores ab auribus Principum auertunt.

III. Ne in Conſiliariorum electione ſint ſubiti ac præcipites. Opus enim hîc morâ eſt & quâdam cunctatione, vt de eligendorum moribus & habilitate commodiùs perquiratur, & vt ij, qui deferre aliquid de illis volunt, audiantur; audiendi quippè ſunt omnes ſeu commendent, ſeu vituperent, ſed non niſi omnibus prudenter ponderatis fides adhibenda. Multi Illuſtrium Virorum fortunæ inuident, nec pauci commendando decipiunt.

IV. Explorare virtutem oportet priùs, quàm in Conſiliarium quis eligatur, niſi fortè iam aliunde ſatis ſit nota probataque. Poſſunt ipſimet Principes probare, & quidem ad communem de eo famam attendere. Vbi explorata virtus eſt, tutò Reſpublica ei committatur.

V. Cùm deſignatus iam Conſiliarius eſt, ita agant Principes, vt virtutem ac merita ſpectauiſſe, non tantùm commendationes ſecuti videantur. Sic electum Populus reuerebitur, & auctoritatem reformidabit: ipſi Principes beneuolentiam acquirent, cæteri ad virtutem excitabuntur.

VI. Conſiliarium electum Iuriſiurandi religione Principes obſtringent, idque ſecundùm formulam more patrio receptam. Vt fidelis ſit Principi & patriæ, nec propter vllum vitæ, honorum, conſanguinitatis, vel amicitiæ reſpectum à tramite iuſtitiæ diſcedat, & in ſententia dicenda ſolùm Deum, ac veritatem intuendo, Principis honorem, & Imperij vtilitatem quærat. Præſtito hoc iuramento nihil reliquum eſt, niſi vt negotijs tractandis adhibeatur.

Teſtimonia & Authoritates.

DEFINITVR hic Electio, & in ea conſideranda ſex proponuntur. Primum eſt *ab hac Electione famam Principum dependere.* Vt enim vulgare prouerbium eſt,

Noſcitur ex ſocijs qui non cognoſcitur ex ſe. Ita quales Conſiliarij ſunt, tales eſſe Principes exiſtimantur. Otto Imp. dicebat *Ex Senatoribus cognoſcuntur Principes.* Cominæus *nullum iudicium bonæ mentis Princeps poteſt oſtendere, quam vt adiungat ſibi viros virtute & famâ celebres. Nam omnes ſtatim iudicabunt eum talem eſſe, quales ij, qui apud illum.* Vnde Petrus Gregorius ait, *Infamant Principes infamis vita Conſiliarij; nam eos admittendo tales, vel non repellendo, videntur illorum vitam probare parumq́; Reip. vtilitatem curare.* Sic peſſimè audiuit Caligula, quod in Curiam introduxiſſet homines improbiſſimos, per quos tamen ſuam ſe recuperaſſe dignitatem dicebat, ſed eorum conuiciſatione minus conſpicua fore ſcelera ſua putabat. Laborauit etiam famâ Tiberij, quod Flacco & L. Piſoni, cum quibus noctem continuumq́ue biduum potandô conſumpſerat alteri Syriam, alteri præfecturam vrbis detuliſſet. Heliogabalus in indignationem Senatus militum incidit, quod ſcenicos & artifices Reip. conſilijs præfeciſſet.

Infames fiunt, qui improbos elegerunt

Secundum eſt, *vt Conſiliarios ſibi credant eſſe neceſſarios ad veritatem audiendam.* Verum quippè eſt, quod ait Sen. lib. 6. de Benef. cap. 30. *Monſtrabo tibi cuius inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit? ſcilicet ille qui verum dicat.* Vnde Theodoſius Imp. de D. Ambroſio, à quo libere & verè admonitus fuerat, dicebat *Ægrè tandem ſe veritatis Magiſtrum reperiſſe.* Sed de Conſiliariorum neceſſitate, iam ſupra.

Tertium eſt, *ne in Electione ſint præcipites;* nimirum, vt interea inquirere in vitam, mores, doctrinam candidatorum poſſint. *Diu cogita*, inquit Sen. *an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit, cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam iudicandum.* Potiſſimùm verò inquirendum in mores & ante actam vitam. *Qui enim vitijs ſcatet*, inquit Gellius, *fieri non poteſt, vt vitijs non faueat; ne illa iudicando ſeipſum condemnare videatur, neque ambitioſus conſulit niſi ad honores conſequendos.*

In Romanis legibus de Magiſtratu ſcriptum erat, *Hic ordo vitijs careto, cæteris ſpecimen eſto.*

Quartum, Non prius admittere, quam explorata ſit virtus. Suggerunt hic Politici, vt ad publicam famam, tanquam ad lydium lapidem attendant Principes.

Quintum vt virtuti detuliſſe officium, non commendationibus videantur. Ac denique Sextum, vt ab admiſſis exigant iuramentum. Hoc poſtremum obligat eos, prius conciliat populum, & ad virtutem alios accendit.

CAPVT II.

Quâ ætate eligi Conſiliarij poſſint.

MEdiâ eligi ætate poſſunt: hæc autem à trigeſimo anno vſque ad ſexageſimum eſt. Et verò cùm ad conſultandum & iudicandum prudentia vſuſq́ue rerum requiratur, nec niſi longo tempore comparari poſſint, ſenioribus Conſiliariorum partes ſunt deferendæ. Quod ſi tamen eximia ſit indoles & virtus matura, non expectandus eſt ætatis progreſſus, atque ea cenſenda eſt ætas perfecta, in qua virtus eſt perfecta. Vnde non penitus excludendi ſunt à conſilijs iuuenes cùm matura in ijs eſt virtus. Aliàs cupidi Iuuenes multas Reſpublicas euertunt.

Mediâ ætate.

Niſi matura ſit virtus.

Teſti-

Teſtimonia & Authoritates.

MEdia ætate, niſi matura tamen citius ſit virtus. *Experientia*, inquit Iſocrates *& rerum multarum vſus ſenes erudit, atque efficit, vt quid expediat acutius, quam alij, proſpiciant.* Cic. *Temeritas eſt floreſcentis ætatis, prudentia ſenectutis*, Iob. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Plato. *Non floreſcit virtus animi, niſi virtus corporis deflorcſcat. Annorum multitudo ſapientiam docet*, Teſte Saluſtio; *& quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum eſt.* Commune prouerbium eſt, *Annus fert roſas, non ager.* D. Hieronymus, *Omnes fere virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſolâ ſapientiâ decreſcunt cætera.* Liuius *Seneſcentibus vitijs, feruore & audacia ætate ſublatâ conſilium in dies creſcit: eſt corporis infirmitas mentis ſobrietas: Seneſcentibus corporis membris; ſenſibus emollitis, in conſilium proxima tranſeunt.* Quia ſenes vſum rerum habent, Plato eos tertium oculum habere ait, quo rerum euentus facilè proſpiciunt. *Iuuentus*, inquit Syneſius, *varijs cupiditatibus obnoxia, deſiderio dominandi, ambitioni, intemperantiæ eſt; ac vehemens in illis impetus in vtramque partem. Eſt adoleſcentiæ & florentis ætatis propria temeritas*, inquit Cato. Nam, vt ait Cominæus. *Per ætatem multa faciunt imprudenter; nec rerum ante exitus vident: ſunt maximè in eo vituperandi, quod illos, quorum ſequi conſilia debebant, aſpernantur.*

Contra primam ætatem.

Et vt Nouelli *Citharedi multas citharas perdunt, ita cupidi iuuenes Remp.* inquit Xenophon. Dixi autem niſi matura eſſet virtus. Nam multi iuuenes ſunt, in quibus ſenectus venerabilis morum, & cana prudentia eſt.

Cani indices ætatis, non prudentiæ.

Comicus. *Non ætate, verum ingenio adipiſcitur ſapientia.*

Nemo neſcit multa quoque vitia in ſenibus eſſe. Vnde Tacitus, *Apud maiores*, inquit, *virtutis id præmium fuerat, cunctiſq; ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere magiſtratus, ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin primâ iuuentâ, Conſulatum ac dictaturas inirent. Ibi perfecta ætas eſt, vbi perfecta virtus*, teſte D. Ambroſio: *Nec eſt omnis barba venerabilis & apta, ſed illa, quæ non canis, ſed meritis albeſcit*, eodem teſte.

Iumenti quando que ſenectúque eſt.

Conſultum igitur eſt cum iuuenibus præferendi quidem ſint ſenes, ſenibus tamen etiam aliqui iuuenes probi adiungantur, qui ex ſeniorum factis dictiſque diſcant in poſterum ſimilia & dicere & conſulere. Non aliter nimirum, quam iuxta arbores annoſas nouæ plantæ inſeruntur, aut plantantur, quæ in vetuſtarum poſtea locum ſuccedant. Ita quondam Romani vſque ad Papirij tempora ſuos filios in ſenatum ſecum ducebant.

CAPVT III.

Cuius ingenij eligendi ſint Conſiliarij.

Mediocris ingenij.

MEdiocris ingenij & probi iudicij. Pares enim eſſe negotijs debent, non ſupra; & ij multò præſtantiores ſunt ad Reipublicæ negotia tractanda, quorum mens non ita ſubtilis eſt & acris. Quin imò hebetiores plerumque Rem. meliùs, quàm acutiores adminiſtrant. Et hoc eſt ipſius etiam Antiquitatis iudicium. Quippè prægrandia iſta, acria, & acuta ingenia minimè expediti conſilij, & nouandis rebus aptiora, quàm gerendis. Varias habent ac multiplices inuentiones, & rationum copiam, ideóque fluctuant ſemper, & aliquid ægrè expediunt. Deinde cùm pertubationibus ingentibus ferè ſemper agitentur, aliquid mouere continuò, & innouare gaudent, nec quicquam factum rectè putant, niſi fecerint. Accedit quod obſequij ſint ignara, & in conſultationibus aliorum ſententijs non libenter acquieſcant. Subtili ſuâ mente omnia metiuntur, & cùm ad rerum attendere circumſtantias deberent, ea etiam ſibi proponunt, quæ nec ſunt, nec

Non acuta & ſubtilia ingenia Reip. non ſunt idonea.

vnquam

vnquam erunt. Quid autem Reipublicæ pernicioſius quàm rerum nouarum ſtudium? quid conſilijs magis inimicum, quàm peruicacia? Fœcunda non rarò ingenia magnis Imperijs pernicies extiterunt; & multi acutiſſimi fuerunt, qui parum boni aut felices. Sint igitur æſtimatores ingeniorum Principes, & apta commodaque Reip. ac conſilijs ſuis eligant. Placent illi certè homines, qui in præclararum rerum meditationibus occupantur, qui omnia vident & comprehendunt, qui agere cum omnibus ſciunt, & quâdam præteritarum futurarumque rerum curioſitate feruntur. Interim ſedati ſunt, & compoſiti, in dicendo prompti, in reſpondendo arguti, in iocando ſuaues, in ſerijs cauti, in diſſimulando virtutis non immemores. Qui ita loquuntur, vt eorum ſingularia ſint dicta, & opinione vulgi excellentiora; ita agunt, vt eorum actiones alacres ſint, & cum quadam contentione. Atque hæc omnia præclari ingenij ſunt ſigna. *Qui maxime probentur.*

Teſtimonia & Authoritates.

NOn acuti aut ſubtilis, ſed mediocris. Lipſius in Politicis, Conſiliarios cum modo acutos deſiderat. *Qui nimis acuti*, inquit, *fugio, & arcanum illud dogma ingero, hebetiores, quam acutiores vt plurimum melius Remp. adminiſtrant. Cauſa quia ſubtilia illa & ignea ingenia in aſſiduo motu nouandis, quam gerendis rebus, aptiora*, vt ait, Q. Curtius lib. 4. Sen. de Tranquil. vitæ. *Rarò magnum ingenium eſt ſine mixtura dementiæ*; vt rectè dixerit Euripides. *Mens quæ ſapit nimium, non ſine damno ſapit.* Plato in Timæo. *Magna ingenia non aliter atque arbores pluribus, quam conuenit fructibus, grauida, nimiâ vbertate luxuriant. Quippè præclara naturæ magna ſæpè producunt vitia.* Pericles, teſte Plutarcho, fœcundo quidem fuit ingenio, ſed etiam patriæ peſtis & pernities extitit. Similitudo apud Thucydidem eſt lib. 3. in Orat. Cleon. Vt aptior eſt aſcia, quæ aciem habet paulo obtuſiorem, quam acutiſſimam, ita ad res gerendas multo eſt præſtantior, cuius mens non ita eſt ſubtilis & acris.

CAPVT IV.

An probandum ſit in Conſiliarijs ingenium quodammodo in ſui diſſimulationem compoſitum.

PRobandum omninò. Qui enim publicas perſonas agunt, & in Ciuilibus arcaniſque Principum negotijs verſantur, diſſimulare ſanè debent, aut ſuorum ſæpè conſiliorum effectum non conſequentur. Spectare ſemper idem debent, ſed non idem ſemper dicere; nam aliquando in vtramque poſſe partem loqui, & vultum fingere, prodeſt. Nec aliud hoc eſt, quàm aptare ſe tempori & hominum genio, quod prouidi ac ſapientis eſt hominis, qui non vno ſemper gradu, etſi vnâ viâ, procedit. Verſatile ingenium ſit oportet in hominum ſocietate, potiſſimùm verò in Aulæ fortuna, vbi altitudo ingenij ad ſimulanda negotia admodum eſt vtilis. Parendum eſſe temporibus Politici omnes præcipiunt. Et quis neſcit commodâ velificatione potiùs, quàm cum periculo velis remiſſque ad portum eſſe contendendum? Cauti eſt & ſagacis ingenij obliquo nonnunquam ductu conari & adniti, vt commodè & quàm minimo cum periculo omnia tractentur. Sit tamen hæc omnis ſimulatio ſaluâ ſemper virtutis reuerentiâ, & ſine pietatis in- *Conſiliarijs ſcire debent diſſimulare. Sit tamen diſſimulatio ſalua virtute.*

ternæ iacturâ. Cogitent Conſiliarij eſſe in Reipublicæ Scena publicas perſonas, dextrè & decorè agendum eſſe & tempori ſeruiendum; deponent iſta ſimulationis integumenta, cùm priuatas perſonas reſument, aut publica Reipublicæ Principiſque negotia non tractabunt.

Teſtimonia & Authoritates.

PRobandum hic affirmamus. Terent. in Hecyrâ 4 act. ſc. 3.

—— Iſtud eſt ſapere,

Qui vbicumque opus ſit, animum poſſis flectere. Nam, vt ait Sen. in Med. *Tempori aptari decet. Cum temporibus parere omnes Politici præcipiant*, inquit Cic. ad Atticum. Quamobrem verò hac diſſimulatione opus? *Facit & ſapiens etiam quæ non probabit, vt ad maiora tranſitum inueniat; nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit, & quibus alij vtuntur in gloriam aut voluptatem, vtetur agenda rei cauſa.* Ita verò diſſimulandum eſt, vt ſalua ſit ſemper virtutis dignitas. Cardinalis Franciſcus Sodermus dicere ſolebat, nihil homini in excelſa Aulæ fortuna verſanti vſu melius vel expeditius eſſe, quam duabus ſellis ſedere, ſi fieri abſque offenſione poſſit, vt refert Clapmarius lib. 1. cap. 7. de arcanis Rerump. Quam ob cauſam Thomas Morus lib. 1. Vtopiæ ſuæ, Conſiliarios eos laudat, qui mentem ſuam aptè circumagere ſolent, cum vſus poſtulat, quod cauti & ſagacis viri non ſit, cum periculo velis remiſſiſque portum petere, quem commoda velificatione aſſequi poteſt. Certè videtur ille, vt ait Iuuenalis Sat. 3.

—— Melior qui ſemper & omni
Nocte dieq́, poteſt alienum ſumere vultum.

Intelligo in cauſis publicis, *vbi non ſemper idem dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus*, vt ait Cic. lib. 1. Epiſt.

Diſſimulandum ſalua virtute.

CAPVT V.

An Indigenæ, an verò etiam externi in Conſiliarios ſint eligendi.

Rationes contra externos pro indigenis.

NOn idem eſt Politicorum omnium iudicium. Externos à Principum Conſilijs arcent nonnulli. Quod inprimis externi Reipublicæ ſint ignari; ad conſilium autem dandum caput eſt noſſe Rempublicam. Et quanquam Reipublicæ ſtatum non ignorent, quia tamen affectu in Patriam fideque carent, curæ illis negotia eſſe non poſſunt. Deinde ſi experientiam conſulamus, rarò, qui aduenæ ſunt & peregrini, cum ciuibus tranquillè degunt. Quos homines Natura fecit, non iiſdem affectibus inuicem conciliauit. Et cùm adferre illi peregrinos ſecum mores ſoleant, vnde noua de rebus iudicia oriuntur, fit, vt eorum quoque contraria alijs in deliberationibus ſint conſilia. Iam verò ſi ad illa prima Reipublicæ & Aulæ Officia peregrinis aditus pateat, quo animo, qui indigenæ ſunt, ferent? fieri ſibi iniuriam interpretatur, qui peregrino in Patria poſtponitur. Nec rarò grauiſſimi aliquando hac de cauſa tumultus fœdis cædibus Rempub. impleuerunt. Et quis neſcit, faciliores ad obtemperandum ciues eſſe, cùm ab indigenis Conſiliarijs res ſuas agi tractarique vident? Ipſi etiam indigenæ, quorum in animis patriæ charitatem Natura ingenerauit, & fidelius, & diligentiùs Rempublicam, quàm externi, gerunt. Qui vitam enim pro Patria non dubitarent profundere, ij libenter ſuam omnem operam ſumma cum fide impendunt.

Rationes pro Externis.

Non deſunt rationes tamen, quæ externos nequaquam excludunt. Virtutem enim æſtimare ponderareque, non Patriam, oportet. Et cùm homines ſæpè minus in Patria ſua, quàm peregrini honorentur, fit, vt pe-

peregrinorum maior auctoritas in Republica ſit, quàm quandoque indigenarum, florentiſſimæ olim ac non paucæ Reſpublicæ magno ſuo commodo alienigenas ad gubernacula admouerunt, etſi etiam reiecerint aliquæ. Quod ſi eſſe nonnunquam Principes externi poſſunt, cur non etiam Conſiliarij? Ea Curia, quæ viris omnibus virtute præſtantibus patet, omnes ad ſe quodammodo inuitat; & libenter ad eum Principem vndique conuolant probi ſapienteſque Viri, quem æſtimare ſuam virtutem non ignorant. Non minùs bonum conſilium dare externi poſſunt, quàm ciues, cùm in illis tanta eſſe probitas, induſtria, fideſque poſſit, quanta in his. Imò quia cedere his virtute nolunt, plerumque laborioſiores ſunt, & quod ex parte Patriæ deeſt, fide compenſant. Cùm ciues ciuibus præſunt, aut aliquando nimiâ indulgentiâ officio ſuo deſunt, aut veteri odio peccant.

Quid igitur ſentiendum? Nimirum vt cùm indigenæ plures aſſumantur, tum externi etiam aliqui quandoque. Ij nimirum, quorum iam nomen & honor in Rep. inueterauit, & qui ab alijs inani verborum iactantiâ ſuperari ſe non patiuntur, niſi virtute vincantur. Ij, inquam, qui Remp. notam habent, & ipſi ſunt noti. *Quid ſentiendum.*

Authoritates pro vtraque parte.

QVæſtionem rationibus vtrimque diſcutimus, & cum indigenæ plures ſint aſſumendi, tum externos aſſumi poſſe quandoque concludimus. *Contra externos pro internis.* Dauid Pſal. 100. *Dauid conuertit oculos ad fideles terræ, vt ſecum ſedeant.* Sapiens. cap. 8. *Coram extraneo ne facias conſilium, neſcis enim quid pariet.* Prouerb. 29. *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles; ne fortè inſultet tibi, cum audierit, & exprobrare non ceſſet.* Antimachiauellus lib. 1. *Miſera*, inquit, *illa terra ab omnibus iudicatur, quæ nullos ſuorum vel paucos in Conſilio Principis conſpicit.* Suecones, vt tradit Ioannes Magnus Olaus lib. 11. rerum Suecicarum, Albertum Regem ſuum ſubditi in carcerem coniecerunt, quod per exteros omnia ageret. Apud Geneuenſes Syndicus aut Secretioris conſilij Senator nemo fit, niſi Geneuæ domicilium originis habuerit, teſte Bodino lib. 1. de Rep. c. 5. *Exempla.* Apud Bonfinium lib. 9. dec. 4. rerum Hung. iubetur, vt Vladiſlaus II. Aulicorum dumtaxat Hungarorum officijs ſemper vtatur, nec in Regni adminiſtratione aut Curiæ Regiæque muneribus vllum ex peregrinis Conſiliarium, Quæſtorem, Prætoremve, aut amanuenſem, Cubicularium, miniſtrum, ſtructorem & architriclinum admittat; nec de Hungaricis rebus acturus vllum præter Hungaros in Conſilium venire patiatur. Romani etiam veteres, teſte Liuio lib. 23. nequidem ſocios in Senatum admittebant. Alexander Magnus cum Perſas in conſilium adhibuit, malè audire cepit. Et Lipſius in notis ad lib. 3. Polit. c. 4. ſicut, inquit, in quam domum Veſpillones veniunt, ſignum eſt funeris, ita Reip. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. Conſiliarij, inquit Thucydides lib. 1. *gente diſpares nihil in communem Reip. ſalutem conſulunt, ſed vel ſuo quique commodo vacant, vel quod agendum pro communi ſalute eſt, abſque maturâ deliberatione decernunt.* Obmurmurarunt ſubditi cùm Carolus Burgundiæ Rex Campobachium Neapolitanum primum arcanorum arbitrum aſſumpſit, vt teſtis eſt Cominæus. Carolus Magnus cum neglectis indigenis plurimum vteretur externis, Auſtraſienſes (hodie Lotharingos) rebelles ſenſit, vt habet in eius vita Belleforeſtus. Idem cum faceret Gulielmus Siciliæ Rex, in eum Neapolitani & Siculi inſurrexerunt, eodem teſte in Annalibus. Vnde anno 1168. Cancellarium Regni Gallum & omnes in Regno Gallos communi coniuratione trucidauerunt. Franci Carolum Simplicem in carcerem, vbi obijt, detruſerunt, quod ab adminiſtratione Regni indigenas ſubmoueret. Perſarum Rex Cyrus iam moriturus filium monebat, vt ſi quos Regni Conſiliarios poſt ſuum obitum adſciſceret, nuſquam aliundè acciperet, quam à ſuis conterraneis & ciuibus, quos ſemper alienigenis præferret.

Pro peregrinis.

Rationes tamen etiam pro peregrinis ſunt; nec certè negandum, quin vnus aut alter virtute & prudentia ſingulari excellens poſſit aſſumi. Carolus V. Imp. Granuellanum, & aliquot Italos & Burgundos ad conſilia adhibuit. Franciſcus I. Galliæ Rex feliciter Italorum operâ eſt vſus, potiſſimum Triuultij, per quem de Heluetijs victoriam ad Taurum flumen reportauit. Imò Tiberius Cæſar ſubinde res ſuas quibuſdam etiam ignotis mandabat. Fiat verò hoc cum modo, & vt dicitur cum grano ſalis.

CAPVT VI.

An cogere Principes aliquem poßint, vt Conſiliarij officium ſuſcipiat.

Cogere in neceſſitate poſſunt.

SI neceſſitas perſonam certam requirat, aut idoneorum copia virorum in Rep. non ſit, cogere ſanè Principes virum idoneum ac probum poſſunt. Ipſa virtutis dignitas ita ſuadet, quæ carere ſuo honore, etiam inuitis conſerendo, non debet. Poſtulat verò Reipub. vtilitas, vt pars vna potiùs agendo patiatur, quàm tota Reſpub. carendo. Nec aliud Ciuium ſalus requirit, quæ priuatis poſtponi commodis nunquam profectò debet.

Lex vna.

OMninò ſi neceſſitas ſit; rationes hic poſitæ conuincunt, ad quas nihil eſt, quod addatur, niſi illud publica à priuato declinari non poſſunt l. Si Magiſtratum 18. C. de decur.

CAPVT VII.

An perpetua Conſiliariorum officia eſſe debeant.

Sint perpetua Conſiliariorum officia.

PErpetua eſſe, & ad vitam debent, cùm vt ipſi experientiam rerum acquirant, tum vt diligentiùs omnia perficiant, & ſingulorum mores, atque officia nota habeant. Neque ipſe benè apud ſubditos Princeps audiret, ſi viros ſemel probatos à Conſilijs ſuis remoueret. Qui in officio multo tempore fuerunt, morum & animorum Patriæ ſunt gnari, Principatus vires ſciunt, & experientiâ duce plurima cognouerunt, ideóque conſilium meliùs dare ipſi poſſunt. Quam ob cauſam etiam conſultum eſt, vt noui Principes Prædeceſſorum ſuorum Conſiliarios retineant. Quid ſi verò abdicare ſe officio ſuo quis velit? Certè ſine Principis conſenſu non poteſt. Orietur ordinis perturbatio, quâ nihil eſt in tranquillo Reipublicæ ſtatu funeſtius: deinde ſuſpicio ſceleris eſſet, quæ hominem in odium trahit; & non rarò ſeditionis timor, qui animos ciuium incertos reddit & tumultuantes. Cum Principis venia, vbi extrema ætas, vel naturæ infirmitas cogit, officium fas eſt deponere.

Deponere ſine Principis conſenſu non licet.

Teſti-

Authoritates aliquæ.

DE hoc dubio plura adferemus in tractatu de Magiſtratibus. Certè qui circa ſecreta verſantur, vt Cancellarij, Conſiliarij, Secretarij, non ſine incommodo mutari ſæpiùs poſſunt. *Tutum enim non eſt, ſecreta pluribus communicarí, ne qua ad hoſtes diſpergantur*, vt inquit Arniſæus lib. 1. Doctrin. Politicæ c. 13. Nec arcana Reip. ea ratione arctius cuſtodiuntur, ſed & rationes Reip. exactius cognitæ melius tractantur, fides & prudentia conſilijs magis conſtant. Claudianus in laudem Honorij Imp.

Vt fortes in Marte viros animiſque paratos
Sic iuſtos in pace legis, longumq́; tueris
Electos, crebris nec ſuccedentibus vrges
Iudicibus. Notis regimur fruimurq́; quietis.

TITVLVS III.

De Officio Conſiliariorum ſeu de Conſultatione.

CAPVT I.

Quæ ſint Conſultationis partes, & quæ in ijs obſeruanda.

Officium eſt Conſulere. *Partes Conſultationis.*

CONSILIARIORVM offieium eſt ſalutaria Principibus eonſilia bello, paceq́ue ſuggerere. Id fit in Conſultatione. Eam præcedere Conſiliariorum Euocatio ſolet; partes verò illius ſunt, Propoſitio, Rogatio, Dictio, Sententiarum examen, Concluſio.

1. Euocatio. Euocatio Conſiliariorum tune fieri ſolet, cùm de grauibus & arduis negotijs futura Conſultatio eſt. Aliàs certis ae ſtatis diebus reeepto gentis more eonueniunt.

2. Propoſitio. Propoſitio tempeſtiuè fieri debet, & deliberationis caput maturè proponendum eſt, vt Conſiliarij rem omnem profundâ prudentiq́ue eogitatione verſare & apud ſe examinare penitus poſſint. Cautè tamen tunc agendum cùm arcana res eſt, ne publica fiat.

3. Rogatio ſententiæ. Rogatio ſententiæ per Principem aut Conſilij Præſidem fieri ſolet. Is multis in locis à Senioribus incipit, quod maioris auctoritatis ſint & prudentiæ, habeantq́ue experientiam, ideóque Iuniores ſuper re propoſitâ inſtruere poſſint, quorum ſententias, ſi dicendo ſequerentur, vel corrigerent non ſine eorum rubore, vel ijs aſſentiri non decere iudicarent. In quibuſdam verò Curijs Iuniores ante Senes rogantũr, vt in explicandis ſententijs liberiores ſint, qui recedere à Seniorum opinionibus propter auctoritatem non auderent. Operæ pretium eſt receptum Curiæ morem ſeruare, niſi fortè melius ſit, id Principis aut Præſidis prudentiæ relictum eſſe, vt attentâ rei propoſitæ qualitate vel ætatis vel dignitatis ordinem, vel nullum, vel inuerſum ſeruet. Certè non id optimum quod priùs dictum eſt, ſed quod prudentiùs.

4. Dictio. Dictio ſeu ſententiarum expoſitio fieri debet candidè, apertè, breuiter, perſpicuè, fueis omnibus ac lenocinijs verborum reiectis, vt

p[illegible]iùs omnia ac perſectiùs, intelligantur. 5. Examen. Examen ſententiarum ad Principem aut Præſidem ſpectat. In excutiendis autem ſententijs, vt quâ fide Conſiliarij dixerint cognoſcatur, tria ſunt attendenda. Primum, an ad ſcopum Reip. vtilem & honeſtum directa ſit ſententia. Secundum, an ad exitum medijs licitis, ac ſine cuiuſquam iniuria poſſit perduci. Tertium, an non ea ſupra vires ac potentiam Principis media ſint. Nam in omni Conſilio duo hæc adeſſe debent, poſſe fieri, vtile eſſe ac honeſtum.

6. Concluſio. Concluſio captique Conſilij executio in arbitrio poteſtateque Principis tota eſt, cùm eius ſit ſtatuere & imperare, Conſiliariorum ſententiam ſuam Principi aperire. In ciuilibus ſubditorum negotijs, quorum deciſionem ſuo Conſilio Princeps reliquit, qui præeſt concludit. Executio Conſilij, ſi opportunitas adſit, velox eſſe debet.

Quædam rei totius explicatio cum authoritatibus.

PARTES hic ſingulæ explicantur. Circa propoſitionem notandum, *gladiatorum eſt*, inquit Sen. in exemplis, *non Principum in arena conſilium capere*. Et De propoſitione. idem Cic. in Philipp. *Magna ſunt in Rep. momenta temporum, & multum intereſt idem illud, vtrùm ante an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur*, vt ait idem Sen. in Exemplis, Equidem dum nauis integra eſt prompte conſulere & prouidere oportet, ne diſrumpatur, poſtquam fluctus, exſuperant, oleum & opera, quod aiunt, perditur, vt ait Althuſius in Polit. cap. 22. Ita illum qui in ipſo negotio conſilium, omnia deficere videtur. Iulius Cæſar lib. 5. Com. De ordine conſulendi. de Bel. Gal. Quod attinet ad rogationem ſententiarum, circa eam de ordine quæri ſolet. Andreas Tiraquellus in Præf. de Iure primog. Seniores in Conſilijs præferendos eſſe, ait, iunioribus, vt ante illos loquantur & reſpondeant. Nam Eccleſiaſtici cap. 32. *Loquere maior natu, decet enim te primum verbum*, inquit Scriptura ſacra. In Senatu Neapolitano & Pedemontano ſententiæ primo dicuntur à iunioribus, ſicque gradatim vſque ad ſeniorem. Apud Romanos etiam, teſte Dione lib. 39. & Caſſiodoro lib. 39. in omnibus Comitijs, vbi quid cum populo agendum erat prius priuatis hominibus dicendi locus dabatur, quam Magiſtratibus & potentioribus. Andreas Rey de Concil. Principis prudentiæ relinquit, quo ordine vota colligat: ita vt aliquando ætatis, aliquando dignitatis ordinem, nonnunquam nullum ſeruet, aut inuerſum. Si arduum ſit negotium quod ſubitam poſtulet expeditionem, vult vt Princeps calidiora & ſubitiliora ingenia, quæ ad choleram vergunt, præmittat, quod repentè inuenire aliquid poſſint; illud verò ab alijs poſtea expendi accuratè dijudicarique poſſit. Cæterum circa duas has priores partes monet Thomas Morus in Vtopia ſua, vt nihil arduum, quo die primum in Senatu proponitur, eodem diſputetur; ſed in ſequentem differatur Senatum, nequis, vbi quod in buccam primo venerit, temerè effutierit, ea poſtea excogitet, quibus decreta ſua tueatur malitque ſalutis publicæ, quam opinionis de ſe iacturam facere, peruerſo quodam ac præpoſtero pudore, ne initio parum proſpexiſſe videatur. Vnde opus eſt in Conſultationibus aliqua mora. Nam vt inquit Tacitus, *Scelera impetu, bona autem conſilia mora valeſcunt*. Circa examen ſententiarum, De examine ſententiarum. monet Arniſæus in dijudicandis ſententijs non quid prudentius dictum ſit, animaduertendum eſſe. Sequetur autem Princeps præſcriptas hic ex ſapientum opinione regulas. Vltima pars eſt concluſio & executio. Hic monitum Politicum eſt, vt De executione. Princeps auditis conſilijs ſententiam ſuam ipſe celet, nec vllam rebus conſultis adijciat reſolutionem, ſed inſcijs omnibus, aut pauciſſimis conſcijs, conſilium quod placuerit exequatur. Vnde Vegetius lib. 3. de re Milit. Monitum. *Quod fieri debeat*, inquit, *cum paucis tracta, quid facturus ſis, cum pauciſſimis, vel potius ipſe tecum*. Sic Tiberius Cæſar, vt refert Ioſephus lib. 7. Antiq. Iudaic. dicere ſolebat, *Animum Principis nemini cognitum eſſe debere, ipſum autem oportere omnium ſententias & conſilia percallere; quod in priori periculum ingens, in poſteriori ſummam vtilitatem conſiſtere putaret*. Executio verò re-

rò rerum deliberatarum occaſioni, tempori, & alijs circumſtantijs, quæ in quaſuis horas mutantur, inſeruire cogitur, vt ait Boterus lib. 2. Politiæ Illuſtrum cap. 4. velox tamen eſſe debet, ſi adſit oportunitas, vt Politici omnes ſuadent. Quod ſi ardua & implexa ſint conſilia, quibus impar eſt Princeps, ea fato non permittat, vt monet Lipſius ſupra citato loco.

CAPVT II.

An Princeps Conſiliariorum ſuorum Conſultationibus debeat intereſſe.

CVm ſuſcepta de rebus arduis Conſultatio eſt, conſultum videtur vt libero apertoque vultu Princeps interſit. Tunc enim maiori cum auctoritate peragentur omnia, & præſente Principe boni, vt ſuæ fidei ac integritatis ſpecimen exhibeant, fideliùs diligentiúſque officio fungentur. Mali verò minùs audebunt ac fideliùs conſulent. Nec factiones erunt, nec rixæ. Ipſe præſens Princeps ſuorum mentem ac genium Conſiliariorum cognoſcit, & cuiuſque teſtis eruditionis vim ingenij, vt accuratiùs cuncta conſiderent, excitat. Meliùs etiam præſens ipſe ſententias, quas vel ſequi, vel repudiare, vel in ijs aliquid immutare oportebit, intelliget. *Expedit intereſſe cum res eſt grauis.*

Teſtimonia & Authoritates.

EXpedit tum ſaltem eum intereſſe cum res eſt grauis. Negat Bodinus lib. 3. de Rep. Non aliam, inquit, ob cauſam Theologi veteres ac Poëtæ Palladem Ioui decumbenti aſſidere finxerunt, non Palladi Iouem, quam vt intelligamus Principi ſemper adeſſe Senatum, non autem Principem domicilio Senatus affixum eſſe oportere, quod à Principis Maieſtate non modò alienum ſit, ſed omninò fieri non poſſit. Turcarum Princeps, vt idem refert, & Senatui & conſilijs ſuis intimis rarius intereſſe conſueuit, ſed in interiore ac proximo Senatus habendi loco ferè ſemper conſiſtit, aut conſiſtere putatur; feneſtra, quam periculoſam appellant, ſic affabre facta, vt omnes omnium ſententias audire, geſtus etiam vniuſcuiuſque contemplari, nec tamen ipſe videri poſſit. Deliberata autem in conſilio ei referuntur à Præſide, qui Baſſavisir nuncupatur. Nec temerè opinioni Conſilij ſui refragatur, ſed illam confirmat laudatque, niſi quod nonnunquam de ea nonnihil detrahit. Hoc modo fieri videtur vt Conſiliarij, qui Principem ſe aſſiduè intueri putant, in officio contineantur. Tutius tamen & conſultius putamus, ſi liberiore & apertiore facie grauioribus conſultationibus interſit. Commendatur Adrianus Imp. quod Senatui legitimo, eum in vrbe vel extra vrbem eſſet, ſemper interfuerit, vt Ælius Spart. in eius vita teſtatur. Iacobus Rex magnæ Britanniæ, vt refert Lauterbachius in Princip. Chriſt. cap. 6. Henricum filium monebat, vt à conſilijs ſecretioribus rarius abeſſet: nec enim Principes tantâ obrutos eſſe mole negotiorum, quin Conſilijs omnibus ipſi poſſint intereſſe, aut præeſſe. Ita verò intereſſe eos conuenit, inquit Lipſius 3. Polit. c. 8. vt audiant Conſiliarios eum iudicio, & tamen ſine pertinacia. Nimirum vt quæcumqúe dicuntur, diligenter expendant & recta conſilia libenter amplectantur. *Sapientiſſimum eſſe dicunt eum*, ait Cic. pro Cluentio, *cui quod opus eſt veniat in mentem; proximè accedere eum, qui alterius benè inuentis obtemperat.* Liuius autem lib. 36. *Sæpè audiui eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quod in rem ſit; ſecundum qui benè momenti obediat; qui neque ipſi conſulere neque alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenij.*

Mos Turcarum.

Melius eſt vt interſit.

Quomodo interſint.

CAPVT III.

Quomodo ſe habere Conſiliarij debeant in ſententia dicenda.

Liberè, & cum veritate.

VT mente liberâ ſententiam dicant, & in ea dicenda propoſitam veritatem habeant. Cùm libertas non adeſt, à vero plerumque recedunt, cautè diſſimulant, publicè vtilia reticent, & ſatis eſt non offendiſſe. Cùm liberi ſunt, quam optimam iudicant ſententiam, dicunt. Qui veritatis amantes non ſunt, Principem & Rempublicam falſis opinionibus peſſumdant. Nullus periculi metus à veritate dimouere Conſiliarium debet: nec attendere an à plurium ſententijs diſſentiat, cùm propter alios numquam ſit à veritate recedendum. Hâc auditâ ſuam fortè alij ſententiam mutabunt. Porrò Conſiliarij oratio non ad pompam & theatrûm compoſita eſſe debet, ſed pura, ſimplex, dilucida, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantiâ, ſed nec intermiſſa gratiâ. In ea ſit venuſtas cum breuitate verborumque grauitate, vt ſit grata pulchritudine ſuâ; nec auditoribus viris grauibus moleſta ſuâ prolixitate.

Qualis eorum oratio.

Authoritates & Exempla.

LIberè inprimis dicere debent, deinde verè. Laudatur à Valerio Max. Aulus Cæſellius, cuius in dicendo libertas tanta fuit, vt nullius gratiâ aut auctoritate compelli potuerit, vt de aliqua earum rerum, quas Triumviri dederant, formulam componeret. Talis etiam fuit Theodorus ille, de quo apud Ammianum, cuius linguam non effrenem, ſed deſpicientem quæ loqueretur, nullus claudebat periculi metus. Non attendere debet Conſiliarius an diſſentiat à maiori parte, neque propter alios à veritate recedendum eſt, quâ auditâ fortaſſis alij ſententiam ſuam mutabunt. Plinius, *Vidimus*, inquit, *Curiam elinguem, in qua dicere quod velles periculoſum; quod nolles miſerum; quis antea loqui, quis hiſcere audebat præter miſeros illos, qui primi interrogabantur? cæteri quidem defixi & attoniti, ipſam illam mutam & ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem, quam cum animi dolore perpetiebantur, vnus ſolus cenſebat, quod ſequerentur omnes.* Eſt tamen periculoſum Principi, vt monet Petrus Gregorius fidere vnius vel alterius ſententiæ, propter incertitudinem voluntatum adulatorum aut proditorum, quibus vt vermibus ſcatet Aula Principum. Hinc Philippus Cominæus monet Principes, vt plures habeant Conſiliarios, nec vni cuipiam ex illis ſolis committant ſuorum negotiorum directionem. Præterea vt omnes, qui à conſilijs ſunt, fere ſint æquales; alioquin enim ſi vni pluſquam alijs, fauere videatur, is alijs imperare volet, minuſque liberæ erunt in conſulendo voces; alij etiam metuent, ne ſententiæ iſtius apud Principem gratioſi aduerſentur. Quod ſi quis animo ſit timidiori, erigendus eſt à Principe, & ad dicendum ei alacritas eſt inijcienda. Porrò quicumque ſententiam dicit in deliberatione, debet inprimis vti naturali quadam coniectandi vi, imò etiam artificio è logica petito; deinde peritia artis Politicæ, conſuetudinum & iuris ſcientia; inſuper exemplis tam priſci quam noſtri æui, partim ex propria experientia, partim ex relationibus, & peregrinatione hauſtis. Quod attinet ad orationem Conſiliarij, M. Cic. *In conſeſſu*, inquit, *Senatus minori cum apparatu, quam in Concione dicendum eſt; vitanda eſt ingenij ac oſtentationis ſuſpicio. Vtendum laconicâ breuitate, vt ſit omnibus dicendi locus, & ne alios audiendo, ſeipſum loquendo defatigetis, qui ſententiam ſuam explicat. Prolixitas*, inquit Plutarchus, *in ſententijs dicendis declinanda, ſtudendum breuitati eſt.* Inter Senatoris autem iuſſa illa Cic. recenſet, *vt vocatus compareat, dicat & loco, hoc eſt rogatus, & modo, ne ſit infinitus, quod multis*

Non diſſentiendum à veritate.

Monitum.

Qualis Oratio Conſiliarij.

multis dicendum. Si aſſentiendum ſit dictæ iam ab alio ſententiæ, id paucis verbis fiat, nec phalerata oratione quicquam repetatur. Si diſſentiendum ſit, id cum animi tranquillitate ſummaque humanitate fiat, non contentioſè clamoſeque, non obluctando aut maledicendo. Inutiles verò ſunt pædatij iſti Conſiliatij, qui non quid dicatur perpendunt, ſed quis dicat, attendunt. Hi anſeres imitantur, quorum vno clangente & glocitante omnes reliqui ilicò clangunt & glocitant. Authoritatem non veritatem ſequuntur, & offendere verentur.

CAPVT IV.

An in dicta ſententia perſiſtere conſtantes, nec quicquam mutare Conſiliarij debeant?

Mutare turpe non eſt, cùm alia melior apparet.

COnſtantia in Conſiliarijs, non pertinacia laudatur; nec eſt niſi ſummæ ſapientiæ, quod dictum malè, mutare; cùm ſatius profectò ſit è medio curſu recurrere, quàm malè currere. Nec turpe eſt conſilium mutare; nam rebus aptari conſilia debent, & minimis nonnunquam momentis maximæ fiunt temporum inclinationes, ad quas attendere Conſiliarios oportet. Cùm bona prudenſque ſententia dicta eſt, nec alia melior apparet, figere gradum, & conſtanti animo ſtare opotet, nec à ſententia vel latum vnguem, potiſſimùm cùm de Religione pietateque agitur, recedere. Sapientiæ magna pars eſt leuiter aliquando à via deflectere, vt violentus vitetur occurſus; nec propria leuitate mutari, ſed pro temporum ratione.

Cùm bona eſt, ſtandum eſt.

Teſtimonia & Exempla.

Teſtimonia.

ZEno Stoicorum Princeps *Sapientem* ait *mutare ſententiam nunquam debere*. Melius verò Lucianus ſtatuit, *ſatius eſſe recurrere è medio curſu, quam malè currere.* C. pro Cn. Plancio. *Non inconſtantis*, inquit, *puto ſententiam, tanquam aliquod nauigium, ex Reip. tempeſtate moderari.* Quippè ſapientiæ quædam pars eſt, leuiter deſipere, & paululum extra rectam viam ire ad vitandum violentum aliquem occurſum. Hinc Leonidas cuidam obijcienti, quod facilè mutaretur, *mutor*, inquit, *ſed pro temporum ratione, non vt vos, proprio morbo.* Senſit nimirum pro re & tempore varianda eſſe conſilia, vt diuerſis negotijs in vſum aliorum nos accommodemus. Pro hac re pulchrè D. Auguſtinus, *Turpe eſt mutare ſententiam, ſed veram & rectam; nam ſtultam & noxiam laudabile & ſalubre eſt. Sicut autem conſtantia non ſinit hominem deprauari, ſic pervicacia non ſinit corrigi; proinde ſicut illa laudanda, ſic iſta eſt emendanda.* Grauiter iterum & verè Cic. *Nemo doctus vnquam mutationem conſilij in melius, inconſtantiam eſſe dixit.* Vbi autem mutari in melius ſententia non poteſt, conſtantiſſimus ſit oportet Conſiliarius.

Exempla.

Q. Sceuola Augur rogatus ſententiam pro Mario hoſte iudicando, ita conſtanter Scyllæ reſpondit. *Licet mihi agmina militum, quibus Curiam circumdediſti, oſtentes, licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, vt propter exiguum ſenilemque ſanguinem meum, Marium, à quo vrbs & Italia conſeruata eſt, hoſtem iudicem.* Vnde rectè Dio lib. 42. *Conſilijs iuxta metum non eſt locus, is enim animos hominum deijcit, rationemq́ conturbat, vt ad ferendam de eo, quod agendum, ſententiam minus valeant. Itaque vbi animum conſilia anteceperunt, ſtrenue admodum timores exturbant, ſi anteuertantur ab his, ſuccumbunt.*

CAPVT V.

Quid præſtare Conſiliarij conſulendo teneantur, & an puniendi, cùm malè conſilium cedit?

Fidem, non euentum.

PRæſtare Conſiliarij fidem, non euentum tenentur; neque enim in eorum eſt manu euentus. Optimum interdum Conſilium parum proſperum eſt, & ſæpè bonis initijs mali ſuccedunt euentus, quod pleraſque res ſuâ libidine fortuna verſet. An ergò puniendi illi, quorum male conſilium ceſſit? Nequaquam ſanè. Nam ea conſilia ſupplicijs vindicanda non ſunt, etſi fortunam ſiniſtram ſortita, quæ non doloſo inſidioſoque animo ſunt ſuſcepta. Et ſi malè ſuaſiſſe periculum eſt, deerunt ſanè qui ſuadebunt. Probare Principes conſilia debent voluntate, non euentu ponderare. Reputare quoque apud ſe, incertos eſſe rerum omnium exitus, & aliquando multa malè conſulta, cùm aduerſarios inconſultiores nacta ſunt, felicem euentum habuiſſe. Imò etiam admodum conſultum eſt boni Conſiliarij induſtriam fidemque aliquando muneribus & honoribus ornare. Aliquando, inquam, non ſemper; ne propoſitis in medium præmijs Conſiliorum quædam inſtituta nundinatio videatur; & vt in fide, officio, diligentiaque contineantur. Quod ſi autem doloſo animo conſilia ſint data, hæc profectò pœnam repoſcunt; ſiquidem crimen nullum tam duram animaduetſionem, quàm conſilium doloſum requirit. Nullum eſſe perfidiæ perfugium debet. Indignationi populari litat, qui mali doloſique conſilij auctorem punit.

Nec puniendi ſi malè conſilia ceſſerint.

Teſtimonia & Authoritates.

PRæſtare fidem debere, non euentum, hic reſpondemus, etſi mos ille ſit Principum, cum malè conſilium cadit, non alium, quam Conſiliartum accuſare, vt inquit Machiau.lib.3. de Rep. Barbarus Ottomannicæ Aulæ, vt ibidem refert, mos eſt, quo etiam capite luunt, quorum conſilijs euentus non reſpondet, vt teſtatum ipſe Selymi Imperatoris Turcarum exemplo facit. Perſarum etiam inſtitutum fuit, vt Conſiliarijs ſingulis tegula aurea, cui inſiſterent, ſubijceretur, & quam prœmij loco ſecum aſportarent, ſi conſilium re eſſet comprobatum; ſi verò ſecus conſuluiſſent, mulctarentur, vt refert Ælianus in varia hiſtoria. Cogitare debent Principes non rarum eſſe, vt bonis initijs mali ſuccedant euentus, quia vt ait Saluſtius in Catil. *Pleraſq; res fortuna ex libidine ſua agitat.* Imò *centum Doctorum hominum conſilia ſola hæc deuincit Dea*, vt ait Plautus. Artabanus apud Herodotum lib. 6. ita reſpondet: *Rei ex conſilio geſtæ latus plerumque eſt exitus. Nam etiam ſi quid è contrario euenturum eſt, nihil tamen minus benè conſultum eſt, ſuperauitq; fortuna Conſilium. At qui turpiter conſultauit, ſi ei fortuna obſecundauit, ille eſt quidem voti compos, nihil tamen minus malè conſilium cepit.* Quare conſilia, quæ ſiniſtrum euentum fortunamque ſortita, ſi non doloſo & inſidioſo animo ſuſcepta ſunt, ſupplicijs non vindicanda, cum euentus in manu conſultoris non ſit. Sententia ea Ciceronis eſt ad Atticum, *Qui conſilium dat, præſtare fidem; non euentum debet.* Hæc ſententia dicitur eſſe Curiæ Hedelbergenſi inſcripta. Idem Cic. pro Rabirio: *Laudanda magis ſunt Conſilia cauta cum ratione, etiamſi non ſuccedant, quam fauſta euentu quidem, ſed temeraria & ratione carentia.* Sincerè ſuadens culpâ de iure vacat, aliter

Mos Turcarum barbarus.

Perſarum.

Mouitum,

aliter licet res cadat ac putabatur. Huc pertinet, quod in Andriâ Terentij dicit ille ſeruus:

——— Hoc tibi pro ſeruitio debeo,
Conari manibus pedibuſq;,
Tuum eſt ſi quid præter ſpem euenit cognoſcere.

Doloſum Conſilium puniendum. Omnium autem criminum nullum ferè duriorem meretur animaduerſionem & accuratiorem requirit inquiſitionem, quam doloſum Conſilium. Hinc Carthaginenſes mala conſilia puniebant, etſi benè ſuccederent. Sicut Romani contra præmijs belli Duces afficiebant, etſi ex eorum conſilio non benè geſta res eſſet, *quod animaduerterent non animi doloſi conſilium fuiſſe.* Alioquin ſi periculum ſit ſuadere, defuturi ſunt qui ſuadeant.

CAPVT VI.

Quid attendere Principes in ſententiarum examine debeant?

CErtè non tam attendere ſuffragantium numerum & auctoritatem debent, quàm conſiliorum vim, pondus, ac bonitatem æſtimare. Quia verò in Principum Conſilijs plerumque ſunt probi ſapienteſque viri, id videri meliùs poteſt, quod pluribus eſt viſum. In populari id Imperio euenire ſolet, vt optimorum bona pars non rarò à deteriore ſuperetur, dum in eo homines eiuſmodi reperiuntur, qui nihil ſuo iudicio pronuntiant, & ſententijs ſuis placere tantùm ac gratificari ei audent, quem in altiori poſitum loco animaduertunt. Non inconſultum eſt ſæpiùs aliquid deliberandum decernendumque committere, & quod melius ſtatuetur, ſequi. *Præmijs aliquando afficiendi.*

Authoritas & Exemplum.

COnſiliariorum vim & pondus æſtimare debent, non ſuffragantium numerum aut auctoritatem. Fieri quidem ſolet in Ariſtocratico & populari imperio, vt optimorum bona pars plerumque à deteriore ſuperetur, ſed etiam talia conſilia præter numerum plerumque nihil habent rationis. Nam vt Cominæi authoritas. teſtatur Cominæus, in omnibus ferè conuentibus non deſunt, qui nihil quidem ipſi ex ſe pronuntient, ſed aliorum iudicia, etſi nihil intelligant, ſequuntur, eoque ipſo placere ſæpè ſtudeant, & gratificari ei, quem vident in altiori poſitum eſſe loco. Cui incommodo Veneti prudentiſſimè occurrentes ſummæ quæque in Rep. Septemviris deliberanda ſæpiuſque decernenda committunt, quorum meliorem ſuadam ſequuntur. *Exemplū Venetorum.*

CAPVT VII.

Quid Conſiliarij capto iam conſilio præſtare debeant.

CVm parum ſit rectè deliberare conſulereque, niſi conſilia ſilentio obſignentur, capto iam conſilio præſtare Conſiliarij taciturnitatem debent. Hæc tutiſſimum & optimum eſt rerum adminiſtrandarum vinculum. Sunt Conſiliarij pars quædam corporis ipſius Principis, ideóque mentem ac voluntatem eius exponere non niſi eius voce debent. Sapientiſſima res eſt ſilentium tempeſtiuum; & multò diligentius *Præſtare debent taciturnitatem.*

tius tuenda ſunt depoſita verborum, quàm pecuniarum. Quod ſi cuiquam tacere graue eſt, ſuſtineri ab eo res magnæ non poſſunt. Sæpe in conuiuijs lubrico libertatis peccatur; in ijs ergò Conſiliarij caueant de arcanis loqui, & linguam contineant. Diſſenſio etiam Conſiliariorum aliquando facit, vt ſuas ſententias in mutuum deſpectum aperiant. Dent operam vt diſcordes ac peruicaces non ſint. Fœminæ quoque vim quandam habent ad eliciendã animi arcana; etſi tacere nihil poſſint. Cauendum igitur etiam ab illis.

Teſtimonia & Exempla.

PRæſtare debent taciturnitatem, cum parum ſit rectè conſulere, niſi conſilia arcana ſilentio obſignentur. Eccleſ. cap. *homo ſapiens tacebit vſque ad tempus.* Tob. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* Ideo Conſiliarios, vt cum Tacito dicam 1. Hiſt. *tam neſcire quædam quam ſcire oportet.* Comicus Græcus Anaxander.

Commiſſa cui ſunt verba ceu depoſitum
Si retegit eſt iniquus, aut garrulus
Si ſpe lucri eſt iniquus, hac ſine garrulus,
Cenſendus autem vterq; pariter improbus.

Teſtimonia. Lyſimachus Rex vt eſt apud Bruſonum lib. 6. vt oſtenderet liberalitatem ſuam Philippiadæ Poëtæ dicebat, *Quid tibi vis impartiam rerum mearum? Quodcunque,* inquit, *voles modo ne arcani quippiam.* Tales eſſe Conſiliarij debent, qualis Demoſthenes, cui cum oris fœtor obijceretur, *benè dicis*, inquit, *multa enim in eo ſecreta computruerunt.* Apud Perſas, Ægyptios, Romanos, pœnæ in eos ci constitutæ, qui arcana conſilia reuelaſſent. Id ne fieri facile poſſit cautiones hic aliquas poſuimus, nimirum vt in conuitijs linguam contineant, & à fœminis ſibi caueant. Vnde ſcriptura monet. *Ab eâ quæ dormit in Sinu tuo cuſtodias clauſtra oris tui.* Monitum. Multæ quippè conſultationes per mulieres factæ ſunt publicæ. Refert Iuſtinus de veteribus illis. *Illis fortior taciturnitatis cura, quam vita celebrata erat, ſæpè tormentis pro ſilentio rerum creditarum immortui ſunt.* Ita Pompeius Legatus à Gentio Rege interceptus, priuſquam Senatus ſui arcana reuelaret, mori non recuſabat, idque vt Regi oſtenderet ardenti lucernæ digitum cremandum præbuit. Nec tamen lingua ſilere, ſed etiam mente oportet. Silere lingua & mente oportet. Nam, multi teſte, Polybio ſermone quidem celantes ipſo aſpectu & vultu aut factorum aliquo reuelarunt ſecreta. Spirenſis Conſiſtorij conſtitutio talis eſt. *In Senatu geſta, dicta, iudicata æterno ſilentio teguntor, nihil iniuſſu Cæſaris reuelanto.* In Conſiliario igitur

Lingua ſuos habeat frænos in corde ligatos.

CAPVT VIII.

Quid vitare Conſiliarij in Conſilio dando debeant.

Vitare affectus omnes debent. Iram. HOc vnum, ſed maximum, vt nullo omninò affectu prauo perturbati ſententiam ſuam exponant. Nam qui de rebus dubijs conſultant, vacui eſſe affectibus debent, vt nec odio, nec irâ, nec amicitiâ, nec miſericordiâ ducantur. Vbi iſta officiunt, haud facilè animus verum prouidet. Refrænanda inprimis ira, hæc enim rationem turbat, & res maiores non niſi per nebulam videre ſinit.

Diſcordiam. II. Tollenda diſcordia & peruicacia, vtraque conſilijs eſt inimica, & nemini cedere, omnibuſque refragari facit. Tantum per eas videtur, quantum lubet. Vbi adſunt, pugna potius eſt, quàm conſilium, & dum vincere omnes volunt, nihil conſtituitur. Nihil concordi Senatu ad Rempublicam tuendam eſt firmius. Vbi diſſenſio oritur, diſſimu-

diſſimulare oportet, & cum quadam patientia in ſententia remanere.

Auaritiam.

III. Pecuniæ & lucri ſtudium, vel maximè Conſiliarijs eſt vitandum. Mater enim omnium ſcelerum eſt auaritia, & rarò benè conſulit, qui pro lucro ſapiens eſt. Vbi fides integra & ſinceritas, ibi nulla corruptela.

Celeritatem.

IV. Vitanda etiam celeritas. Nam quæ ſeſtinata res eſt, examinata eſſe non poteſt; & nimiam celeritatem non rarò pœnitentia ſequitur, quod præcipitata reuocari conſilia non poſſint: Feſtinandum hîc lentè. Niſi tamen celeritatem neceſſitas requirat. Moderata conſilia calidis iſtis & inconſultis ſunt anteponenda. Et cùm Principum felicitas in conſilijs & executione conſiſtat, in illis iudicio opus eſt, in hac celeritate. Maturum illud Conſilium eſt, in quo timor & cunctatio reperiuntur; prudentiæ verò nouercæ ſunt, Præcipitatio, Affectus animi, Pertinacia, Arrogantia.

Incipiendi ab ope diuina.

Ita verò agant Conſiliarij. Primò, vt à diuino Numine Conſilium auſpicentur. Secundò, vt ad rerum circumſtantias attendant, & eas multùm ponderent. Tertiò, vt rem apud ſe examinatam cum alijs conferant conſultoribus. Quartò, vt conſultationi ſpatium dent, & moram interponant.

Teſtimonia & Exempla.

VItare affectus omnes debent. Quia, vt inquit Cæſar apud Saluſtium. *Omnes homines qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facilè animus verum prouidet, vbi illa officiunt, neque quiſquam omnium libidini ſimul & vſui paruit:* vbi intenderis ingenium valet; ſi libido poſſidet, ea dominatur, animus nihil valet. *Magna mihi copia eſt commemorandi. P. C. qui Reges aut populi, irâ aut miſericordiâ impulſi malè conſuluerunt.* Vnde non immeritò Liuius ſeribit ex priuatis affectionibus omnem ferè vitæ humanæ pernitiem naſci. Vitanda inprimis ira. Quippè vt ait Simplicius *Ira mentis omne conſilium premit.* Et ſecundum Claudianum Manlij Thed.

Affectus mali ſunt Conſiliarij.

—— Dijs proximus ille eſt,
Quem ratio non ira mouet.

Nihil diligenter in fluctu cernitur, inquit Sen. lib. 2. de irâ. Quod Cic. 2. offic. dixit, *Cum quâ nihil rectè, nihil conſiderate fieri poteſt.* Hinc vt refert Panormitanus lib. 3. Alphonſus Rex Aragoniæ identidem dicebat, ſi ſe naſci Romanorum temporibus contigiſſet, conſtructurum fuiſſe è regione Curiæ templum Ioui Poſitorio, in quo priuſquam in Senatum venirent Patres conſcripti, iram, odium, amorem, ac priuatos omnes affectus deponerent.

Menander —— *Haud tuta in ira conſilia capi queunt.*

Vitanda 2. *diſcordia; quæ eſt illa nauigatio*, inquit Lipſius, *in quâ remiges & nautæ in vna naui aliqua digladiantur: eadem erit conſultatio, in qua de communi re abſque communione animorum conſultatur.* Prouerb. dicitur, *Rem communem ſine communione animorum nunquam rectè adminiſtrari. Pereniquum verò eſt*, inquit Appianus, *propter priuatas ſimultates Remp. in diſcrimen adducere, nec abutendum occaſione ad explenda odia, ſed potius Reip. ſunt donanda priuata iniuria.* Hæc diſcordia facit, vt ſibi credere inuicem Conſiliarij non velint; ſi quis ſalutare Reip. Conſilium attulit, alius culpat, cautelos excogitat, correctiunculas addit, veritatem diſputationum labyrinthis inuoluit, aut præſtigijs philoſophicis dictam ſententiam eludit. *Nihil concordi Collegio firmius eſt, ad tuendam propagandamq́; Remp.* vt dicebat Q. Fab. Max. Ideircò in templo concordiæ Senatus olim Romæ frequentius habebatur; exiſtimabant enim Romani, vt ait Val. Max. lib. 4. c. 2. *non oportere eos priuatis odijs diſsidere, qui publicè ſummâ eſſent iuncti poteſtate.* Dicam ergò cum Prudentio.

Concordes ſunt Senatoris.

——Sciſſura domeſtica turbat
Rem populi, titubatq́; foris, quod diſsidet intus.
Ergò cauete viri ne ſit ſententia diſcors,
Senſibus in veſtris.

Vitanda 3. Auaritia. Scriptura ſacra de filijs Samuëlis ait, *Declinauerunt poſt aua-*

Ne ſint auari. *ritiam, acceperunt munera, peruertunt iudicium.* Quo in loco D. Gregorius notandum monet; *quia ardor auaritiæ cauſa eſt accipiendorum munerum, & acceptio munerum cauſa eſt peruertendi iudicij.* Iuuenalis Saty. 14.

—— Sed quæ reuerentia legum,
Quis metus, aut pudor eſt vnquam properantis auari?

Eodem loco aſſeruit Demoſthenes contra Ariſtocratem, *non ille apud eos, quorum omnia ſtudia & cogitationes ad auaritiam referuntur, quicquam vel firmi vel ſancti.* Vnde Eccleſ. cap. x. *Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam; hic enim & animam ſuam venalem habet.* Monitum. Quam ob cauſam vt refert Ariſtoteles 7. Polit. cap. x. nonnulli populi olim proinde cauerunt, ne qui agros hoſtibus finitimos haberent, in conſilium de bello adhiberentur, quod cum finitimis ſuſcipiendum erat; quaſi rei priuatæ aſpectus impediat, quominus quis prudens capere conſilium poſſit. Quâ in re magna laus eſt Conſalui de Cordua, vt legimus apud Paulum Iouium. Is ne ſiniſtram de ſe opinionem concitaret apud Fredericum Catholicum Regem in Neapolitanos bellum parantem, vltro bona ſua, quæ in eo regno habebat, Regi ceſſit, à quo paulò ante acceperat. Incorrupti omnino eſſe debent Conſiliarij, & tales quibus Eleazarus Comes, de quo Plautus lib. de Cardinalium dignitate & officio, qui conſtanter maxima quotidie numera recuſabat; & cum ſine culpa accipere aliquando poſſet, nolebat tamen, ne ſuo alij exemplo tum acciperēt, cum ſine culpa accipere non poſſent. Exemplum. Quodam die ita orare in cubiculo ſuo auditus eſt, *Domine tu mihi in cælo debes centum auri vncias, itemq; duos pannos purpureos,* cumque interrogaretur quid hoc ſibi vellet, reſpondit, ſe illo die munera iſta oblata reſpuiſſe.

Vitanda quartò Celeritas eſt. Cum ab Ageſilao Legati Thebanorum, vt citò reſponſum daret, poſtularent, *Annon,* inquit teſte Plutarcho, *ſcitis cum ſeria res agitur, in morâ multum eſſe conſilij?* Liuius lib. 31. *Omnia non properanti clara certaq; ſunt, feſtinatio verò improuida eſt & cæca.* Nihil præcipitandum. Ideo Alexander Seuerus re Conſiliarijs ſuis propoſita, ſpatium illis ad diſquirendum cogitandumque dabat, ne de rebus ſæpè ingentibus ſententias nulla præuia meditatione dicere cogerentur. De hac re plura lib. 1.

CAPVT IX.

An Conſiliarij non requiſiti monere & Conſulere debeant.

Conſulare debent etſi non requiſiti. DIci vulgò ſolet, ad Conſilium ne acceſſeris, antequam voceris. Nihilominùs cùm magni momenti res agitantur, & agitur publicum bonum, Conſiliarij, etiam non rogati, monebunt, & ſi quid ſubeſſe poſſit, denuntiabunt. Ita exigit eorum officium, & neceſſitas cogit.

Confirmatio per Exempla.

OMnino ſi neceſſitas ita exigat. Illuſtre exemplum eſt Heluidij Priſci apud Dionem Caſſium, & Fulgoſium lib. 3. Cum Veſpaſianus ad eum miſiſſet ne in Senatum veniret, *penes te*, inquit, eſt, ô Imperator, ne me Senatorem eſſe patiatis, quamdiu autem me loco non moues, eſt in Curiam mihi veniendum. Exemplum Helmidij. Age, at ingreſſus taceto, inquit Imperator. Ne me roga reſpondit, & tacebo. At eſt mihi Imp. rogandum; & dicendum mihi inquit ipſe, quod rectum putauero. Verum ſi dixeris, ait Imp. occidam te. Quando ego dixi tibi me immortalem eſſe? tu tuum facies, ego meum; tuum eſt occidere, meum eſt mori non trementem reſpondit. Laudandus Hiero Rex, qui neminem ſibi importunum eſſe dicebat, qui liberè loqueretur, teſte Plutarcho in Apohe: Laudandus eſt Theodoſius, qui facilius ferebat arguentem, quam adulantem, vt teſtatur D. Ambroſius in Orat. Funeb. Theod. Non omnes tamen eiuſmodi

ſunt

ſunt Principes. Senatores Romani ſi exigeret neceſſitas, vltrò poſtulabant, vt de Rep. dicere liceret. Vnde Tacitus lib. 13. Annal. *Licebat Patribus*, ait, *quoties ius dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ vellent expromere, relationemq́, in eâ poſtulare.* Imò teſte Alexand. ab Alex. lib. 4. licuit illis ante ordinem dicendi, de Rep. ordinem poſtulare. Benè tamen monet Hyppolitus à Collibus, ne Conſiliarius Principi ſit importunus aut imperioſus, ſed talis, qui fluxu obliquo agat, & occaſionem attendens Principem oportunè moneat. Reuerentiæ enim Principibus debitæ obliuiſci non debent. Mollienda præcipuè colore aliquo orationis aſperitas ex monito, vt ait Quintil. lib. 11. Inſtit. Oratoriarum cap. 1. Nam vt Principem admonitio amica & lenis plerumque flectit, ita acerba & importuna obiurgatio exaſperat.

Monitum.

CAPVT X.

An accedere ad Curiam debeant, cùm id agitur, cui aſſentiri, ſaluâ Conſcientiâ non poſſunt.

CVm boni publici causâ Conſiliarij etiam non vocati Conſilium dare teneantur, certè effugere occaſionem, ne rogentur, ſaluâ fide non poſſunt. Quippè grauiorum rerum occaſio veros Conſiliarios ab alijs diſtinguit; & qui veri ſunt, quò periculoſiora inſtant negotia, eò ad iuuandam Rempublicam ſeſe magis accingunt. Nec timendum eſt, ne aſſentiri alicui negotio contra conſcientiam cogantur. Liberè enim dicere, &, ſi opus ſit, licet diſſentire.

Debent accedere, ſed non aſſentiri.

Auctoritas cum Exemplo.

ACcedere omninò debent, ſed non aſſentiri. Nec refert quod pſalmo 1. dicatur, *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum.* Item Eccleſiaſtici cap. 11. *In iudicio peccantium ne conſiſtas.* Vtrobique enim de ijs eſt ſermo, qui impij & fraudulenti conſilij ſunt conſortes, non verò de ijs, qui officij ratione Conſilijs inteſſunt. *Boni Senatoris eſt ſemper in Senatum venire*, vt inquit Cic. Orat. pro domo ſua, & ſupra Priſci Heluidij exemplo declaratum eſt. Nec debet eſſe maior metus Principis in iuſta cauſa, quam amor Patriæ. Potiſſimum cum venire ad Senatum tantùm teneantur, ac veritatem liberè tueri; non autem aſſentiri.

TITVLVS IV.

De Principum officio erga Conſiliarios.

CAPVT I.

Quæ Conſilia Principes, vt ſtatum ſuum conſeruent, habere debeant.

1. Vnum Statuum Conſilium, in quo Eccleſiaſtici. Viri Nobiles. Iuriſperiti. Ex legati. Ærarij Præfecti.

NECESSARIVM eſt, vt plura Conſilia officio, negotijs, ac miniſterijs diuerſa Principes conſtituant. Inprimis verò ad conſeruationem Regni totius ac ſtatus Conſilium vnum ampliſſimum eſſe debet, in quo tria hominum genera reperiantur. Eccleſiaſtici primò ac Theologi, qui aduertant, ne quid detrimenti Religio capiat, eam, quâ valent prudentiâ promoueant, & maturo Conſilio Reip pacem procurent. Deinde Principes aliqui Regni, Duces, Comites, Illuſtres, Nobiles, qui ſcientiam experientiamque rei militaris habeant, vt de Patriæ munitionibus, de expeditionibus bellicis, de tota diſciplinæ militarls ratione rectè iudicent. Tum Iuriſperiti etiam, qui & doctrinâ celebres ſint, & probitate fideque famoſi, vt conſilia omnia & ſingulorum opiniones ad Iuſtitiæ ſtateram examinent, itaque agant, vt ſummâ æquitate omnia conſtituantur. Operæ pretium erit aliquos etiam huic Conſilio adſcribere, qui apud exteros perfuncti legationibus maxima cum laude ſua fuerint, cùm propter rerum diuerſarum notitiam, quam acquiſiuerunt, tum quia gentium externarum mores, Regum aliorum vires ac potentiam, locorum ac Rerumpublicarum rationes nouerunt. Adeſſe etiam aliqui ex ijs debent, qui Principis Ærario præſunt, vt eius vim explicent, ne conatus facultates excedant. Et hoc Conſilium Regni ipſius ac ſtatus eſſe poteſt, cuius Princeps aut Rex ſit caput.

2. Conſilium Sanctius. Eius officium.

Secuudò, Conſilium Sanctius, quod ſecretum aut priuatum vulgò dici ſolet, in quo viri ſint omni virtute ac doctrinâ exculti, Iuriſconſulti & Politici, qui Principis ſtatum penitus habeant exploratum, & omnes gubernandæ Reipublicæ rationes teneant. Huius Conſilij officium eſſe debet ea omnia curare, quæ ad Maieſtatem ſpectant, negotijs omnibus Politicis præeſſe, Principis ſeu Regis nomine ſubditis reſpondere. attendere vt Iuſtitiam ex legum præſcripto, qui Iudices ſunt, adminiſtrent, & qui in publicis ſunt Reipublicæ officijs, munere ſuo ſincerè caſtéque fungantur; omniumque querelas audire. Verbo dicam, in curas Principis venire, & onus eius ſuâ operâ ſubleuare. Et hoc conſilium aliorum Regni Conſiliorum & Iudicum eſt caput.

3. Conſilium quæſtorium. Eius Officium.

Tertiò, Conſilium quæſtorium, quod vulgò Finantiarum appellatur, & publicæ pecuniæ ſeu Principis Ærario præeſt, cùm ad reditus eius conſeruandos amplificandoſque conſtituatur. Eius munus eſt conſiderare quâ ratione confici pecuniæ poſſunt, quomodo tributa imponi & aliquando augeri, impenſas belli paciſque tempore curare. In eo

viri

viri eſſe debent magnæ fidei & auctoritatis, qui Politici ſint, & Oeconomiæ rationem accuratiſſimam teneant.

4. Militare Conſilium Eius officium.

Quartò, Conſilium militare, in quo viri ſint rei militaris ſcientiæ peritiſſimi. Ad illud ſpectat curare vt Regni Ciuitates muniantur, fineſque cuſtodiantur; deinde belli rationes omnes conſiderare, quæ in Principis potentia, exercitibus, & alijs ad bellum neceſſarijs conſiſtunt.

5. Conſilium legale & officium.

Quintò, Conſilium legale, in quo Iuriſperiti eſſe neceſſariò debent. Eius officium eſt ſubditorum difficultatibus circa leges aut conſuetudines receptas reſpondere, lites determinare, Iuſtitiam omnibus adminiſtrare, eaque omnia præſcribere, quæ ad legum diſciplinam, & Patriæ tranquillitatem ſpectant. Ideóque hi Conſiliarij etiam Iudices agunt. Plura verò eiuſmodi eſſe Conſilia ſolent, atque in ſingulis ferè prouincijs, cùm Rex aut Princeps aliquis plures ſuo Imperio Prouincias frænat, vt faciliùs & expeditiùs Iuſtitia ſubditis adminiſtretur.

6. Conſilium Rationum & eius officium.

Atque hæc quidem præcipua Regni alicuius eſſe Conſilia poſſunt. Et quanquam nonnulla alia quandoque inſtituta reperiantur, quæ vel Annonæ præſunt, vel cauſis criminalibus tantùm & pœnis infligendis, vel ad ſubditorum mores & vitam cenſoriâ quâdam auctoritate attendunt, tamen cùm hæc omnia præſtare ij poſſint, qui ad alia Conſilia ſunt adſcripti, vix opus eſt tantam eſſe Conſiliorum multitudinem.

Illud eſſe Conſilium ſextum poteſt, in quo omnium Quæſtorum rationes audiantur, Vectigalium redemptiones fiant, & bonorum Regiorum elocationes. Adeóque membrum quoddam ſit Quæſtorij Conſilij; & qui in eo ſunt, id agant, vt in Principis Ærarium pecunias publicas inſerant.

Varietas & Enumeratio Conſiliorum cum Ratione.

NVMERANTVR diuerſa ſex Concilia. Primum ſtatuum, 2. Sanctius, 3. Quæſtorium, 4. Militare, 5. Legale, 6. Rationum. Singulorum etiam officia deſignantur. Fundamentum verò & cauſa eſt negotiorum varietas, quæ vt diuerſos Conſiliarios in magnis Imperijs, regnis & Principatibus requirit; ita diuerſa quoque Concilia. Fieri enim non poteſt, vt iidem Conſiliarij omnia tractent in tantâ rerum diuerſitate, quam ob cauſam ea varietas Magiſtratuum, extitit olim apud Romanos. Dici de ijs, qui omnia agere volunt, poteſt, quod Athenis olim vulgato ſermone de Metiocho. *Methiocus exercitum ducit, Metiochus vias curat, Metiochus farinam tractat, Metiochus cunctis alijs praeeſt, Metiochus itaque plorabit.* Sanctioris Concilij iam etiam olim exempla fuerunt, vt teſte Bodino apud Ætolos, apud quos præter Panætolium Concilium Sanctius erat, in quo arcana Imperij tractabantur. Apud Carthaginenſes præter CCCC. Senatores, fuit aliud Conſilium XXX. Senatorum, qui diuturno rerum agendarum vſu prudentiaque præpollerent. Romani eo Conſilio caruerunt. Auguſtus omnium primus ex Senatoribus aliquot ſelegit, quibuſcum deliberaret de ijs, de quibus in Senatu decernendum eſſet. Poſt Auguſti mortem Tiberius à Senatu petijt viginti Senatores ſibi dari, à quibus Conſilium caperet de rebus ijs, quas ad Senatum referri oportebat. Horum deinde exempla ſecuti ſunt Imperatores poſteri, Galba, Traianus, Adrianus, Aurelius, Alexander Seuerus. Noſtrâ propemodum ætate Philippus II. Rex Catholicus Duciſſæ Parmenſi futuræ Belgicarum Prouinciarum Gubernatrici præter Concilium Status & Finantiarum, aliud arcanum conſtituit Conſilium, quod duodecim Iuriſconſultis conſtare voluit, cuius Præſes Viglius fuit. Hoc inſtitutum iam vbique ferè inoleuit. Apud Turcas tres ſolent eſſe intimi Conſiliarij, qui ad Imperatorem negotia omnia deferunt reſponſaque læta exequuntur.

Variarum Nationum exempla.

CAPVT II.

Quomodo ſe habere Principes debeant in Conſilijs ſeu Conſultationibus.

Dextrè ſententias Conſiliariorum eliciant. ITa ſe habeant oportet. Cùm omnibus dicendi libertatem conceſſerint, arte quâdam & occultâ dexteritate Conſiliariorum ſententias eliciant. Id facere varijs poſſunt modis: aliud quaſi agendo nunc ab hoc, nunc ab illo ſententiam exquirendo; vel per alium amicum aliquem eorum opiniones explorando; vel, cùm grauiores ſunt cauſæ, ſententias in ſcripto clauſiſque tabellis exigendo. *Suam reticeant.* Suam autem in Conſilio ſententiam reticere Principes debent, ne Conſiliarijs aſſentiendi neceſſitas fiat. Imò vtile quandoque eſt, aliquid rei gerendæ ſimile proponere, non verò rem ipſam patefacere, vt ſecreta eſſe poſſit. *Omnes dijudicent.* Nec eſſe ita procliues eos oportet, vt ſuorum ſententias ſtatim ſequantur, ſed accuratè Conſilia omnia dijudicent, vt quæ optima ſunt, intelligant. In omnibus autem honeſtatem & bonum publicum ſpectent, & à Conſilijs Aulæ peſtes, adulatores, repellant.

Teſtimonia & Explicatio.

ITa nimirum, vt dextrè Conſiliariorum ſententias eliciant, ſuam reticeant, omnes diiudicent. Orator Iſocrates. *Non aliorum*, inquit, *conſilia duntaxat otiosè audienda ſunt, ſed ipſi quoque Principes diligentiſſimè de rebus cogitare debent.* Sen. verò *Sapientis*, inquit, *eſt examinare Conſilia, & non cito facili credulitate, ad falſa prolabi.* Vt autem vera & recta eſſe conſilia poſſint, danda eſt Conſiliarijs libertas quidlibet, quod ad rem pertineat, dicendi. *Quomodo fiat diiudicatio ſententiarum.* Præterea in hac Conſiliorum dijudicatione non oportet vnum aliquem in oculis habere, & minus prudentis Conſilium Conſilio prudentioris anteponere. In eo peccauit Ottho Imperator, qui prudentiſſimum Paulini Conſilium contemnens, à quo ſtabant Marius Celſus, & Ant. Gallus, ambo militares viri, maluit fratris ſui Titiani & Proculi Præfecti Prætoriæ cohortis hominum rei militaris expertium conſilio auſcultare, non ſine ſuo aliorumque grandi periculo. Attendendum verò etiam ad adulationem à quâ ſincerum Conſilium nunquam procedit. *Sic habendum*, ait Cic. *nullam in amicitijs peſtem eſſe maiorem, quàm adulationem.* Adeò in hac diiudicatione ſententiarum non tam ad numerum attendere oportere, quàm ad pondus & rationem. Apologo id fit manifeſtum. *Apologus ad hanc rem.* Habuerunt quondam inter ſe humani corporis membra de ſole ſermonem, luciduſne an tenebricoſus eſſet; cumque omnia ex ordine ſententias dicerent ac tenebricoſum eſſe affirmarent, ſoli oculi lucidum eſſe pronuntiauerunt. Ratio hominis multitudine ſententiarum ab alijs membris dictarum reiecta, ſolis oculis ſubſcripſit ac ſecundum illos pronuntiauit. Irata ſunt membra alia, quod ſua multorum ſententia oculorum duorum ſententiæ poſthaberetur. Verum cum rogata eſſent diſcrimen facere inter lucem & tenebras, nec id poſſent ſine oculis, ceſſerunt ſententiæ oculorum, & rationis iudicia approbarunt. Idem omninò in Principum Conſilijs faciendum eſt, vbi ratio præualere, non numerus debet.

CAPVT III.

An Principes debeant ex ſingulis Prouincijs, & hominum Ordinibus Conſiliarios habere.

QVi pluribus imperant Prouincijs Principes, quantum fieri poteſt, ex ſingulis ſibi Conſiliarium aliquem eligant & adoptent. Et idcircò quidem, ne qui populi ab adminiſtratione & publicis apud Regem officijs ſeſe reijci ægrè ferant. Inde enim odium ſequitur, deinde libertatis ſtudium, mox conſurationes, & Principum externorum euocationes. Id verò vt facere Principes poſſint, diligenter inquirent, quinam in ſingulis Prouincijs quâcunque excellentiâ & prudentiâ ſint præditi, quive optimi præſtantiſſimique, eorum nomina ſcient, & nonnunquam ad ſe, ſed alio prætextu, accerſent. Ita fiet vt delectum facere Principes poſſint, & Populus ſollicitos de omnium honore Principes animaduertens, læto eos amore proſequatur. Neque Conſiliarios ex vno tantùm, ſed ex omnibus Regni Ordinibus habere operæ pretium eſt, ne quis contemni ſe putet, & ne vnus in alterius præiudicium aliquid conſtituat.

Habeant ex ſingulis prouincijs aliquos.

Item ex ſingulis ordinibus.

Ratio cum Authoritate.

ID planè expedire videtur, & modum hic docemus, potiſſimùm cùm talis eſt Rex, qui pluribus Prouincijs ac Gentibus dominatur. Cæteræ enim Prouinciæ, ex quibus nulli ad Conſilia vocantur, quaſi nullo in numero, ſed vili pretio à Principe habitæ, quaſique maxima iniuria affectæ ſeruitutis iugum faſtidientes ingenti indignatione ſthomantur, Principem odio habent, & libertatem quærunt, vt ait Hieronymus Eluerus in Conſualibus ſuis. Concilium totius regni cum ad omnes Prouincias deſtinatum deſignatumque ſit, conſtare ex omnibus debet. Et quælibet Prouincia facile aliquos habet virtute præditos, ſapientes, fideles, ad res gerendas aptos & idoneos. *Miſera terra indicatur ab omnibus, quæ nullum ſuorum in Conſilio Principis videat*, inquit Lipſius lib. 3. Polit. cap. 4. Quod attinet ad hominum ordines, optima & feliciſſima eſt illa Reſp. teſte Plutarcho, in qua Magiſtratus omnia ſua refert ad ſalutem Reip. nec aſpernatur quemquam, qui Reip. prodeſſe poſſit. Denegare aditum ad Honorem virtuti, quæ hominum ordinem non elegit, Tyranni eſt. Hinc conqueritur Plinius, quod cenſus Magiſtratus & Equites faciat, cum ſanctius & vtilius ſit inquirere, non quale patrimonium habeat Magiſtratus, ſed cuius exiſtimationis ſit, & anteactam quomodo vitam tranſegerit. Expers tumultus Reſp. aliqua eſſe non poteſt, in quâ ordo aliquis contemni ſe putat.

Ratio generalis.

CAPVT IV.

An ſit conſultum Conſiliariorum officia vendere.

IMmane profectò ſcelus eſt aut vendere, aut emere. Et Principes, qui officiorum ac poteſtatum mercatores patiuntur, damnare eos non poſſunt. Imò erubeſcere debent eos punire, qui emunt & vendunt. Quod virtuti debetur, haſtæ ſubiici non debet. Nec aliud eſt hæc officia vendere, quàm ambitionem ita nutrire, vt qui plus pecu-

Nunquam eſt Conſultum vendere officia.

niæ habet, præcedat, qui plus virtutis, ſequatur. Subeſt lucrum aliquod, ſed maius multò damnum. Illud dico, nunquam ea dignitas iuſtè pecuniâ poteſt acquiri, quæ virtuti debetur. Qui acquirunt, id agunt, vt pecuniam datam primò recuperent, tum vt lucrum faciant. Boni publici cura vel nulla eſt, vel poſtrema. Sicut autem vendere Conſiliorum officia Principes non debent, ita venales eſſe Conſiliarios non oportet. Venales illi ſunt, qui ab alijs Principibus munera, ſeu, vt vocant, Penſiones accipiunt. Nimirum, vt arcana omnia reuelent, & Conſiliorum præter omnem expectationem euentum impediant, Ad quos homines, quoniam nihil eſt ijs lethalius, attendere diligenter Principes debent.

Extermi-nandi illi, qui Penſiones ab alijs Principibus accipiunt.

Sit iſtud poſtremum monitum. Ament Principes Conſiliarios ſuos, ſed eos, qui plus Deum quàm Principem timent; nam qui ſolius Principis ducuntur reſpectu Idolatræ ſunt; qui ſolius Regni, Athæi & Machiauelliſtæ; qui ſui ipſius, Epicurei & voluptuarij; qui Pietatis & Iuſtitiæ, veri ſunt Regis & Regni conſeruatores. Hæc de Conſiliarijs, nunc verò de Legatis.

Amandi illi, qui plus Deũ, quàm Principem timent.

Auctoritas cum Ratione.

Eiuſmodi nundinationem ſcelus quoddam eſſe putamus. Reprehendit Ariſtoteles in Politicis Carthaginenſes, apud quos venalia erant officia. Alexius Angelicus Imp. vt tradit Nicetas lib. 2. initio ſui Imperij proclamari nec iuſſit, Magiſtratus nec vlla officia ſeſe venditurum, ſed delectu ex optimis habito, gratuito mandaturum. *Et verè pretium quod habet, hoc ipſo vileſcit* inquit Quintilianus lib. 12. Inſtit. Orator. Nundinationes eiuſmodi officiorum prohibuit Alexander Seuerus Imp. qui neceſſe eſſe dicebat, *vt qui emit vendat*. Infamia quædam Principis eſt, ab alijs pecuniam accipere, vt ab ijs conſilium accipiat. De hac re iterum Tit. 8. de Magiſtratibus.

De Legatis.

TITVLVS V.

De Qualitatibus Legatorum.

CAPVT I.

Quis Legatus, quæ Legatio, quæ neceſſitas & vtilitas.

Definitio Legati.

LEGATVS eſt, qui publico negotio conficiendo ſolemniter ab eo mittitur, qui ſupremam habet in Republica poteſtatem. Dicitur à legendo, quod publicè lectus mittatur; & aliquando Orator, nuntius, Interpres, (etſi generaliora ſint hæc nomina) appellatur. Legatio verò eſt mandatum publici negotij conficiendi à ſupremo Reip. Principe alicui datum. Porrò non ijdem ſunt Commiſſarius, Deputatus, Agens, Legatus. Nam Commiſſarius eſt, qui à ſupremo Principe ad ſubditos priuati, vt plurimùm, negotij cauſâ nec

Item legationis.

Qui Commiſſarius, Deputatus, Agens.

ſâ nec ſolemni modo mittitur. Deputatus, qui à ſubditis ad Principem mittitur. Agens ſeu Actor, qui à minoris Iuriſdictionis ac conditionis Principe, aut aliquo fidelitatis Sacramento adſtricto ad maiorem deſtinatur. Legatus autem, qui à ſupremo potenteque Principe ad alium ſolemniter mittitur. Et hic vel Ordinarius eſt, vel Extraordinarius. Ordinarius eſt, qui apud Principem alium ſupremum ad tempus certum, quod pro negotij neceſſitate, vel Principis voluntate protrahitur aut contrahitur, manet. Extraordinarius, qui exiguo tempore ac ſuper certâ tantùm expeditione hæret. Legatorum neceſſitas eſt occaſio negotiorum, quæ ex interuallo occurrunt, nec expediri, niſi per Legatos, maximè cum abſentibus poſſunt. Prolixum enim nec ſatis tutum eſſet Regum & Reip. arcana litteris, quæ intercipi poſſunt, mandare. Ipſos verò Principes, per aliena Regna vagari non decet. Vnde etiam vtilitas conſtat; & illud quoque manifeſtum ſit, eius eſſe tantùm Legatos mittere, qui ſupremam in Republica poteſtatem obtinet, adeóque nemini ſubditorum id eſſe conceſſum.

Legatus, vel Ordinarius, vel extraordinarius.

Neceſſitas & vtilitas.

Mittere eſt ſummi Principis.

Varia diſtinctio cum authoritate.

QVIS Legatus ſit, definitur; Legatorum genera varia explicantur, neceſſitas & vtilitas oſtenditur.

Legatum ita definit Carolus Paſchalius. *Legatus eſt is, qui lectu miſſuq; publico publicum negotium peregrè agit non militari manu, ſed eloquio & viribus ingenij.* Aliqui alij paulò aliter. Vulgus barbaro vocabulo, Ambaſſadores appellat, quod profluxiſſe videtur à Græca voce ἀμβαδίζειν, quod hinc atque inde vadere ſeu circircumambulare & commeare denotat; quamuis etiam mittere ſignificat. Guicciard. lib. 5. hiſt. *Oculos & aures regnorum vocat.* Poëta his Epithetis Legatum deſcribit.

——Vox Regum, lingua ſalutis,
Fœderis orator, pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hoſtis.

Cum autem duo ſint tempora belli & pacis. Qui belli tempore mittuntur ad pacem petendam vel offerendam, ad inducias conficiendas, ad arma reſumenda, ad captiuos & mortuos repetendos, aut quiduis aliud agendo. *Feciales* proprè, ſeu vulgò Heraldi dicuntur; vel etiam *Caduccatores* apud Feſtum. Qui pacis tempore communiter Legatos dicimus, mittunturque vel negotij vel officij aut honoris gratia Legatio propter negotium eſt v. g. quæ ad matrimonium contrahendum, vel auxilium petendum ſuſcipitur. Legatio propter officium eſt, ad quæ quis obligatur, vt Legatio Hiſpaniarum Regis ad Pontificem Romanum recens creatum, ratione regnorum Siciliæ & Neapolis, vt habet Guicciardinus lib. 7. Quemadmodum officij gratia gratulari tenentur ſuo Domino potentes etiam Vaſalli. Vnde cum hæc Legatio nexum habeat, exigi iure poteſt, ſi omittatur. Honoris cauſa Legatio eſt, quæ eſt ad gratulandum, vel condolendum. Hæc nihil iuris in ſe habet, quod deuincire mittentem poſſit. Recepto tamen iam more omitti non debet, ne ſimultatibus occaſio detur. Quippè eiuſmodi Legatio mutuæ amicitiæ teſtimonium eſt, vſitata potiſſimùm ad nouos Principes. Eiuſmodi honoraria Legatio fuit Hierami Regis Tyri ad Salomonem Iſraëlitarum Regem vnctum, vt habetur 1. Regum. Item Coſrhois Perſarum gratulatoria Legatio ad Iuſtinianum Imp. propter victoriam Africanam. Item Carthaginenſium ad Romanos propter ſuperatos Samnitas. Has Legationes, qui ſubeunt Extraordinarij Legati ſunt. Ordinarij verò qui longo tempore, donec qui mittit reuocet, apud externum Principem reſident. Tales vt ſcribit Gentilis lib. 2. c. 12. ſuo in regno nunquam pati voluit Henricus VII. Angliæ Rex; quia ſunt velut exploratores eorum, quæ alieno in Regno fiunt, vt ad ſuum Principem perſcribant. Hodie verò etiam Galliæ & Angliæ Legati ad Portam Ottomannicam reſident. Legationum cauſa non curioſitas tamen, ſed neceſſitas eſt. Imbecillitate enim & ſorte humanâ regnantes eo mittunt Legatos, quo ſe ipſi capeſſere nequeunt. *Alienâ Sapientia*, inquit Salomon Prouerb. 25. ſubducunt ſe ingentibus periculis. Vnde

Honorariæ legationes eædem extraordinariæ.

Ordinarij Legati qui?

Neceſſitas.

vtri-

irridet Mardonius Græcos, qui malebant ſeſe bellis colliderc, quam mittendis vltro citroque Legationibus coaleſcere. Quod homini eſt loquela, hoc ſunt Imperijs Legationes, quarum ope perferuntur hinc inde preces, queſtus, denunciationes, conſilia; & quicquid eiuſmodi eſt, quod ratio amat vſurpare, ne res ad manus deducatur. Vnde Scylla, vt eſt apud Alexianum in bello Mithridatico Archelao Præfecto Mithridatis, *Si Regi*, inquit, *iniuria facta eſt, æquius fuit queſtum mitti Legatos ad Senatum, quam impetu iri in aliena & ſæuitiam intendi in iugulum tot innocentium.* Quippè *omnia experiri prius, quam armis ſapientem decet*, vt eſt apud Terentium in Eunuch.

CAPVT II.

Quæ virtutes in Legato requirantur.

Legatorum legendorum diligentiſſima ſanè habenda ratio eſt. In ijs virtutes ſeu dona quædam cùm interna, tum externa requiruntur. Inter Interna.

Prudentia. I. Prudentia, quæ ab ingenio præſtanti eſt, quod ad res ſubitas non deſit, & celeres habeat motus, vt argutè & eleganter proponat, reſpondeat, & ſolerti iudicio agat omnia, ſeu anteà cogitata, ſeu non cogitata. Sit circumſpectus, lentè feſtinans, diligenter cuncta conſiderans, tectus ſimul & diſſimulans, non ſine aſtutia aliqua, ne ab alijs circumueniatur. Notet etiam omnia & exploret artificioſâ quâdam inquiſitione; quam ad rem vſu aliquo & experientia eſt opus.

Fidelitas. II. Fidelitas; & hæc vel maximè Legatum commendat, cùm ei ſe totum Princeps committat & arcana ſua credat.

Fortitudo. III. Fortitudo, hæc facit, vt Legatus pectus gerat aduerſus vim omnem & euentum obfirmatum imperterritumque, cùm multa non rarò ſecus eueniant, quàm fuerunt cogitata. Et verò cùm tanto ſecuritatis publicæ iure ſit munitus, in reque laudatiſſima verſetur, non eſt cur intrepidè munus ſuum non obeat.

Temperantia. IV Temperantia, quæ Legatum ſui officij memorem & ſibi præſentem facit. Et vel idcircò cauere debet, ne per intemperantiam excedat, quia dicta eius ac facta omnium iudicio ſunt expoſita, ne & quid etiam agat indecorè. Deinde Ebrietas arcanorum eſt evulgatrix, & impatiens cordis ac linguæ vinculorum. Sit igitur continens, abſtinens, vini parcus.

Munificentia. V. Munificentia, vt regius quidam ſplendor appareat, quo nihil multitudinis oculis eſt gratius. Neque enim placent ſordes, nec illa infra dignitatem parſimonia.

Veritas. VI. Veritas & ſinceritas, vt nihil, niſi quod exploratum habeat, affirmet, planéque à mendacio abhorreat, deinde vt ſine fuco ac fallacijs more Maiorum agat.

Morum elegantia. VII. Morum elegantia, vt ſit comis & amœni ingenij, hilarique vultu ſalutationis officia rependat: ſit in colloquendo facilis, in compellando ſuauis, in reſpondendo benignus. Omni denique ciuilitate prodigus magis, quàm parcus. Semper autem admixta ſit grauitas quædam, & compoſita Maieſtas, quæ cum amore admirationem excitet. Nam qui aſſurgere & ſuſpici vult, debet interdum à populo ſeſe ſubducere, nec nimium ſe vulgare, cùm ij plerumque ſint viles, qui nimium ciuiles. Nec ſit refractarius; ſed eorum, ad quos mittitur, facilè ſe moribus accommodet, patiaturque ſuum cuique eſſe pulchrum.

Exter-

Externa fortunæ bona in Legatis ſint Auctoritas & grauitas, ſine quibus Legationis ſplendor vileſcit. Dignitas enim Legati non à mittentis Maieſtate tantùm, ſed ab eius etiam, qui mittitur, præſtantia coruſcat. *Auctoritas & grauitas.*

Singulæ teſtimonijs confirmantur & exemplis.

CYrus Perſarum Rex vt eſt apud Xenophontem in Cyropædia lib.8. inter primos educandum & diligentiſſime aulicis & politicis inſtitutis informandum eum eſſe dicit, quem præficere legationis muneri oportet. Requirimus hic.

I. Prudentiam. Salomon Prouerbiorum 26. *Claudum pedibus facit, qui mittit verba per nuntium imprudentem & ſtultum.* Kircknerus lib. 1. de Legato. *Oculos*, inquit, *ſuos habeat illuſtris Legatio, ac ſi fieri poſſit Ianus mihi biceps Legatus ſit, qui non ſolùm ante, ſed & retro videat.*

II. Fidelitatem. Princeps enim in Legati fidem ſe totum committit, vnde à Salomone Prouerb. cap. 13. *Legatus fidelis dicitur Sanitas.* Et cap. 25. *Sicut frigus niuis in die meſſis, ita fidelis Legatus ei, qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit.* Deinde officium Legati eſt *omnia fideliter & ex animo agere*, inquit Octauius Mag. lib. 1. cap. 2.

III. Fortitudinem. *Docet negare, qui timidè rogat*, inquit Sen. in Hippol. Timiditas ergo ex animo Legati eijcienda eſt. Sola confidentia eſt, quæ animum alacriorem vegetioremque reddit. Fortiſſimus Legatus fuit Megacles ad Agatoclem, qui inuadere Meſſanam Vrbem cogitabat, etiam miſſo feciali vel Vrbem tradi petebat, vel Megaclem qui modis omnibus ei aduerſabatur. Is vbi ad Regem venit, prius illum veneratus. *Ego*, inquit, *& Ciuitatis nomine venio, & moriturus, ſi decernis. Sed priusquam de Legatione audias, æquum ſtatuito ſi ad exſcindendas Syracuſas expeditionem Meſſenij ſuſcepiſſent, vtrum pro Syracuſijs*, an pro Meſſenijs omnia faceres? fideli iſto candore placatus Rex Megaclem incolumen dimiſit, & fœdus cum Meſſenijs percuſſit. Fortiſſimus etiam fuit Popilius Romanus, qui Legatus miſſus ad Antiochum, vt exercitum ex Ægypto abduceret, eum Regi Senatuſconſulti tabulas tradidiſſet, & Rex deliberaturum ſe diceret confidenti auſu circulum orbicularem virgula ſua circa Regem delineauit, inquiens. *Hic ergo & priusquam abſcedas delibera & reſponde pacem an bellum cum Romanis malis.* Obſtupefactus Rex violento Imperio ex Romanorum lubitu ſe acturum reſpondit, ac tum prius illum Popilius reſalutauit & amplexus eſt. Magna etiam Fortitudo Pompei Magni apud Gentium Illyricorum Regem, à quo erat in Legatione interceptus cum litteris ſecretis & ſignis hieroglyphicis, cui cum Rex minaretur, niſi ſecreta vulgaret, ipſe ardenti lychno digitum cremandum admouit, & *prius*, inquit, *in pulverem reuerſurus es Pompei, quam Patriam populumq; tuum prodas.*

IV. Temperantiam. Nimirum ad imitationem Xenocratis Athenienſium Legati, qui apud Antipatrum nihil prius guſtare voluit, quam Legationem ſuam expoſuiſſet de redimendis captiuis, eumque à Rege ad cœnam eſſet inuitatus hæc carmina recitauit.

Quis cupiat Circe prudens vel ſanior vnquam
Suſtineat bibere atque cibum guſtare priusquam
Soluantur ſocij, mihi vel reddantur ad vnum?

Cauere Legati debent, ne bibendo excedant. Androcides Alex. M. dicebat *Vinum potaturus Rex memento te bibere ſanguinem terræ.* Aurelianus Imp. ſi quando parum temperantes adeſſent Legati, vinum ipſis large propinando ſecreta extorquebat. Sub temperantiâ cum etiam continentia contineatur, hac quoque fulgere Legati debent. Peccatunr contra virtutem hanc Legati Perſarum apud Amintam Macedonum Regem. Nam cum admiſſi ad regiam menſam petulantius procaciuſque puellas contrectarent, rei indignitate commotus Alexander Amintæ filius, eas è conuiuio tanquam paulò poſt cultiores redituras, Parentem etiam tanquam ad rem neceſſariam, ſeuocauit. Tum adoleſcentes muliebribus ornatos veſtibus, & ſub ijs ferro accinctos, qui Legatorum proteruiam coërcerent ſubmittit. Hos igitur eum iterum obſcœnius complecti Legati inciperent, ab ijs è veſtigio eductis Vino eliciuntur ſecreti.

ſicis

ſicis trucidati ſunt. Quod cum intellexiſſet Megabyſus Perſarum Præfectus iuſtiſſimas eos pœnas dediſſe pronuntiauit. Iuſtinus.

V. Munificentiam. Repræſentare enim regium quendam ſplendorem debent. Vnde cum Florentinorum Legati Viri Patricij ad Carolum V. & Clementem VII. Pontificem, Bononiam miſſi mercatorio ingenio (vt refert Iouius) plurimum mercimonij tanquam Legationis ſupellectilem, quæ oneri vectigalium eximitur, in vrbem conuexiſſent, fallaciaque à Publicanis detecta in riſum & contemptum abijſſet, tanquam Legationis amplitudine indigni repulſam causâ inauditâ paſſi ſunt.

VI. Veritatem. Nam ſi Legatus mentiatur vel ſuo ingenio, vel alieno iuſſu improbus eſt, & fortunam ſuam vel ignorat, vel fatetur puſillam.

Denique morum elegantiam, auctoritatem, grauitatem. Elegantia illa morum conuertit omnium oculos & animos in Legatum. Negarunt Romani quibuſdam pacem ob hoc, quia parum dignitatis in Legatione fuerat, vt habet Liuius lib. 30. quo loco ſæpenumero remiſſos eſſe Legatos indignos teſtatur. Et Auguſtus teſte Suetonio in eius vita, Legatis eſſe in Orcheſtra locum vetuit, cum quoſdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſet. Ideo cum Ludouicus XI. Francorum Rex Oliuarium quendam tonſorem ſuum, petitum Caroli Burgundiæ Ducis vnicam filiam Mariam Delphino ſuo miſiſſet, merito contemptus à Burgundicâ domo fuit, & niſi maturiore fuga ſibi conſuluiſſet, in diſcrimen incidiſſet, vt habet Cominæus lib. 8. *Exempla viliũ legatorum.*

CAPVT III.

Quæ ſcientiæ in Legato requirantur.

Hiſtoria. Hiſtoria inprimis, Vetus illa & Noua. Quippè prudentiæ Paleſtra eſt, & quoddam experientiæ breuiarium, bellicæque & Togatæ diſciplinæ directrix. In ea Legatus plurimas Legationes videbit, & antequam vllam attingat, quaſi obibit & quodammodo experietur. *Eloquentia.* Eloquentia deinde, ſine qua ſuſtinere Legati Oratoriſque nomen, aut omninò munere ſuo defungi non poteſt. Vbi hæc non eſt, reliquus ingenij cultus velut in tenebris iacet. Per eam verò Legationis ſuæ munus disertè obit; eorum ad quos mittitur, artificioſo ſermone ſenſus & voluntates flectit. *Peritia linguarum.* Tum Peritia Linguarum, potiſſimùm cùm apud exteros obeundæ ſunt Legationes. Eius enim Gentis callere linguam debet, ad quam mittitur. *Nec interprete vtendum.* Periculoſum eſt Interpretem adhibere, ne arcana omnibus reuelentur. Nec Interpretis ſemper eſt copia, nec tam grata ſunt, nec tam efficacia, quæ alienæ mentis & linguæ Interpres profert. Periculum etiam eſt, ne vicaria iſta opera imponatur. Accedit, quod iſtâ viciſſim loquendi facultate animus magis ſe promat. *Politica & alia.* Adſit etiam Politica quædam diſciplina, & experientia; imò reliquæ quoque Artes & Scientiæ pulcherrimæ, quas à Legato non excludimus, has cùm requirimus.

Rationes & Authoritates cum Exemplis.

INprimis Hiſtoriarum cognitio. Eſt enim hiſtoria dux actionum, Conſiliorum inuentrix, comes itineris, & pronuba inſtituti ſalutaris; *quam quo magis variam quis legerit, & legendo rebus & temporibus adoptauerit eo & plures Legationes obijciſſe videbitur*, vt ait Warſeuitius.

II. Eloquentia. Non fruſtra enim Eloquentiæ Deum Legatorum eſſe Numen Antiquitas voluit. Nota eſt Eloquentia Cynæi Legati Epirotarum Regis Pyrrhi, quâ *plures vrbes in Pyrrhi poteſtatem adductæ ſunt, quam armis.* Eſt proprium inſigne ac inſtrumentum Legati Eloquentia, cuius beneficio omnium ſenſus

ſenſus & oculos in ſe conuertit auctoritatem nomenque oratoris ſibi conciliat.

III *Linguarum notitia*; atque eius potiſſimùm Principis, ad quem Legatus mittitur, quod periculoſiſſimum ſit interpretibus vti. Linguarum illa notitia cum plurimum vtilitatis adferat, tum decoris multum addit Legato. Teſtatur Dio non ſemel occiſos eſſe à Catacalla Legatorum Interpretes, ne quod moliebatur innoteſceret. Neque etiam Interpretum ſemper eſt copia.

Cæteræ ſcientiæ cùm in Legatis requirantur etiam, tum hæ potiſſimùm. Ait Kirchnerus Scholaſticas diſciplinas in Legato non eſſe reijciendas, nec admodum etiam deſiderandas, politicas potiùs & Aulicas ei neceſſarias eſſe.

CAPVT IV.

An Legatus indigena eſſe debeat, & an Nobilis.

ORdinariè ſit indigena, cuius intra Reip. terminos ſpes omnes clauduntur. Sic minus erit Indigenis ſuſpectus, nec fidem merendi obnoxiam habere videbitur; nec verendum erit, ne maioribus promiſſis doniſque peruertatur. Qui Indigenæ ſunt, magnâ pietate & affectu eius Patriæ, in qua nati & educati ſunt, negotium adminiſtrant. mitti tamen aliquando peregrini poſſunt, ad eos nimirum Principes, in quorum Regionibus ipſi nati. Gratiores illis & popularibus erunt, agendique & fandi tempora, omniumque mores meliùs cognoſcent. *Sit ordinariè indigena.* *Aliquando peregrinus.*

Valde autem expedit illuſtri Proſapiâ natum eſſe Legatum, cuius dignitas, niſi generis ſplendorem inueniat, ſæpè vileſcit, & inuidiam apud Nobiles gignit, qui ſe poſtponi non ferunt. Ipſi etiam Principes externi, cùm Legatum nouum hominem vident, negligi ſe putant, nec niſi vilem exiſtimant eum, qui vilem mittit. Adſint verò cum Nobilitate cæteræ, quæ Legatum commendant, qualitates. Sola enim ſatis nōn eſt Nobilitas. Si qui virtute & eruditione ſuâ dignitatem in Rep. ſint nacti, proindeque verè Nobiles, mitti etiam poterunt. Nulla eſſe vilitas hîc poteſt, vbi tam praeclara virtutis & Doctrinæ Nobilitas eſt. *Nobilis verò ſemper.* *Vel aliquando virtute clarus.*

Teſtimonia & Exempla.

ORdinariè indigena eſſe debet: aliquis tamen etiam, ſed ratò, peregrinus. Verendum ne peregrini Plautinum illud in publicis negotijs & mandatis vſurpent. *Mibi iſthic nec ſeritur nec metitur.* Ideo M. Antonius Imp. voluit peregrinos quartam vt minimum partem ſuorum bonorum in Italia habere, vt quoddam eſſet pignus, cum ad honores venirent. Ex Senatoria claſſe lecti olim à Romanis Legati, in quibus Nobilitatis priſcè flos reſideret. Teſtis Liuius lib. x. qui Nobiliſſimos quoſque Legatos miſſos ſcribit. Ad Attalum Regem miſſi quinque fuerunt, quorum vnus ſecundum Conſul, alter Prætorius, tertius Ædilitius, poſtremi duo quæſtores, homines nobiliſſimi omnes. Ad Philippum Regem ex nobiliſſimis Familijs Cn. Manlius & M. Aurelius, quibus M. Varro ob eruditionis gloriam adiunctus. Hodie etiam ex Nobilitatis ordine leguntur Legati, quod gratioſa apud omnes Nobilitati Nobilitas ſit, & omnes faueant. Glorioſum etiam Principibus eſt ab Imperatore ad Reges mitti; & Comitibus mitti à Principibus. Sic olim miſſus à Carolo Magno Epiſcopus Ambienſis Conſtantinopolim Ieſſe nomine petitum Irenem orientalem Auguſtam occidentali Auguſto in matrimonium. Subinde tamen Reges virum doctum Legationi præficiunt, quod doctrinam Nobilitatis titulo cenſeant. Ita Ferdinandus I. Imperator ad Turcicum Imperatorem, Augerium virum vndequaque doctiſſimum miſit. *Monitum.* *Exempla.*

CAPVT V.

Cuius ſtaturæ, formæ, ætatis Legatus eſſe debeat.

Statura iuſta. STatuta Legati ſit iuſta, vt nec breuioris ſtaturæ homuncio appareat, nec Cyclopicæ proceritatis; ille ludibrio eſt, hic gratiam non habet. Cùm mittentis Maieſtas per Legatum repreſentetur, nihil in eo eſſe debet, quod riſus anſam præbeat. *Forma ſit viriliter venuſta.* Decora corporis ſpecies cùm generis dignitati & præſtantiæ reſpondet, mirum quantum apud exteros Legatum commendat. Ne ſit tamen muliebris illa & fucata venuſtas, ſed virilis, quæ in dignitate legitimaque partium omnium conformatione conſiſtit. Ab hoc munere Legationis remoueantur inſigniter ſignati, gibboſi, diſtorti, balbi, claudi, & id genus. Quod attinet ad *Ætas prouectior.* ætatem, præferendi Senes Iuuenibus, quod in illis prudentia maior, experientia, morum tranquillitas, grauitas, auctoritas. Ipſa veneranda canities Legationis munus quàm plurimùm illuſtrat. Nolo tamen iam decrepitos & ætatate ipsâ deficientes, in quibus nullus ampliùs ingenij aut *Niſi adſit citiùs ſapientia.* prudentiæ vigor. Et quoniam non tam in annis, quàm in animis ponenda Sapientia eſt, hæc cùm in Iuuenibus cum morum grauitate & iudicij maturitate reperitur, etiam ad hoc Legationis munus poſſunt admoueri.

Rationes cum Teſtimonijs & Exemplis.

STatura Legati ſit iuſta, forma viriliter venuſta, ætas prouectior, niſi adſit citius ſapientia. Iacobus Caſtellio I. C. homuncio perpuſillo corpore cum Legatus miſſus eſſet ad Bonifacium Pontificem à Bononienſibus, etſi genua non flexiſſet, iuſſit tamen Pontifex vt ſeſe exigeret, quo factum eſt, vt riderent omnes, & ipſe vehementer turbatus ne hiſcere quidem poſſet, multò minùs Legationem ſuam exponere. Gellias A-*Exempla legatorum irriſorum.* gregentinus, vt eſt apud Herodotum, homo turpiſſimus, cùm Legatus ad Centuripinos miſſus eſſet, vbi in publicum prodijt, riſu exceptus eſt, & audire monſtrum Concio recuſauit. Ille ingenio vſus. Ne miremini, inquit, Centuripini, vt vrbes ſunt, ita Ciues mei Legatos mittunt pulchros ad pulchras, deformes ad deformes. Pari modo cum in Bithyniam mitterentur tres Legati ad Nicomedem Regem, quorum vnus capitis vertigine, alter podagra, tertius vecordia laboraret, dixit Cato, *Noſtra Legatio, nec caput habet, nec pedes, nec cor.* Ne itaque Legati ſint, qui ſunt valetudinarij, gibboſi, diſtorti, luſci, claudi, mutili, pigmæi, ventricoſi. Hic locum habet illud, *Caue à Signatis.* Interrogatus aliquando Ariſtoteles, cur quæ pulchra ſunt, in ſui amorem quemuis pelliceant; *Caci*, inquit, *ea quæſtio eſt.* Quippè ſecreto quodam artificio venuſtas trahit. Warſeuitius refert de quodam Cyclopicæ proceritatis homine, qui ad Stephanum Poloniæ Regem miſſus erat, nec ſatis facundus. Vnde omnes non hominem, ſed Coloſſum, non oratorem, ſed aratorem miſſum eſſe dicebant. Nimis macilenti irriſi etiam aliquando ſunt, quod ferendis moleſtijs non ſint, ac tales, qualis olim Philetas apud Ælianum in varijs lectionibus, qui tam gracili & leui corpore fuit, vt ſoleis plumbum ſubdere deberet, ne venti violentiâ abriperetur. Hiſpaniarum Rex, teſte eodem Warſeuitio, cùm Hiſpanum quemdam in capite læſum Legatum ad Turcarum Imperatorem miſiſſet, dixit Baſſa quidam, *Deſunt Hiſpaniarum Regi homines alij, quos ſine cicatricibus ad Imperatorem noſtrum mittat?* Cui Scommati Scomma aliud Hiſpanus repoſuit. *Hominum*, inquit, *nobis abundè eſt, ſed ob eam cauſam cum nota huius vulneris, quod auerſa, ſed ad-*

uerſa

uerſa parte accepi, acceſſi, vt noſtræ de voto ad Naupaƈtum victoriæ teſtimonium ob oculos offerrem, in qua pugna & tu debuiſſes interfici, niſi tibi pedibus conſuluiſſes. Eodem modo cum Legatus eſſet ad Stephanum Poloniæ Regem Frederici Daniæ Regis frater, vnoculus & diſtortus, riſum excitauit, quaſi monſtrum acceſſiſſet. Quòd attinet ad ætatem tradit Cic. auctoritatem in ſeneƈtute & canitie magis, quam in iuuentute relucere: niſi tales ſint, in quibus prudentiæ & iudicij præcox maturitas conſilijque ſenilis magnitudo. Idem Cic. in Catone Maiore, vt ſenes quidam ſemper pueri, ita quidam iuuenes ſunt, in quibus aliquid ſenile. C. Valerius Petronianus antequam 23. ætatis annum expleuiſſet quinquies Legationis munere perfunƈtus eſſe ſcribitur ab Alciato. Vt autem refert Franciſcus Wezerus de Legat. c. 2. cum imberbes adoleſcentes ex Galliâ ad Turcarum Imp. miſſi eſſent, iratus Imp. fuit, quaſi id in ſui contemptum faƈtum eſſet, ſed eorum alter intrepidè reſpondit, non eſſe ex barba virum, neque ex piloſo mento mentem hominis iudicandam, fore alioquin, vt cum barbatiores hirci ſint, meliores etiam & prudentiores hominibus cenſerentur.

De ætate Legati.

CAPVT VI.

Alia in Legato requiſita.

EXpedit inprimis vt in fidem obſequiumque ſui Principis iuret Legatus. Sic fiet, vt gemino ſtimulo ad probitatem excitetur, & apud amicos promptiorem habeat excuſationem, ſi quid extorquere non iuſtè ſatis contendat. Principi etiam grauiùs in eum animaduertendi, ſi fortè delinquat, occaſio erit. Deinde tenax eſſe Patriæ Religionis debet, & receptos publicè apud gentem ſuam ritus retinere. Qui in Religione vacillat, firmâ probitatis opinione caret. Ciuilis quoque reuerentiæ cæremonias ſecundùm patrios mores ſeruabit, non externas per abieƈtam quandam adulationem affeƈtabit. Prætereà veſtem patriam retinebit. Hoc tamen cauebit, ne quæ moleſta ſunt vel odioſa, publicè exponat. Vbique magnâ prudentiâ eſt opus, ſed in Legatione potiſſimùm. Nihil enim periculoſius ſuſcipitur, nihil difficilius peragitur, quàm Legatio.

Vt iureiurando adſtringatur. *Vt ſit tenax patriæ Religionis.* *Item cæremoniarum & veſtiu.*

Rationes & mores Gentium.

PRimum, eſt vt iureiurando adſtringatur. Secundum vt tenax ſit Patriæ Religionis, cæremoniarum & veſtis. Iuſiurandum facit, vt non tantùm Principi ſuo, ſed Deo etiam Legatus ſatiſfaciat. Ciuilis reuerentiæ cæremonias adferre Legati ſecum debent. Sic cum Tartari adorationis ſpecie Regem ſuum ſalutent, eadem ciuilitate erga exteros eorum Legati vtuntur. Legatus tamen quidam Venetorum ad Imperatorem Turcarum feliciter alieno ritu vſus fuit; nam cum toto biennio non admitteretur ad Imp. aſſumpta Turcicâ veſte aditum inuenit & Legationem ex voto confecit. Non verò illa in conſpeƈtum ſunt producenda, quæ aſpeƈtui grata non ſunt. Sic legimus quoſdam apud Turcicum Tyrannum repulſam paſſos, quod viridis coloris amiƈtu induti eſſent, quia is color funeſti ominis eſt apud illos.

TITVLVS VI.

De Apparatu & Mandatis Legatorum.

CAPVT I.

Quot mittendi ſint Legati, & quomodo.

Mittendus vnus Legatus. LEGATIONIS apparatus non pro negotij neceſſitate tantùm, ſed etiam pro ſplendore eſſe debet. Ille tum numerum, tum ornatum conuenientem requirit. Numerus aut Legatorum, aut Comitum conſideratur. Legatus, vt plurimum, vnus tantùm: aut certè plures ſi adhibeantur, vnus ſit Legationis Princeps, cæteri honoris ſint cauſa, vel Conſultores. Cùm plures pari Poteſtate mittuntur, pluribus ſe moleſtijs ac ſumptibus Principes inuoluunt, nec ratò commiſſa pluribus negotia negliguntur, aut de ordine inter eos altercatio exoritur. Equidem numeroſæ illæ Legationes plus ſplendoris & magnificentiæ habent, nõn plus tamen vtilitatis.

Comitum numerus ſit pro dignitate. Quod attinet ad Comites & aſſeclas Legati, ij planè cùm ad conſilium & congreſſum, tum ad ſplendorem neceſſarij ſunt: denique etiam, vt vbi Legatus ſine dignitatis ſuggillatione non poteſt, ibi ipſi tacitâ mente cuncta explorent. Horum numerus ſit pro dignitate mittentis, & eius, ad quem mittitur. Honori ſit, ſed non oneri. Legationis ſplendor non tam in Comitum & ornamentorum pompa eſt, quàm in prudentia Legati. Illa tamen non negligenda.

Exempla & mores Gentium.

De numero Legatorum. MITTI Legatus vnus ſolet; ita hodie mores habent. Comitum numerus ſit pro dignitate. Romani aliquando 4. aliquando 5. Legatos, vt ad Attalum Regem miſerunt: aliquando plures. Æneas Virgilianus centum miſit, quod ad Regij ſplendoris pompam pertinebat, & quia ignotus erat. Artaxerxes Perſarum Rex quadrigentos ad Alexandrum Romanorum Imperatorem miſit. Ad Seuerum Imp. miſſi ſunt gratulatum centum Senatores: viginti ad Maximum Imp. honoris gratiâ. Belus Babyloniæ Rex, qui primam miſiſſe legationem fertur, duobus Legatis eſt vſus. *De Comitibus.* Et ſanè cum Legationes negotiorum gratia in longinquas oras ſuſcipiuntur, minorem numerum requirunt. Fuerunt qui indignè tulerunt, non multos ſimul ad ſe Legatos & magnificè mitti. Cum tres legati Hungarici ad Fredericum Imp. Viennam ad redimendum regni diadema miſſi tria millia equitum ſecum duxiſſent, occluſas vrbis portas inuenerunt, cumque iure Legationis introitum poſtularent, reſponſum eſt ijs non Legationem iſtam, ſed militarem Legionem videri. Nec profuit excuſatio quod honorandæ Maieſtatis & coronæ ſacræ ac Religionis gratia tanto ſplendore adueniſſent. Nam poſt multa Legatus tantùm cum ducentis æquitibus, Cæſaris conſenſu eſt intromiſſus. Catonis Comitatus infra Legationis pompam fuit, quem vno & altero puero contentum fuiſſe Plutarchus ſcribit. Iſdiguannas autem Corrhois Perſarum Regis Legatus iuſtũ modum exceſſit, quando vltra quadringentos Comites ſecum ad Iuſtinianum Imp. duxit. *Ne ſit ſine pompa.* Regum Galliæ Legationes odioſæ quon-

ſæ quondam fuerunt, quod ſine omni pompâ & auctoritate fuerint. Annis etiam ſuperioribus contemptim & indignè Poloni tulerunt Legationem ab Imperij Principibus ad ſe miſſam, in quâ, cùm ei magno numero & apparatu obuiam proceſſiſſent, vnicam rhedam inuenerunt.

CAPVT II.

An ducere Legatus vxorem ſecum debeat.

NOn expedit. Vxorius ille comitatus impedimento eſt, & fœmina inconſtans, garrula, curioſa, quæ Legationis arcana explorare vulgareque poſſit. Deinde cum vxore nec tutus eſt Legatus, nec iuris ſui, cùm venditæ libertatis pignus indiuiduum ſecum trahat. Si elegans ſit, venire Legatus in periculum apud externos propter eam poteſt, & ipſa in adulterij occaſionem. Sed & ipſa viro adhærens, Legati auctoritatem grauitatemque multùm imminuit, quod vxorius, & muliebri obſequio trahi videatur. Nec fœminam pudor naturalis peregrinari inter viros patitur. Quare cùm longioris Legationes temporis ſint, cælibem eſſe Legatum, quàm maritum præſtat, ne domeſticæ conſuetudinis deſiderium domo eum abſentem non patiatur. Qui ordinarij ſunt Legati & ad annos plures, ſi mariti ſint, vxores habere ſecum poſſunt. *Non videtur expedire.*

Auctoritas cum Ratione.

NOn expedire hic iudicamus. Vnde Virgilius de Cleopatra, quæ Antonij exercitum ſequebatur:

——Sequiturq́, (nefas) Ægyptia coniux.

Romani enim veteres in caſtra venire mulierem noluerunt. Multo certè magis abeſſe Legationis comitatu debet, quæ irrequieto curſu nullam moram patitur. Alias hic rationes explicamus. Opprobrium effugere Iuſtinianus Imp. non potuit, quod aſſidere ſibi vxorem in conſilio pateretur. Veterum Legatorum exempla comitatum vxorium nobis non reliquerunt. *Non ſit legatus vxorius.*

CAPVT III.

Quâ ſolemnitate, & quibus mandatis mitti Legati debeant.

CVm Legatio publica quædam ſit miſſio, ſolemniter inſtitui ac peragi debet. Solemnitas Legationis in mandati litterarumque ſuſceptione conſiſtit. Aliæ, quæ olim adhibebantur cæremoniæ, hodie exoleuêre. Sine mandato mitti Legatus omninò non poteſt; nam ſine eo ægrè, aut non admittitur, aut re infectâ remittitur. Quippè Legationis fidem facit mandatum, & ingens Legatorum in eo periculum vertitur, ſi quicquam ſine mandato agant & proloquantur, cùm in fraudis ſuſpicionem illicò veniant. Itaque opus eſt mandato, & litteris mandati teſtibus. Sine his, etſi è primâ Nobilitate ſint viri, probi, integri, (ita mores habent) recipi omninò non ſolent. Mandatum vel definitum eſt, vel abſolutum & liberum. Definitum eſt, quo certi alicuius negotij conficiendi poteſtas datur, & ratio modusque præſcribitur. Hoc ne latum vnguem excedere oportet, non quidem ſuperſtitioſè ſyllabarum contextum ſequendo, ſed ad mentem mittentis, & mandati ſenſum *Solemnitas eſt in mandati & litterarum ſuſceptione.*

ſum attendendo, etſi hæc inſerta ſit clauſula, *Cætera prudentiæ & fidei tuæ committimus.* Neque enim hæc liberum facit mandatum, ſed hoc tantùm permittit, vt cùm rei agendæ modi præſcribi omnes ac ſinguli non poſſint, faciliorem viam, ſi ſe offerat, Legati ſequantur, vt præſcriptorum metam aſſequantur. Conſultum hîc videtur, vt ſi tempus ferat, Legati Conſilium ac conſenſum à Domino ſuo per litteras petant, ne iniuſſu Principis egiſſe quicquam videantur, & omnem temeritatis ſuſpicionem euitent. Abſolutum mandatum eſt, quo negotij conficiendi poteſtas abſoluta Legatorum prudentiæ fideique committitur. Id fieri in ijs rebus ſolet, quarum moderatio haberi certa non poteſt, vt proinde liberum eſſe Legatis debeat, id agere, quod tempus permittit, & locorum perſonarumque circumſtantiæ concedunt. Hîc vtilitas mittentis Principis ſuprema lex eſt. Quare attendere ad eius ingenium Legati debent, vt quid velit, intelligant. Nonnunquam dare Principes mandata ſolent nullo manus ſuæ ſigno confirmata, vt ſi fortaſſis amittantur, vel ab hoſtibus intercipiantur, poſſint negari.

Abſolutum.

Litteræ duplicis, Mandati & Inſtructionis.

Litteræ vel Mandati ſunt, vel Inſtructionis. Litteræ mandati iuſſum mittentis, & negotij conficiendi poteſtatem continent. In ijs duplex obligatio; vna, quâ Legatus, vt perficiat; altera, quâ Princeps, vt ratum habeat quod ſuo geſtum eſt nomine, obligatur. Litteræ inſtructionis (olim Commonitorium) modum, ordinem, ac rationem omnem exequendi mandati docent. Nec aliud ſunt, quàm quædam mandati explicatio, quæ Principis voluntatem vel extendit, vel reſtringit. Dantur & aliæ nonnunquam litteræ, quæ perſonæ ac fidei eius commendationem habent; vt Legato fides adhibeatur. Vulgò litteræ credentiæ.

Exempla cum Authoritatibus.

Solemnitas in mandati & litterarum ſuſceptione eſt. Mandatum duplex eſt, definitum & abſolutum. Vtrumque hic explicatur; item cuiuſque modus & circumſtantiæ. Apud Liuium lib. 6. Cum Phanæas Legatus Ætolorum longâ oratione ſibi Conſulis Romani fauorem conciliauiſſet, addidiſſetque ſe ſuaque omnia Ætolos fidei & patrocinio Romanorum committere, ſubdubitans Conſul de mandato talis oblationis, *Videte*, inquit, *Ætoli, et ita concedatis.* Tum Legatus protulit conſcriptum mandatum fidemque ſuæ Legationis aſſeruit. Cum Legati Taſſilonis Ducis Bauariæ ad Pontificem Adrianum miſſi mandatum eius, quod contendebant, exhibere non poſſent, parum abfuit, quin à Pontifice excommunicarentur. Volunt nonnulli egregijs & è primâ nobilitate viris, quorum integritas nota eſt, credi ſine litteris debere, cum perſonæ miſſæ dignitas litterarum defectum ſuppleat, ſed hoc vix vllibi receptum eſt, etiam in Imperatorum & Regum Legatis. Definita mandata ne ad latum quidem vnguem tranſilienda hic dicimus. Vnde Athenienſes Legatos ſuos ex Arcadiâ reduces, etſi rei ſperatæ compotes, capitali lege damnauerunt, quod temerario auſu inſtructionis ſuæ paginam violauiſſent.

Legatos nunquam ſine mandato. *Monitum.*

CAPVT IV.

An certo ſemper ſit opus mandato, & quid ſi aliquando ſit ambiguum.

Legationes aliquando cum prætextu tantùm.

Legationes inſtitui nonnunquam nullo certo mandato ſolent, ſed aliquo dumtaxat prætextu, puta ad congratulandum, interim negotium aliud vel impeditur, vel promouetur. Adeóque aliud tentatur,

tatur, aliud tractatur; proponuntur aliqua, non promittuntur. Tunc itaque certum nullum eſt mandatum.

Induſtria Principum obſcurioribus aliquando verbis mandatum inuoluit, vt nimirum ſi intercipiatur, intelligi non poſſit, & vt Legatio ſit ſecurior. Tunc autem Legati eſt accurato cum Principe colloquio ſenſum ac mentem eius intelligere, remque planè dilucidam inſtructionis ſuæ litteris inſerere. Ita fiet, vt ſecurior Legati ſit fides, nec Princeps, quo velit, trahere rem omnem interpretando, & eam ex euentu tantùm probare vel improbare poſſit. Ambigua eiuſmodi mandata tunc plerumque conficiuntur, cùm maioris momenti pacta ineuntur, vt iure reſcindi aliquid, ſi forſan opus ſit, videatur, aut in Legatum culpa poſſit transferri. Caueant Magnates, multorum enim aliquando fama his mandatis periclitatur, & non rarò fortuna deprimitur. *Ambigui mandati quærendus à Principe ſenſus.*

Exemplum Vnum.

Legationes aliquando tantùm ſunt cum prætextu, vt hoc capite oſtendimus. Quod ſi ambiguum ſit mandatum quærendus eſt à Principe ſenſus. Poſt conſtitutam pacem inter Hiſpaniæ Regem Philippum II. & Henricum IV. Galliæ Regem, cum Petrus de Toleto Legatus miſſus eſſet ad Henricum IV. gratulandi gratia, poſtquam gratulationem abſoluit, quaſi aliud à mandato agens ab eo ſciſcitatus eſt, quid ſentiret ſi Chriſtianiſſimi & Catholici Regum liberi ſtabiliore fœdere ac connubio iungerentur? cumque reſpondiſſet Rex, ſatis adhuc iuuenes eſſe, maximè, inquit Legatus, ſed tempus & occaſio illa diſponant. Subſecutum poſteà connubium eſt. *Nota.*

CAPVT V.

Quid accepto mandato facere Legati debeant.

Accingere confeſtim itineri ſe debent. Moram ex mora trahere, nec præfinito abire die periculoſum eſt, cùm rerum omnium primum ſit tempori veniſſe. Porrò ingredi per tutiora loca viam debent, ne Legatio ab hominibus iis, quibus nulla Religio eſt iura gentium violare, vim aliquam patiatur. Circuitionibus aliquando tutis vti potiùs expedit, quàm periculoſiora viarum compendia ſectari. Nec deflectere, nec apud amicos, vel alibi voluptatis cauſa diu morari fas eſt. Qui enim ſic vagatur potiùs, quàm proficiſcitur, priuilegia & immunitates Legatorum amittit. Per inſolitas etiam & clandeſtinas vias iter capere omninò non licet, cùm periculum eſt nullum. *Iter ſtatim aggredi. Et per loca tutiora ſine aliqua mora.*

Quid ſi excuſare ſe à Legatione quis velit? vir bonus certè non debet. Natus non ſibi tantùm, ſed Patriæ eſt, pro qua moleſtias vllas aut periculum reformidare fugereque non decet. Vnde etiam, qui idoneus, cogi omninò poteſt. Si occultus ſit morbus, ſi extrema ſenectus, ſi rei domeſticæ difficultas magna, ſi iuſtæ aliæ excuſationes, audiendæ ſunt & admittendæ. Sicut autem qui idonei ſunt, cogi poſſunt, ita qui ambitiosè affectant, repelli debent. Vix ſuſpicione carere poteſt, qui ambitionem oſtendit. *Qui idoneus eſt excuſare ſe non debet.*

Teſtimonia & Exempla.

ITer ſtatim aggredi, & per tutiora loca ſine morâ. Hinc Virgilius de Legatis Æneæ:

Haud mora feſtinant iuſſi, rapidiſq́; feruntur,
Paſſibus.

Eam feſtinationem Poëtæ per Mercurij alas & telaria ſignificauerunt. Legati Rhodiorum ad Athenienſes miſſi, quod poſt acceptum mandatum viam præſtituto die non arripuiſſent, in capitis actionem inciderunt; cum, vt dicit Comicus, *Omnium rerum primum ſit tempori veniſſe.* Legati autem Ioannis Baſilidis Moſchouitæ, cum prohibitum illis eſſet, ne Polonıæ fines inter eundum attingerent, idque feciſſent, reuerſi grauiſſimas temeritatis ſuæ pœnas luerunt. Athenienſium Legati in Arcadiam miſſi, quod Rex per inſolitam viam iter habuiſſet, morte ſunt affecti. Legati etiam Galliæ Regis Franciſci Fregoſius & Rinco, quod Italiam occultè & clandeſtino itinere ad Turcicam Portam contendiſſent, in periculum vitæ amittendæ venerunt.

Quæritur hoc eodem capite, an excuſare ſe quis à Legatione poſſit? Seruius Sulpitus apud Romanos etiam penè extrema valetudinis aduerſitate laborans Legationem ſuſcepit. Reſp. autem Veneta pœnam in eos ſtatuit, qui idonei à Senatu iudicati Legationis munus recuſarent. *Exemplum non recuſatæ Legationis.*

CAPVT VI.

Quæ Legatorum ſit vbique ſecuritas.

Inuiolabiles vbique Legati. IVre gentium ſancitum eſt, vt inuiolabiles ſint Legati, etiam hoſtium ipſorum præſidio, atque adeò, vt ne hoſtes quidem cenſeantur, qui hoſtium ſunt Legati. Illi enim virorum bonorum officio funguntur, & ſuæ Patriæ negotia procurant. Vnde qui eorum fiduciæ tabulas violat, Maieſtatis læſæ, fideique, & publicæ auctoritatis proſtitutæ fit reus. Cum Legatis ratione contendendum eſt, non vi aut armis, quod iniurias vlciſci ipſi non poſſint. Eodem etiam gentium iure definitum eſt, vt qui Legatum violat, tanquam piacularis victima dedatur. Teſtata hæc nationum omnium ſunt exemplis.

Quæſtiuncula. Quid ſi ius gentium Legatus ipſe violet? Remitti tunc ad Principem ſuum debet. Aliàs tribunal eius, in cuius ditione deliquit, ſubire cogitatur: tamdiu enim violandi Legati non ſunt, quamdiu ius ipſi Legationis, & honeſtatem non violant.

Quid ſi Princeps aliquis eius Principis Legatum violet, apud quem ſuum habet Legatum? Par pari referendum, & pœnam talionis eſſe ſeruandam non paucis placet. At verò quid opus eſt patrare, quod in alio culpatur? Non bene ſanè fit, quod ad ſceleris imitationem fit. Alius vlciſcendi quærendus eſt modus, & iuſtum eſt, quod eâ causâ ſit bellum.

Exempla & Authoritates.

IVre Gentium Legati ſunt inuiolabiles. Idcircò inuſta olim Spartanis perpetua infamia, quòd cum Perſici Regis Legati terram & aquam petiiſſent, id eſt, deditionem, eos in puteum abiecerunt, tanquam ibi abundè habituros. Sæpè etiam cum à Romanis, tum ab alijs in vltionem cæſorum Legatorum bella grauiſſima ſuſcepta ſunt, & funeſtiſſimæ clades ſecutæ. Hinc bellum contra Tarentinos apud Florum lib.1. & contra Corinthios bellum Achaicum lib. 2. Apud eoſdem Romanos cum L. Minutius, & L. Manlius Carthaginenſium tunc hoſtium Legatis vim intuliſſent, iiſdem à Prætore ex S. C. dediti ſunt. Eandem legis ſeueritatem ſubierunt Q. Fabius & Cn. Apronius,

quod

quod Apolloniæ Ciuitatis Legatos violauiſſent. Memorabile Lacædemoniorum facinus fuit. Hi cum occidiſſent Legatos Darij Perſarum Regis, duo è populo viri vltro ad Xerxem Darij filium iuerunt, ſeque ſupplicio ſcelus expiaturos obtulerunt. Eâ virtute Rex commotus publicam & priuatam pœnam remiſit.

Nota.

Quæritur 1. Quid ſi Legatus ius Gentium violet? dicebat Iuſtinianus Imp. Legatis Bizantinis, *Tamdiu ius non violandorum Legatorum ſeruandum eſſe, quoad ipſi ius Legationis honeſtatemq; ſeruauerint.*

Quæritur 2. *Quid ſi Princeps læſerit Legatum Principis ſeius, apud quem ſuum habet?* Scipio Africanus cum Legatos ſuos à Cartaginenſibus violatos accepiſſet, diſcedere Carthaginenſium Legatos iuſſit. Cumque illi caſu in eius caſtra recidiſſent, & claſſis Præfectus, quid facto opus eſſet, ab eo quæreret. Nihil, inquit Scipio, tale agamus, quale Carthaginenſes, qui nec exemplo, nec omni bono mali facinoris conſcij ſunt. Sic eos intactos dimiſit, committere nolens, quod in alijs culpabat. Id verò eius manſuetudini tribuendum eſt, non communi talionis regulæ.

TITVLVS VII.

De Exceptione, Admiſſione, & Dimiſſione Legatorum.

CAPVT I.

Quomodo excipiendi ſint Legati.

RECEPTO apud gentes omnes more honorificè excipiendi ſunt Legati. Modus ſit pro negotij conditione, proque mittentis, & eius, ad quem mittuntur, qualitate. Exceptionis honor in eo conſiſtit, vt venienti Legato alicui obuiam procedatur, Ædes ſubminiſtrentur, lautia offerantur, ſumptuoſa conuiuia, & ludi quandoque publici inſtituantur. Diuerſitas tamen Legatorum diuerſum facit hunc honorem. Si adſit ab hoſtibus Legatus, publicè admitti audirive non debet, ſed ſeorſim, vt eius mandata non à multitudinis imperitæ arbitrio, ſed ab vnius aut paucorum prudentia pendeant. Curandum verò, vt formidoloſum belli apparatum, & militaris diſciplinæ vigorem cernat. Si amicorum & Sociorum Regni ſit Legatus, obuiâ gratulatione & obſeruantiæ teſtificatione excipiatur, nullaque, quæ exigere humanitas poſſet, officia prætermittantur. Etiam honoris ac conſortij gratiâ vir aliquis prudens adiungatur, ſed qui ſimulandi diſſimulandique ſit peritus, vt cùm ſe in eius amicitiam inſinuauerit, ſagaciter eius animi conſilia & arcana poſſit explorare. Alij quoque ex Aula viri Primores & Patricij illum inuiſent, itaque agent, vt omni virtutis genere cum eo certent ac præſtent.

Legati honorificè ſunt excipiendi.

Aliter tamen hoſtium Legatus.

Aliter Sociorum.

Teſti-

Teſtimonia & Exempla.

HODIERNIS & priſcis moribus receptum eſt, vt ſplendidis Legaris obuiam procedatur. Epirotarum Rex

Exemplum Pyrrhi Regis.

Pyrrhus, cum Romanorum Legati ad captiuos redimendos miſſi eſſent, miſſo obuiam Lycone Moloſſo honorificè eos excepit, quoque illud honorificentius fieret, ipſe aduenientibus cum ornatiſſimo equitatu extra mænia occurrit. Superioribus etiam annis cum Imperatoria Legatio in Moſchouiam mitteretur, Barbarorum ſplendidiſſimo occurſu excepta fuit. Vnde Octauius Magnus, lib. 2. de legibus, optimè & prudentiſſimè in Rep. Venetorum vſitatum eſſe

Venetorum.

ſcribit, vt honorificentiſſimè Legati excipiantur. Honoris etiam cauſa Legatis hoſpitium præbetur. Ideo Macedonum olim moribus licitum non fuit, publicam Legati perſonam priuatis tectis excipere. Ejectus eam ob cauſam domo ſua in exilium fuit Xenoclides Poëta, quod Athenienſium Legatos ad Philippum miſſos, ciues & populares ſuos, priuati hoſpitij iure ſuis ædibus excepiſſet. Sicut enim priuatorum res publicis Palatijs inferri non debent, adeoque nec priuati alicuius imago publicâ in baſilicâ ſuſpendi poteſt, ita quæ ad magnificentiam & publicum ſplendorem pertineot, occupari à priuatis non debent.

Res priuatæ ne inferantur in publica Palatia.

Ideo cum Ptolomæus Ægypti Rex fratris iniuriâ depulſus Romam profugiſſet, lateretque in Alexandri cuiuſdam Pictoris ædibus, Romani vbi intellexerunt, illum in publici Laris ſplendorem deduxerunt. Exceptos iam Legatos ita quidam obſeruant & quaſi ſepiunt, vt mouere illi pedem non poſſint, quin ipſi reſciaot. Benè id quidem cum mali aliquid ab ijs timetur. Sic Attici ſumma diligentia obſeruauerunt Xerxis Perſarum Regis Legatos, cum muneribus corruptam ciuitatem à communi Græciæ fœdere auellere deſiderarent. Idem ſibi eueniſſe in Turcica Legatione conqueritur Augerius, & moris illud eſſe in Moſchouia Baro affirmat.

CAPVT II.

Quomodo admittendi ad Principem ſint Legati.

PRiuſquam ad Principem admittantur Legati, compoſita omnía & ornata eſſe in Palatio debent, atque ita, vt non tantùm Principis Maieſtas appareat, verùm etiam prudentia in Palatinorum numero & ornatu, inque Regiæ domus ſplendore. Hæc vbi parata ſunt, admitti ſtatim Legati debent cum omni beneuolentia & humanitate. Ita vt nec diu detineantur, nec variâ cunctatione procraſtinationeque quaſi deludantur. Vbi adſunt, audire ipſos & eorum mandata mox oportet; nec per alium (ne contemptus vllus appareat) ſed per Principem.

Admittendi cito & cum omni humanitate.

Arrogantiæ aut ſtoliditatis ſuſpicione Princeps non caret, audire ipſe qui non vult. Expedit ſanè ſuis hîc potiùs, quam alienis vti auribus, & fidere. Et verò etiam infra Legationis illuſtris dignitatem eſt, cum alio, quàm cum ipſo, ad quem itum eſt, Principe communicare. Præterquam quod non raro Legatorum mandatis adijciatur, ne alteri, quàm ipſi Principi, illa exponant. Imò Maieſtatis quidam eſt ſplendor audiendis Legationibus vacare, cùm aliena teneri poteſtate videatur, qui per alios excipit & audit Legatos. Cautè tamen hîc agendum & audiendum, nam ſuſpecti nonnunquam ſunt Legati.

Audiendi etiam per ipſum Principem.

Quæſtiuncula.

An remittere Princeps Legatum ad ſe miſſum, ac non audire poſſit? Quemadmodum ſine cauſa Legationem prohibere contra ius gentium eſt,

eſt, ita ſine cuaſa Legatum non audire. Quod ſi tamen cauſa ſubſit, remittere ac non audire poteſt; ſed illa oſtendi declararique debet: ſi tacita ſit, nulla eſt.

Exempla cum Auctoritatibus.

ADmittendi citò & cum omni humanitate; audiendi verò etiam per ipſummet Principem. Modum hoc capite docemus. Matthæus Langius Epiſcopus Gurcenſis, cùm ab Imp. Maximiliano primo Legatus miſſus eſſet ad Iulium II. Pontificem, & ad eum audiendum tres Cardinales conſtituti eſſent, noluit mandatum ſuum illis aperire: cumque illi indignati tres miniſtros ſuos ad Legatum miſiſſent, ipſe totidem ex ſuis ad illos remiſit, tandem ab ipſo Pontifice auditus eſt. Ideò etiam Legationis mandatis ſæpiſſimè adijcitur, *ne alteri, quam ipſi Principi, ea exponantur.*

Quæritur hic *an remitti Legatus aliquando non auditus poſſit?* Lygurum Ciuitas à Romanis capta & in ſeruitutem redacta eſt, quòd illi eorum Legatum audire noluiſſent, & reſiſtentem ferro abegiſſent. Poſſunt tamen cum cauſa nonnumquam reijci. Sic ijdem Romani Legatos Pyrrhi, quod cum auro ad corrumpendam Ciuitatem veniſſent, reiecerunt. Sic Pius Secundus Pontifex Cæſaris Legatum audire recuſauit, quod eſſet dignitate Legationis obſcurior, clariorem ſibi remitti poſtulans. Poſſunt ob cauſam aliquam reijci.

CAPVT III.

Quomodo exponere Legati mandata debeant.

LEgati cùm mandata ſua proponent & exponent, ſummâ id inprimis dignitate libertateque facient, ita tamen, vt omne conuitium abſit & calumnia; nec atrocitas, nec ſuperbia, nec immodeſtia verborum appareat. Libertas enim dicendi licentia quæuis eſſe non debet. Deinde maximâ fide agent; nec aliter, quàm ſi ipſe præſens eſſet, qui mittit, Princeps, eorumque ore loqueretur, & animo deliberaret: quam ob cauſam, ne quid contra eius mentem proferant, ſtudioſè cauebunt. Tum ſui etiam in ea Maieſtatis repræſentatione non erunt immemores, ne contemptui habere illum videantur, quem habent præſentem. *Summâ libertate, & fide.*

I. Quâ linguâ exponendum ſit mandatum? Mittentis ſanè linguâ. Vnde Legatus ſolemniter verba facturus, gentile idioma ſuum proferet, & Principem ſuum, populumque ſpectans, linguam adferet, non inueniet. Poſtquam tamen expoſito iam mandato ſeorſim res agetur, peregrinæ linguæ miniſterio vti licebit, vt acuratiùs & certiùs ſingula Legationis momenta intelligantur ac percipiantur. *Queſtiunculæ.*

II. Quis eſſe debeat Legati dicentis habitus ac geſtus? Reuerenter & cum ſalutatione accedere debet, etſi etiam hoſtium Legatus hoſtem accedat. Quippè hoc iuris gentium eſt, nec eâ humanitate mittentis Maieſtas minuitur, aut ſubiectio aliqua ſignificatur, ſed augetur ſanè & amplificatur. Salutationis autem cæremonias pro patriæ ſuæ quiſque more faciet, nec abiectâ adulatione ad externorum mores ſeſe dimittet.

III. An ſtare, an verò ſedere dicendo Legatus debeat? Sedere honorificentius eſt, quàm ſtare, non omnibus tamen promiſcuè Legatis ius hoc ſedendi permiſſum, niſi à maioribus miſſi fuerint, vel paribus. Videndum quid conſuetudine ſit receptum, & Legationis dignitas omni modo tuenda eſt. Prudens Legatus, quid hac in re Iuris ſit ac dignitatis videbit, ac tum etiam cum de loco & ordine cum aliorum

Principum Legatis contentio eſt, ne riſum potiùs ſuâ ambitione reportet, quàm gloriam.

IV. Qualis eſſe debeat Legati dicentis Oratio? Quæ Eloquentiam redoleat, ſitque venuſta cum neruoſa breuitate, non ſucata, non affectata. Præmeditata adferat oportet, non verò verborum quâdam volubilitate fretus in medium proſiliat. Grata omnibus neruoſa illa breuitas, neque à Legato Aſiatica illa vbertas orationis cum longioribus periodorum anfractibus expectatur. Sæpè ornatiſſima ea oratio eſt, quæ minimum ornatus oſtendit.

Exempla Varia.

SVmma libertate debent & fide, ſine calumniâ tamen & atrocitate, atque ita vt libertas licentia non ſit. Cum Præcopis Tartarorum Principis filius à Stephano Præfecto Valachiæ bello captus carceri manciparetur, centum Legati ad redimendum illum miſſi ſunt, qui cum in grauiſſimas minas erupiſſent, niſi mox filius Præcopis Principi reſtitueretur, breui totam Regionem ferro incendioque vaſtandam, commotus iuſtiſſimâ ira Præfectus (quippè qui nihil adhuc negauerat, ac ne inclementi quidem veroo viſus fuerat) actutum omnes interimi mandauit, præter vnum, quem egregiè conſpurcatum & mutilatum expulit, vt, quid contumelia poſſet, ſuperſtes nuntius deferret.

Exemplum Crudele. Quæritur *quomodo ſe habere dicendo Legati debeant?* Dacula Moſchouitarum Dux, cum Legati Turcarum iniuſſi ſua capita tegerent, clauis pileos eorum capitibus affigi curauit. Demagoras verò imminutæ Maieſtatis damnatus Athenis fuit, quod Regem Perſarum, non vrbis ſuæ, ſed Perſarum more ſupplice adoratione adiuiſſet.

Quæritur iterum *vtrum ſedere an ſtare debeant?* Maximilianus primus Imp. cum apud eum Daniæ Regis Legatus ſedendi ius ſibi vendicare dicendo conaretur, ipſemet ſolio aſſurgens ſtando eum audiuit, vt Legatus pudoris cauſa ſedem etiam relinquere cogeretur. Legatus autem Imperatoris, cum ſedendo apud Turcam perorare ſemper ſolitus eſſet, idque inuertere Turcæ volentes ex auditorio ſedes omnes ſuſtuliſſent, ipſe pallio in nodos & ſcabelli vſum collecto ſuperſedit, & perorauit, poſtea digrediens humi reliquit. Exemplum ſepidum. Cumque à Mahometicis interrogaretur, cur pallium non tolleret, callidè & feſtiuè reſpondit, Imperatorem ſuum non ſolere ſedes ſecum exportare. Ridiculum quidem exemplum, ſed quo Legationis dignitatem omninò tuendam eſſe oſtenditur.

Quæritur? 3. *Qualis eſſe Legati oratio debeat?* Cum Samiorum Legati garrula & ineptè prolixâ oratione vſi fuiſſent, reſpondit Cleomenes Lacedæmonicus *ſe priorum non recordari, media non intelligere, extrema probare non poſſe.* Cum ſuperioribus annis, vt tradit Kircknerus Legati ad Poloniæ Regem ex Germaniâ, Dania & Hiſpania veniſſent permulti, omnium approbatione iudicata eſt prudentiſſima oratio Hippoliti de Collibus Electoris Palatini Legati; quod reliquæ elegantes quidem & terſæ, ſed nimis ad Scholaſticæ declamationis ritum fuiſſent deflexæ. Imitari Legatus poteſt orationes Senatorum Conſulumque apud Thucydidem, Liuium, Tacitum, Saluſtium.

CAPVT IV.

An reſpondendum ſit Legatis.

Iure dari reſponſum Legatis debet. IVre Legationis reſponſum Legatis debetur. Quippè non audire ſatiùs eſſet, quàm auditos ſine reſponſo dimittere. Quare quemadmodum cogi Legati poſſunt, vt mandata exponant, ita iure ipſi reſponſum poſſunt poſtulare, vrgereque, etſi non ad certum diem. Eſſe verò reſponſum, cùm pro rei neceſſitate, tum pro Principis reſpondentis dignitate debet, vt quædam Maieſtas, non ſine gratia tamen, appareat.

parauat. Quod ſi dubium ſit reſponſum, Legati ſcripto illud comprehendi curabunt. Idem facient ſi ingratum ſit, ne referre domum inſauſta videantur. *Niſi inuerecundè egerit.* Aliquando ſi inuerecundè Legatus egerit, aut dixerit quippiam in mandati expoſitione, ſine reſponſo ac re infecta remitti in patriam poteſt. In Arbitrio Principis audientis eſt.

Exempla & Authoritates.

IVre reſponſum dari Legatis debet, niſi inuerecundè egerint. Reſponſum pro dignitate & neceſſitate eſt. Dignitatem, vt putabat, oſtendit Alexander Magnus Legatis Darij Regis repetentibus vxorem & filias Darij, agentibuſque gratias quod intactæ eſſent, & offerentibus ſi filiam vnam ducere vellet, quicquid terræ eſſet, inter Euphratem & Helleſpontum, cum reſpondit. *Ea quæ offerrent non donum ſed debitum, ſe quoque neque Darij auro egere, neque Prouinciæ ſibi partem ſufficere, quæ tota ſua eſſet; filiam nondum ſuæ deſtinationi placere, amicitiam cum Dario non aliam placere, quam quæ iure belli conſtitueretur.* Ageſilaus cum per Legatos tranſitum petijſſet à Rege Macedonum, iſque ſe deliberaturum dixiſſet, ergo deliberet inquit, ſed nos interim tranſeamus. Ciaxares Rex Legatis Indicis proponentibus ſuum Regem ſcire cupere, quæ cauſa belli eſſet inter ipſum & Regem Aſſyriorum, futurum illum à parte illius, cui fieret iniuria; referte, inquit, Regi veſtro nihil iniqui à me in Regem vel regnum Aſſyriorum profectum eſſe, cæterùm ſi cui manus in me pruriunt, maſculum animum & virum præſtabo. Talia interdum reſponſa Maieſtatem decent potentiorum, & victoriæ felicitatem.

CAPVT V.

Quomodo dimittendi ſint Legati.

POſteaquam perfuncti ſunt munere ſuo Legati, vt anteà ſumma cum humanitate admiſſi ſunt, ita debent dimitti. Nec ipſi moras trahent; quàm citiſſimè enim, quæ geſta ſunt, referre ad Principem oportet. Et aliquando cum nota, aut damno tarditas eſt. Sit licet viarum aſperitas, properandum tamen, nec aut voluptas quærenda, aut priuatum agendum negotium. *Dimittendi cum omni humanitate. Et citò ipſis abeundum.*

An accipere Legati munera poſſint ab ijs, ad quos ſunt miſſi? Non idem Gentibus omnibus placet. *Quæſtiuncula.* Apud nonnullas munera in Legatione contrectaſſe capitale eſt, quod ea res periculi ac ſuſpicionis ſit plena, cùm facere munera ſoleant, vt charior quandoque pecunia ſit, quàm fides. Aliæ tamen venientibus Legatis lautia offerunt, & hoſpitalia comiter multa præſtant. Suos ſine muneribus redire non æquo animo ferunt. Profectò cùm recuſari debeant, quæ ad corrumpendum munera offeruntur, tum accipi ea poſſunt, quæ honoris ac beneuolentiæ cauſâ dantur; potiſſimùm verò cùm honorifica Legatio eſt, vel ad matrimonium procurandum, aut id genus aliud negotium. *Honoris cauſa accipi munera poſſunt.*

Varij Mores & Exempla.

DImittendi cum omni humanitate; ipſis verò citò eſt abeundum.

Quæritur, *an antequam diſcedant capere munera poſſint ab ijs, ad quos ſunt miſſi?* Diuerſarum autem Rerump. diuerſa ſunt inſtituta. Apud Athenienſes lex fuit, ne Legati munera & Xenia acciperent, multique ſanguinis pœnam ſuſtinnerunt, quia acceperant. Callias etſi pacem glorioſam probatiſſimamque Athenienſibus omnibus cum Perſarum Rege confeciſſet, quia tamen in Legatione munera acceperat, talentis quinquaginta mulctatus eſt. Nec Philocra-

tes, quod donatus à Philippo Macedoniæ Rege redijt, impunè tulit, Corinthij eandem contra Legatorum munera legem ſanxerunt. Et Veneti ad Græcorum imitationem capitale fecerunt munera in Legationis functione contrectaſſe. Vnde Hermolaum Barbarum virum eruditiſſimum tacitis ſuffragijs Senatores condemnauerunt, quod Epiſcopatum Aquilienſem ab Innocento VIII. Pontifice non recuſauiſſet, ſed ille oportunà morte diem præuenit. Dux Moſchouitarum Legatis ad ſe redeuntibus auferre munera omnia ſolet. Pro munerum tamen acceptatione facit, quod Romani Legatis Romam Venientibus Xenia dare ſoliti fuerint, aliaque hoſpitalia comiter præſtare.

CAPVT VI.

De Renuntiatione Legationis, & præmijs.

Reuerſus Legatus renuntiare omnia debet.

RENuntiatio Legationis eſt ſolemnis eorum commemoratio, quæ in Legatione acciderunt, coram eo facta, qui miſit. Itaque vbi redijt Legatus, confeſtim coram Principe ſolemniter ea renuntiare debet, primò quæ ad mandati expoſitionem & reſponſionem ſpectant: deinde quæ ad exceptionem honorificam, munerum donationem, ingenium, mores, dictaque Principis alterius. Accuratè omnia & ſincerè nihil diminuendo, nihil augendo, ita vt de omnibus iudicandi ſtatuendique facultas integra penes ipſum ſit Principem. Si fieri poteſt, verba ipſa in reſponſione data, vt ex ijs reſpondentis mens intelligatur, debent referri; imò vultus ipſe, oculi, geſtus; aliorum etiam communes ſententiæ & rumores. De omnibus ſumma cum modeſtia ſuum ipſe Legatus iudicium interponet.

Legatis refundendi ſumptus, & honores dandi.

Factâ renuntiatione refundere Legato ſumptus omnes oportet, ne damnoſum illi fuerit Legationis munus. Deinde decernendi honores, præmia, perrogatiuæ; ſed ita, vt eius ſpes alatur, & maiora aliàs poſſit expectare; alij interim ad eiuſmodi arduum munus excitentur, & ad obſequia præmiorum ſpe prompti fiant. Si ratio impendiorum quandoque expoſcatur, id fiat ſine calculi quæſtorij ſeueritate. Multa enim apud ſuſpectos potiſſimùm & inuiſos Principes largiri delatoribus & exploratoribus Legati debent, multa latenter facere, quæ vt eorum fidei & arbitrio ſunt relinquenda, ita non accuratè ad examen reuocanda. Diximus de Legatis.

Exempla cum Moribus Gentium.

Etiam exploratorum ratio reddenda.

REuerſus Legatus renunciare omnia debet; ei verò refundendi ſunt ſumptus, & honores dandi. Venetorum illud inſtitutum eſt, vt peregrè reuerſi Legati ad Senatum referant, de omnibus, quæ non ſolùm in totius Legationis curriculo ab ipſis acta, ſed etiam quæ viſa, notata, animaduerſa. Eodem modo veteres Romani Gentium & regnorum omnium iura & conſuetudines per Legatorum renunciationem explorarunt. Porrò ratio ſumptuum ad calculum quæſtorium exigi à Legato reuerſo non debet, etſi paratus ipſe eſſe debeat. Conſaluus cum Ferdinando Hiſpaniæ Regi in recuperando à Gallis Neapolitano regno maximè inſignem & fructuoſam operam per annos complures nauaſſet, tandem malè adminiſtrati muneris inſimulatus, & ad rationes accepti expenſique à Rege, qui Neapolim traiecerat poſtulatus fuit. Is verò impetrato exigui temporis interuallo breui ſchedula rationes earum re-

rum, quas pro tranquillitate & reſtitutione regni egregiè ac cum admiratione geſſerat, complexus ab omni ſuſpicione tum rei malè actæ, tum pecuniæ malè collocatæ ſeſe liberauit. Quippè rerum præclarè geſtarum magnitudo ſumptuum calculum obliterabat. Olim apud Athenienſes reuerſis Legatis publica encomia & ſacræ coronæ dabantur ex oleâ. Apud Venetos in Curiâ & Senatu locus honoratiſſimus datur, ſumptus refunduntur, munera honorifica conferuntur. Vide Fredericum Marſelaer qui de Legato bene, Eleganter, & quod ſatis eſt ſcripſit.

TITVLVS VIII.

De Magiſtratibus in genere.

CAPVT I.

Quid Magiſtratus, quotuplex, & quæ neceßitas.

MAGISTRATVS nomen à Magiſtro deductum eſt, quod rerum officiorumque Magiſtri ſint quidam, ac magis ſeu amplius præſtare debeant, qui Magiſtratum gerunt, quàm qui priuati viuunt. Capi verò vel pro ipſa poteſtate, quæ poſt ſummum Reip. Principem penes aliquos eſt, poteſt; vel pro perſona, quæ in eiuſmodi eſt poteſtate conſtituta. Nos hîc de perſonis agemus iiſque ciuilibus, cùm de Mageſtratibus Eccleſiaſticis dicere propoſitum non ſit. *Vnde dictus Magiſtratus. Quomodo accipiatur.*

Eſt autem Magiſtratus perſona publica, quæ à ſummo Reipublicæ Principe poteſtatem habens commiſſam ſibi Reipublicæ partem adminiſtrat. Quippè veteribus magiſtrare idem quod gubernare imperareque fuit. Et eſt Magiſtratus omnis ſupremæ in Republica poteſtatis vicarius, omne ſuum ab illa Imperium habens, cui proinde fidei & obedientiæ iuramento obſtringitur. *Quid ſit.*

Variè diuidi Magiſtratus ſolet. Atque vt de ſummo Magiſtratu, quem Principes & Reges obtinent (de quo primo libro) nihil hîc dicamus, alius maior eſt, alius minor. Maior eſt, qui nulli præterquam ſupremo Principi ſubeſt. Minor, qui ſuperioris Magiſtratus Imperio tenetur, & alijs infra ſe Magiſtratibus vel priuatis imperat. Deinde vel Togatus eſt, vel Armatus. Togatus, qui domi & in pace togatis ciuibus imperat. Armatus, qui militibus armatis in bello. Item alius ordinarius eſt, alius extraordinarius. Ordinarius eſt, cuius Imperium certâ Principis lege ac voluntate definitum eſt. Extraordinarius, qui neceſſitate poſtulante tantùm conſtituitur, & eâdem ceſſante deſinit. *Quotuplex.*

Porrò Magiſtratus hi omnes, qui ſubordinati ſunt, cum imperandi iure parendi neceſſitatem habent; parere ſupremo Principi debent, & alijs ſuperioribus, ſi quos habent, Magiſtratibus; imperare verò ſubiectis. Eorum conſtitui duplex ordo poteſt, ita vt aliqui in hominum gubernatione, alij in opum publicarum adminiſtratione verſentur. Primi generis ſunt Principum Conſiliarij ac Senatores, Prouinciarum & vrbium Præfecti, Iudices, & oppidorum Magiſtratus, alijque id genus, quorum officium eſt Principis ſubditos conceſſâ ſibi poteſtate ad Reip. fi- *Duplex ordo Magiſtratuum: vel gubernandis hominibus, vel rebus acquirendis.*

nem

nem dirigere, vt honeſtè ſecundùm virtutem viuant, ac felices euadant. Secundi generis ſunt, qui rebus acquirendis, augendis, ac conſeruandis occupantur. Tales ſunt Principum & Rerumpublicarum Quæſtores, qui vectigalia & reditus exercent. Alij ſunt, qui his omnibus quodammodo ſubſeruiunt, minores Magiſtratus, & Magiſtratuum miniſtri, quos publica auctoritas tuetur. Suo loco de ſingulis, nunc in genere de omnibus. Omnium hæc neceſſitas eſt, quod, cùm imperantium parentiumque ordinibus Reſpublica conſtet, nec hominum ſtare ſocietas poſſit, niſi aliquorum ductum ſequatur, & vicariam operam præſtare aliqui Principibus debeant, omninò neceſſarij ſunt in quacunque Reip. forma Magiſtratus.

Neceſſitas.

Authoritates aliquæ.

DEFINIMVS hic & diuidimus variè Magiſtratum: de eius neceſſitate dubitari non poteſt. Prouerb. 11. *Vbi non eſt Gubernator, populus corruit.* Plato lib. 6. de Legibus, *Nemini dubium eſt*, inquit, *quin cum magna res legum latio ſit, ſi quis Ciuitati per leges benè parata non idoneos Magiſtratus conſtituat, quamuis leges benè poſita ſint, tamen non modo id nihil proderit, riſumq́; mouebit, verum etiam calamitates maximas Ciuitatibus pariet.* Cic. 3. de Legibus: *Magiſtratibus opus eſt, ſine quorum prudentia ac diligentia ciuitas eſſe non poteſt, quorum deſcriptione omnis Reip. moderatio continetur.* Lucretius lib. 5.

Res itaque ad ſummam fæcem turbaſq́; redibat,
Imperium ſibi cum ac ſummatum quiſque petebat,
Inde Magiſtratum partim docuere creare,
Iuraq́; conſtituère, vt vellent legibus vti.

Ariſtoteles lib. 4. Polit. c. 4. *Octaua pars Ciuitatis eorum eſt, qui publicis muneribus funguntur, Magiſtratuſq́; gerentes ſuum officium præſtant, ſiquidem Ciuitas eſſe abſque Magiſtratibus non poteſt.* His auctoritatibus ſi communis experientia accedat, videmus in omnibus Rebuſp. quantumuis minimis, aliquos eſſe, qui præſint, quacunque tandem authoritate, & ad publici boni metam omninò dirigant.

CAPVT II.

Quæ potiſſimùm in Magiſtratibus requirantur.

Inprimis vitæ Probitas.

VT non omnia dicamus, aut paucis omnia, in Magiſtratibus, hoc eſt, in ijs, qui cum imperio Reip. partem aliquam obtinent, tria potiſſimùm requiruntur. Inprimis vitæ probitas, & ſinceri animi iuſtitia. Quippè nihil periculoſius improbitate eſt, quæ Imperio ſit armata; nihilque ſtultius, quàm alicui Reip. officio hominem improbum præficere, cùm ea ſit improborum conditio, vt quo plus valent, plus noceant. Sanè non gubernant, qui mali ſunt, ſed decipiunt & ſæuiunt. Gubernantium vitijs tota reſpublica inficitur: nam in eam ipſi ſua vitia infundunt, & plus exemplo, quàm peccato nocent. Valeat hîc vetus illa lex, *Hic ordo vitijs careto, cæteris ſpecimen eſto.*

Deinde Amor Patriæ.

Secundò, ſtudium & amor erga Patriam. Bene enim adminiſtrare Remp. non poſſunt, qui erga illam malè ſunt affecti, & eius quidam viuunt inimici. Quippè tales ad Reip. ſtatum euertendum ſuâ potentiâ & auctoritate non rarò abutuntur. Operæ pretium fortaſſis erit, eos potiſſimùm ad Reip. officia admittere, qui liberos habent, quod

his

his veluti pignoribus maiori beneuolentiâ, fide, & amore in Patriam obſtringantur.

Tum rerum vſus & ſcientia.

Tertiò, quidam rerum vſus & ſcientia. Vt nimirum ſua officia rectè intelligant, cùm planè deceat, vt peritiſſimo Magiſtratus committatur. Et expedit, vt priuſquam ad Magiſtratum quiſquam aſſumatur, totum jus & rationem officij ſui cognoſcat. Sæpè Magiſtratuum & officiorum Reip. ſunt candidati, qui quòd petunt, non intelligunt. Diſcere tum regendi artem volunt, cùm regere debent; atque ita fit, vt eorum erroribus Reſp. implicetur, & perdant, qui conſeruare deberent.

Quæſtiuncula.

Quid ſi hæc tria in ſingulis atque ijſdem non reperiantur? Tunc certè videre oportet, quæ qualitas plus ponderis ac momenti in Magiſtratu adminiſtrando obtinere poſſit. Aliquando peritia omninò neceſſaria eſt, nonnunquam ſola vitæ probitas ſufficit. Sit Quæſturæ candidatus rationum & Arithmeticæ peritus, ſed improbus; malo eum, in quo probitas ſit & pecuniarum contemptus.

Authoritates cum Rationibus.

VItæ probitas inprimis. Hinc Iſocrates in Panathenaico, *Veteres*, inquit, *Athenienſes non temerè quoſuis ad conſilia & Magiſtratus admittebant, ſed prudentiſſimos & optimos, & vitæ integritate ſpectatiſſimos. Atque hos ipſos tum Imperatores creabant, tum Legatos ſi quando neceſſe eſſet, mittebant, tum Magiſtratus vrbis omnes illis mandabant.* Herodotus in Thalia dat hanc rationem, *Quod ex optimis viris credibile ſit optima exiſtere conſilia.* Quo ſenſu dicit Philo lib. de Legatione ad Caium, *Solet*, inquit, *Deus bonis viris bona conſilia, & Reip. commoda ſuggerere.* Plato 3. de Rep. requirit, vt qui quærendi ſunt iudices & Magiſtratus probitatis teſtimonium per ſingulas ætates habeant. In Romanis verò Legibus, vt teſtis eſt Cic. 3. de Leg. hæc quoque erat de Magiſtratu: *Hic Ordo vitijs careto, cæteris ſpecimen eſto.* Et merito quidem, Nam non regnant ſed ſæuiunt, qui mali ſunt, vt ait D. Aug. lib. 5. de Ciuitate Dei. *Improbi quo plus valent, plus nocent*, vt docet Plato 1. de Rep. Nihil quippè periculoſius improbitate eſt, quæ imperio ſit inſtructa. *Nemo*, inquit Demoſthenes in Oratione contra Ariſtocratem, *ignauum canem ouili præfecerit, & improbum hominem Reip. præficiemus?* Vnde Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 7. loquens de Tribunatu plebis, ait, *illum quidem Reip. vtilem eſſe*, vt etiam Cic. 3. de Legibus, *ſed viris improbis non eſſe committendum.*

Secundò *amor Patriæ.* Ne nimirum Magiſtratus ſint inimici vel malè affecti, & potentia ſua ad euertendum ſtatum abutantur. Quod vt aſſequerentur, rectè Maſſilienſes ad Magiſtratus neminem admittebant, niſi qui liberos haberet, quod his veluti pignoribus maiori beneuolentiâ & amore & fide in Remp. adſtringerentur.

Tertiò *rerum vſus & ſcientia*, vt eius, cui quis præeſt, Magiſtratus officia rectè intelligat. Laudatur Cato, qui priuſquam Magiſtratum petierit, omne ius eius & munus cognoſcere voluerit. Non puduit Pompeium Conſulem de Senatu habendo Varronem conſulere, & vt ea de re librum ſibi conſcriberet, rogare. Sicut enim cytharam non pulcherrimo aut nobiliſſimo, ſed optimo fidicini, ita Magiſtratum peritiſſimo viro committi oportet. Lucullus Dux Mithridatici belli creatus libros de re militari & Imperatoris officio ſtudioſiſſimè lectitauit.

Quæritur autem, *Quod ſi hæc tria in ſingulis non reperiantur?* Tum ea qualitas, quæ rarior eſt, plus momenti in aſſequendo Magiſtratu habere debet. Vnde quia ſcientia rei militaris rarior eſt, quam probitas vel patriæ amor, Imperatorem exercitus peritum potius & ſcientem eligere oportet, licet improbum, quam virum bonum & bellandi ignarum. Id apud Plutarchum præclarè Cic. oſtendit. Nam cùm Domitium hominem imbellem & militiæ rudem ad Præfecturam produceret, eumque virum bonum eſſe diceret & modeſtum: *Quin igitur*, inquit Cicero, *hunc liberis tuis tutorem conſeruas?* Pro quæſtura ad-

miniſtranda rationum & Arithmeticæ peritus quis eſſe debet: quia autem tales plurimi ſunt, pauci autem probi & pecuniarum contemptores, ideo in committendâ quæſtura ſpectari probitas potius debet, quam peritia. Id obſeruauerunt olim Græcorum Ciuitates, quæ communi conſilio Ariſtidem tributis præfecerunt, & communem quaſi totius Græciæ quæſtorem conſtituerunt, virum adeo probum & iuſtum, vt probi & iuſti cognomen reportarit.

CAPVT III.

An in Magiſtratibus habenda ſit ratio eruditionis.

Expedit Magiſtratus viros eſſe doctos.

VEræ felicitatis fons eſt doctrina, cuius fama nunquam marceſcit; contrà verò multarum miſeriarum ac calamitatum in Rebuſp. cauſa eſt inſcitia. Ideò valdè expedit, vt quibus Reip. pars aliqua committitur, ij doctrinâ ſint exculti. Hæc enim vtilia ad officium debitè peragendum conſilia ſuggerit, & hominis animum ita conſtituit, vt ordinare cuncta prudenter poſſit. Maiorem etiam addit illa auctoritatem, & venerationem apud ſubditos conciliat. Et quanquam virtus quædam non raró inſit à natura, & impetus quaſi ſumat, perfici tamen doctrinâ debet, ac tum multò præſtantior eſt, & planè ſingularis. Quoniam tamen multa ſunt Reip. officia, quæ eximiam aliquam doctrinam non requirunt, poterunt ij etiam ad illa promoueri, in quibus cùm cætera ſint, tum naturalis quidam animi vigor, qui eſſe pro doctrina poteſt, & firmum aliquod bonæ naturæ iudicium. Imò in illis ſui officij peritia cum vitæ probitate ſufficiet. Quippè non raró in minoribus illis officijs diligentiores ſunt imperiti homines, quàm multis ſcientijs ornati, & magnâ fide, quod in vſu eſt, ſequuntur.

Pro aliquibus tamen officijs ſufficit naturale iudicium.

Teſtimonia & Authoritates.

CVm maxima Magiſtratuum ſit virtus *legibus obtemperare*, tum qui doctrinâ & eruditione ſunt deſtituti legibus ſimpliciter obtemperant ex æquoque & bono iudicant, *docti verò ſapientiores legibus videri volunt*, vt ait Thucydides lib. 3. Inde ſymbolum illud Licinij Imp. *Peſtes Reip. littera*, vt refert Eutropius. Gothi etiam, teſte Macrobio lib. 1. de bello Gothico, *litteras diſcendas ei negauerunt, qui inter haſtas & enſes verſari aliquando deſideraret*. Quâ de re lib. 1. diximus, & indoctos Imperatores in exemplum produximus. Iudicamus tamen expedire Magiſtratus viros eſſe doctos, *Magiſtratuum enim magnum ac difficile munus eſt, cura ingens, & quæ magnis auctoribus eget*, vt ait Plato lib. 2. & 7. de Rep. *Neque ad vitam ſolùm inſtituendam littera conducunt, verum etiam neceſſariæ ſunt ad conſultandum, & conſilia ad Remp. capeſſendam vtilia ſuppeditant*, vt ait Plutarchus in Coriolano. Ac vt neceſſe eſt ante omnia regulam eſſe rectam, vt ea quibus applicatur, ad rectitudinem perducantur, ita Magiſtratum oportet ipſum rectè conſtitutum eſſe, *cum non ſit cadentis erigere, nec incompoſiti componere, nec inordinati ordinare*, vt Plutarchus ait ad Principem indoctum. Virtus equidem à naturâ quoſdam impetus ſumit, tamen perficienda doctrina eſt, & ſi ad naturam eximiam eruditio acceſſerit, tum demum ſingulare quid exiſtere ſolet, vt ait Cic. pro Archia Poëta. *Magna enim ingenia niſi litteris, quæ mores emolliunt, imbuta fuerint, tanto deteriora euadunt, quanto maiores igniculi in illis extiterint*, vt Plato lib. 6. de Rep. fatetur.

CA-

CAPVT IV.

Vtrùm venales eſſe debeant in Republica Magiſtratus.

VEriſſimè dictum, nundinari Mugiſtratus omnis malitiæ initium eſſe & finem. Nam vbi venalia ſunt Reip. officia, ibi diuitiæ in maiori ſunt honore, quàm virtus, & auaritiæ tota Reſpublica mancipatur. Imò hoc vnum eſt malæ conſtitutæ Reipublicæ argumentum, ſi pecuniâ Magiſtratus parentur. Tollatur ſanè virtutis & eruditionis ſtudium, ſi ijs tantùm ad honores aditus pateat, qui ſunt opulentiores. Quanquam nec facilè eum ſubditi reuerebuntur, quem propter pecuniam, non propter virtutem placuiſſe Principibus non ignorant. Adeò officiorum contemptum hæc res facit, & in ſingulorum animis Patriæ amorem extinguit, cùm non quantum quis amet Patriam, quæratur, ſed quantum offerat. Igitur ne fœda illa pecuniæ cupiditas virtutes maximas deſœdet, ſed Reip. honoribus virtus ornetur. Quia verò fieri ſolet, vt quanquam virtuti pateant honores, & meritis officia; plurimi tamen largitionibus & nundinationibus quibuſdam ad Rempublicam accedant, dum Principum miniſtros promiſſis ac pecunijs corrumpunt, & maximis muneribus commendationes emunt, operæ pretium eſt, vt commendationibus huiuſmodi nihil Principes deferant, ac perſonarum candidatarum qualitates meritaque tantùm examinent. Ita fiet, vt nihil daturi ſint, qui commendationem non expectabunt. Hodie ſibi Reip. officia promittunt, qui amicorum numero præualent. Virtus iacet, & pene odioſa eſt.

Vendi Magiſtratus nullo modo debent.

Prohibenda munera, & non audiendæ commendationes.

Teſtimonia & Authoritates.

VEndi Magiſtratus nullo modo debent. Ita hic docemus. Rectè enim Iuſtinianus Nouella VIII. *Nundinari Magiſtratus omnis malitiæ initium eſt & finis. vbi Magiſtratus ſunt venales*, inquit Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. IX. *ibi neceſſe eſt diuitias eſſe in maiori honore, quam virtutem, totamq́; Ciuitatem auaritiæ mancipari.* Verè enim apud Thucydidem lib. 2. *Pericles rerum intelligentiam & Patriæ amorem pro nihilo ducenda eſſe affirmat, ſi animus auaritiæ ſeruiat.* Quin imò *Reip. malè conſtitutæ argumentum eſt, cum Magiſtratus ſint venales*, ait Plato lib. 8. de Rep. Probabile eſt porrò eos, qui Magiſtratus emerunt, cum impenſam fecerint in Magiſtratum, aſſueſcere quæſtum facere, vt ſententia eſt Ariſtotelis lib. 2. Polit. cap. XI. Vide dicta ad caput 4. Tituli 4. Neque ſanè laudandus eſt Veſpaſianus, qui maximas virtutes ſolà pecuniæ cupiditate fœdauit. *Neque enim*, vt refert Suetonius, *Candidatis honores, reiſq́; tam innoxijs, quam nocentibus abſolutiones vendicare cunctatus eſt.* Et longè hoc etiam deteſtabilius, *quod procuratorum rapaciſſimum quemq́; ad ampliora officia ex induſtria promouerit, quo locupletiores mox condemnaret; quibus vulgò pro ſpongijs vti dicebatur, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes.* Præclarè Alexander Seuerus apud Lampridium. *Ego non patiar Mercatores poteſtatum.*

De Nerone Cornelius Tacitus lib. 13. Annalium, *Nero*, inquit, *cum optimè ſpei iuuenis eſſet, Curiam ingreſſus egregia multa facturum ſeſe promiſit, & inter alia nihil in penatibus ſuis venale aut ambitioni peruium permiſſurum. Hæc ipſa res*, inquit Seneca, Epiſtola 116. *quæ tot Magiſtratus & iudices facit, pecunia, ex quo in honore eſſe cepit, verus rerum honor cecidit, mercatoreſq́; & venales inuicem facti, quærimus non quale ſit quicquid, ſed quanti.* Claudianus in Eutropium: ——

Patricius Conſul maculat, quos vendit honores.

Valeſius Max. lib. 4. tit. de paupertate laudata: *Cum animi virorum*, inquit, *& fœminarum vigebant in Ciuitate, & patriæ rem vnuſquiſque augere properaret, nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecuniâ licebat.* Æmylius Probus *Decuria honoreſq́; largitionibus parari cœperant*. Hunc morem graui edicto D. Ludouicus ſoluit ſibi primum imperans, quod virtuti meritiſque deberetur, fortunæ odium non dari. D. Chriſoſtomus in Epiſtolam Pauli ad Epheſios ſermone 6. *Dignitates facta ſunt venales: mille hinc mala naſcuntur; & tamen nemo eſt, qui corrigat, nemo qui reprehendat, ſed viam quandam atque ſequelam nacta eſt hæc merces.* Ita vix nominis alicuius eſt author, qui hanc Magiſtratuum nundinationem non improbet. Addendus adhuc Claudianus lib. 6. de laudibus Stiliconis:

Ac primum ſcelerum matrem, quæ ſemper habendo
Plus ſitiens patulis rimatur faucibus aurum
Trudis, auaritiam: cuius fœdiſſima nutrix
Ambitio, quæ veſtibulis foribuſq́; potentum
Excubat, & pretijs commercia poſcit honorum
Pulſa ſimul: nec te gurges corruptior ęui
Traxit in exemplum, quod iam firmauerat annis
Crimen, & in legem rapiendi verterat vſum.

CAPVT V.

Cuius ordinis homines ad Magiſtratus ſint euehendi.

DVo ſunt hominum ordines in Republica; alij enim Nobiles ſunt, alij Plebei: item alij Diuites, alij Pauperes. Plebeis vt Magiſtratus aliqui tribuantur, publica tranquillitas requirit; quia tamen in hoc ordine plerumque cum improbitate imperitia eſt, magno periculo res non caret. Vt igitur ordinum inter ſe concordia ſeruetur, ad maiores in Rep. Magiſtratus euehantur, qui Patritij ſunt, & Nobiles; ad minores, qui Plebei. Fieri enim non poteſt, vt erga Reip. ſtatum benè plebs afficiatur, quæ omnium honorum ſit expers. Odium illa facilè concipit, & publicam turbat tranquillitatem, cùm nihil accipit. Id tamen videndum, vt ij, quibus officia Reipublicæ demandantur, ad obeunda negotia ſatis habeant otij, non frequentibus negotiationibus & mercaturis impediantur, non opificij ſordidi exercitio deformentur. Vtile etiam admodum eſſet, ſi de publico honoraria penderentur eiuſmodi, quæ ad tuendam Magiſtratuum dignitatem ſufficerent; atque idcircò ne quæſtum facerent, & lucrum ex officio quærerent.

Ad maiores Magiſtratus euehendi Nobiles, ad minores plebei.

Porrò cùm in Magiſtratuum electione non tam facultates, quàm virtus; non tam adiumenta fortunæ, quàm animi ornamenta ſint ſpectanda, non omninò ab officijs Reipublicæ pauperes ſunt excludendi. Neque enim turpis eſt paupertas, ſed magni animi plerumque teſtimonium præbet, cùm cæteræ adſunt virtutes. Eſt ipſa induſtriæ mater, cum interim opulentia negligentiam pariat, & inſolentiam, & aliorum contemptum. Quare id ſeruandum videtur, vt cùm Reipub. officia conferri debent, non tam patrimonium, quàm exiſtimatio, & anteacta vita conſideretur; ijque etiam diuites cenſeantur, qui iuſtitiâ, pietate, prudentiâ, & alijs animi bonis abundant. Sed & illud hîc etiam videndum, ne ſplendor ampliſſimi ordinis rei familiaris anguſtijs obſcuretur. Nam diuitiæ obſidis & pignoris apud Remp. ſunt loco, maioriſque in Patriam fidei & amoris fundamentum. Diuites etiam, cùm in luce publica viuant, rerum quâdam experientiâ ſunt inſtructi, & aliquam potentiam habent, & magnificentiùs ſe gerunt. Igitur hi, vt plurimùm, pauperibus præferendi, etſi illi non omninò remouendi

Pauperes non omninò excludendi.

Diuites ſæpius præferendi.

Ratio-

Rationes cum Authoritatibus.

ITa inprimis videtur, vt ad Magiſtratus maiores euehantur Nobiles, ad minores plebei: deinde vt pauperes non omninò excludantur, diuites verò ſæpiùs præferantur. Quod attinet ad multitudinem, publicæ tranquillitatis intereſt, vt aliquid plebi tribuatur, aut neceſſariò alterius ordinis auróve concipiet; ſi autem Magiſtratus illi committantur, non paruum erit periculum propter improbitatem & imperitiam. Solon inſtituta Athenis Rep. Magiſtratus ſolis Patricijs permiſit, infimæ plebi duo tantùm conceſſit, ius deſignandorum Magiſtratuum, & ius repoſcendi rationes. Solonem mouit, quod Magiſtratus à ſingulis obeantur, in plebe autem ſinguli non ſatis per ſe ſapiunt: vniuerſi ſapientioribus maximè & melioribus admixti, quod ſatis eſt, ſapiunt. Ariſtoteles ad continendam omnium inter ſe ordinum concordiam ſtatuit, Magiſtratus non vni, ſed omnibus eſſe communicandos, cum eâ moderatione tamen, vt viris bonis, diuitibus & Nobilibus maiores, reliquæ multitudini minores deferantur, quæ ſi omnium honorum eſſet expers, fieri non poſſet, vt erga Reip. ſtatum benè afficeretur. Illud verò expedit, vt eo ordine Magiſtratum geſturi eligantur, quibus ſat otij ſit ad obeunda negotia, tantumque in bonis habeant, vt neque mercaturis faciendis impediantur, nec opificij ſordidi exercitio deformentur. Optandum quoque, ne cui Magiſtratus eſſet quæſtuoſus, ſed de publico honoraria penderentur, quæ ad tuendam dignitatem ſufficerent. Laudabile Alexandri Seueri factum, qui Præſides Prouinciarum, cæteroſque imperij adminiſtros rebus neceſſarijs inſtruebat, quas in quadruplum reddere cogebat, vt author eſt Lampridius, ſi officio ſuo non benè functi arguerentur.

Nobilibus & diuitibus maiores Magiſtratibus. Minores plebæis.

Magiſtratus non exerceant ſordida opificia.

CAPVT VI.

An expediat Magiſtratus eſſe perpetuos.

QVoniam hîc de Monarchia potiſſimùm agimus, in ea perpetui eſſe Magiſtratus debent, ſaltem maiores. Quippè longo demum vſu adminiſtrandi peritia comparatur; vnde ſi annua eſſent, aut non longi temporis officia, citiùs ſuâ poteſtate Magiſtratus defungerentur, quàm probè ſuorum officiorum rationes intelligerent. Cùm ad tempus Reipublicæ officia mandantur, Magiſtratuum auctoritas euileſcit; vix enim cum auctoritate imperare is audet, qui breui ſe priuandum non ignorat. Cùm verò detracta Magiſtratibus cum dignitate auctoritas eſt, nemo obtemperat, nemo reueretur. Vbi perpetua poteſtas eſt, ibi & obſequium cum promptitudine eſt, & Imperium cum dignitate. Noui Magiſtratus noua fere faciunt omnia, & vt facere aliquid videantur, quæ à Maioribus inſtituta cum laude & vtilitate fuerunt, non rarò immutant. Quaſi plus eſſet aliquid innouare, quàm quod bene inſtitutum eſt retinere, ac conſeruare. Pernitioſa eſt autem ferè omnis in Republica mutatio. Nec verendum, ne perpetui Magiſtratus inſoleſcant, aut Imperio ſuo abutantur, cùm ſuprema imperantis auctoritas continere eos in officio poſſit, ac tantum potentiæ dare, vt nec dignitas eorum minuatur, nec noui aliquid moliendi facultas adſit. Conſultum erit nonnunquam rationes officij ab illis perpetuis Magiſtratibus repoſcere, vt cautiùs ſe gerant, & Principis auctoritatem reuereantur. Vix peccare audet, qui rationem ſibi reddendam non ignorat.

In Monarchia perpetui eſſe debent Magiſtratus.

Teſti-

Teſtimonia & Authoritates.

Rationes pro Magiſtratibus perpetuis.

CElebris eſt & iam pridem agitata hæc quæſtio, nec vtrimque leuia ſunt incommoda. Si ad tempus mandentur Magiſtratus, authoritas euileſcit: præterea cum adminiſtrandi peritia longo vſu comparetur, plerumque contingit, vt (quod Iſocrates queritur in Oratione de Pace) citius imperio defungantur quam officij ſui negotia intelligere queant.

Rationes contra.

Quod autem non expediat perpetuos eſſe Magiſtratus duæ potiſſimùm ſunt cauſæ. Prior eſt, quod vt corporis, ita mentis ſua ſit ſenectus. *Quemadmodum ex amphorâ* (ait Seneca Epiſtola CVIII.) *primum quod eſt ſinceriſſimum effluit, grauiſſimum quodque turbidumque ſubſidit: Sic in ætate noſtrâ, quod optimum in primo eſt.* Senes tandem langueſcentibus animæ viribus rebus gerendis minus aptè euadunt. Altera eſt, quod ad refrænandam nimiæ poteſtatis licentiam Rep. conducat Magiſtratus eſſe reddendis rationibus obnoxios, quarum immunitatem ipſa perpetuitas præſtare videtur, cum nonniſi à perfunctis commodè repoſcantur. Vtriuſque incommodi Mœcenas Auguſtum monet; licet Magiſtratus perpetuos ipſe non probet. Nam apud Dionem lib. 52. ita loquitur, *Et annui quidem illi Magiſtratus, ac pauco tempore circumſcripti hoc habent, vt cum quis in ijs aliquid addidicerit, prius diſcedat, quam eius ſpecimen exhibere poſſit. Diuturniora autem imperia multos ad faſtum, ac tentandas res nouas extollunt.*

Media ſententia.

Suadebat autem mediam viam ſecutus neque triennio breuiores, neque quinquennio diuturniores Magiſtratus.

Quid ſentiendum.

Statuimus autem hoc capite in Monarchijs Magiſtratus eſſe perpetuos debere, quemadmodum hodie eſt vſitatum. Quippè ſuprema imperantis authoritas eos in officio continere poteſt, vt ea incommoda vitentur, quæ perpetuitatem conſequi ſolent. Obtinet enim quod Mœcenas præcipit citato loco. *Honorem Magiſtratuum ſerua; tantùm verò potentiæ detrahe, vt neque dignitas eorum minuatur, neque noui aliquid moliendi facultas vlli adſit.* Quare nimis anxiè Tacitus lib. 1. Annalium cauſas inueſtigat, & reddit, cur Tiberius continuarit imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in officijs retinuerit. Cum enim poteſtatem haberet reuocandi cum vellet, & rationes exigendi, expediebat ab aſſuetis ſibique notis & probatis Magiſtratus geri, quam ſubinde nouos præficere, quorum induſtriam ac fidem cognitam penituſque perſpectam non haberet.

In democratia ne ſint perpetui Magiſtratus.

In Rebuſp. quæ plurium imperio reguntur admittenda non videtur Magiſtratuum perpetuitas. Quippè vbi multi ſunt natura & virtute pares, ibi multi Magiſtratuum debent eſſe participes, ne ſtatus tranquillitas æmulationum ſtimulis conuellatur. Deinde in plurium imperio vnius potentia merito ſuſpecta eſt, quod ad res nouas facilè prolabatur. Hinc Cic. pro lege Man. dicit Imperatores exercituum à P. R. dimittere iuſſos interdum non aliam ob cauſam, *quam quod Imperij diuturnitati modum ſtatuendum veteri exemplo putaret.* Idem ad Atticum conqueritur Senatum occupandæ Tyrannidis anſam Cæſari præbuiſſe, quod imperium nimis amplum atque diuturnum ei demandaſſet. Notat etiam Suetonius cap. 30. Cæſarem imperij conſuetudine captum rapuiſſe dominationem, quam ætate primâ concupiuerat. Eiuſmodi aliquando indoles eſt, vt dominari velit. *Miltiades* (inquit Æmilius Probus) *multum in Imperijs magiſtratibuſq; verſatus, non videbatur eſſe poſſe priuatus, præſertim cum conſuetudine ad Imperij cupiditatem trahi videretur.* Themiſtocles ex Imperio maiores animos concepit, quam vt Democratiæ expediret. Cimon ſtatum Reip. in ſe transferre conatus eſt, vt videre licet apud Plutarchum. Et eorum exemplis Demoſthenes in Oratione contra Ariſtocratem monet Athenienſes neminem in Democratiâ eſſe nimijs honoribus extollendum. Nam eiuſmodi Rebuſp. exitiale eſt, ſi vnus aliquis præ cæteris multum emineat. Hermodurum Epheſij Ciuitate ſua expulerunt, cum hoc elogio, *Nemo de nobis vnus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio in loco & apud alios ſit*, vt habet Cic. V. Tuſcul. q. Hannonem Pœni damnarunt ob domitum manſuefactumque Leonem, *quoniam nihil non perſuaſurus vir tam artificis ingenij videbatur; & malè credi libertas ei, cui in tantùm ceſſiſſet etiam feritas.* Plinius lib. 8. Hiſt. nat. c. 16. Hinc etiam eſt, quod Ariſtoteles in Politicis Oſtraciſmum non planè improbet.

CA-

CAPVT VII.

An vni plures eodem tempore Magiſtratus poſſint mandari.

EX vtilitate Reipublicæ certè mandari non poſſunt. Rectiùs enim ac meliùs negotia plures, quàm vnus, conficiunt; & ſinguli munus ſuum diligentiùs obeunt, ſi vni intendant, quàm ſi in plures partes eorum induſtria ac cura diſtrahatur. Et aliquando eiuſmodi officia ſunt, vt alterum alteri ſit impedimento. Nec facilè credendum eſt, duabus rebus neceſſarijs vnum ſufficere. Accedit, quod dum vni plura officia ac honores conferuntur, alijs ad eos aditus præcluditur. Vnde fit, vt vel eorum induſtria & virtus langueat, vel alio ipſi ſe conferant, & quæ conſequi officia in patria non poſſunt, apud exteros adipiſci conentur. Non facilè ferendi ſunt illi, qui ambitione quadam facere omnia volunt, & dum non poſſunt, vicarios multos, Rerumpublicarum certè peſtes, introducunt. De magnis hæc Magiſtratibus & officijs intelligo, quæ minora ſunt, nec ſibi inuicem impedimentum præſtant, coniungi nihil ſanè aliquando vetat. *Plura officia vni ne dentur.*

Teſtimonia & Exempla.

IN paruis Ciuitatibus tolerari id poteſt; imò neceſſe eſt interdum ob paucitatem eorum, qui idonei ſunt. In magnis non eſt admittendum, vt hic docemus. Exſtat lex Iuſtiniani lib. 1. Codicis Tit. 51. de Aſſeſſoribus, *Nemo ex his, qui aduocati cauſarum conſtituti ſunt vel fuerunt etiam in hac regia vrbe in quocumque iudicio deputati, & in alijs omnibus Prouincijs, noſtro ſubiectis imperio, audeat in vno eodemq́, tempore tam aduocatione vti, quam Conſiliarij cuiuſcumque Magiſtratibus, quibus Reſp. gerenda committitur curam arripere, cum ſatis abundeq́, ſufficiat vel per aduocationem cauſis perfectiſſimè patrocinij, vel aſſeſſoris officio fungi: ne dum ad vtrumque feſtinat, neutrum bene peragat: neque ſit conceſſum cuiquam duobus Magiſtratibus aſſidere, vtriuſque iudicium peragere. Neque facilè credendum eſt etiam duabus rebus neceſſarijs vnum ſufficere.*

Notatu dignum eſt, quod de Chabanne Principe quondam Galliæ refert Corrozetus de dictis memorabilibus. Cum Ludouicus XI. Galliæ Rex Balluo Eruſiorum Epiſcopo poteſtatem Pariſijs dediſſet recenſendorum militum; ægrè id ferens Chabannes, à Rege cenſoriam poteſtatem petijt in Canonicos Eruſios animaduertendi. Rege verò reſpondente, aliena à meſſe falcem eſſe cohibendam. Minimè, inquit, nam cum Epiſcopus noſtram meſſem fecerit, ſupereſt vt nos ipſius noſtram eſſe ducamus. De Metiocho referri huc poſſunt, quæ ex Plutarcho ſupra attulimus. Vnde Ludouicus Hungariæ Rex, vt eſt apud Cromerum lib. 13. Quanquam in ſucceſſionem adoptatus à Caſimiro Polonorum Rege, petentibus Poloniæ Legatis & Hungarorum Proceribus, vt regnum ſuſciperet, reſpondit non ſatis intelligere, neque quid petant, neque hos, quid ſuadeant; è neutrorum enim re id fore, ſicut neque duobus quidem gregibus expediat vnum Paſtorem habere. Duas Reſp. vix vllâ ratione ſine alterius, ſine adeò vtriuſque malo & incommodo ab vno adminiſtrari poſſe. Poſtea tamen victus ab Oratoribus annuit.

CA-

CAPVT VIII.

Quædam in Magiſtratibus conferendis obſeruanda.

Indigenæ præferantur peregrinis.

I. VT Indigenæ, ſi virtutum paritas ſit, peregrinis præferantur; quod maior in ijs fides, & affectus ſit in Patriam. Si leges tamen & mores patrij patiantur, inſignis aliquando Peregrinorum virtus ſuo præmio & honore condecoretur.

Non ſint duo conſanguinei in eodem Magiſtratu.

II. Duo conſanguinei in Magiſtratus eiuſdem ſocietatem non facilè admittantur; idque ne colludant & ſuſpiciones corruptelarum tollantur, & inuadendæ Reipublicæ metus auertatur.

Attendenda virtus, quæ Reip. conducit.

III. Cùm duo ſunt aut plures eiuſdem Magiſtratus candidati, quorum omnium inſignes variæque ſunt virtutes, vt vnus cæteris anteponatur, ea conſideranda eſt excellentia, quæ ad munus obeundum vel maximè conducit.

Ex omnibus ordinibus eueh antur.

IV. Cùm Nobiles quidem præferri diuitibus debeant, tum optima ea Reip. conſtituendæ ratio eſt, ſi vnicuique ordini, in quo adminiſtratoris Reipublicæ virtus reperitur, ſua dignitas habeatur; ideóque in publicis ſint officijs Nobiles, Diuites, Sapientes, Plebei.

Et aliquando maturi Iuuenes.

V. Cùm etiam præferri Senes Iunioribus debeant, tum ætatem metiri aliquando moribus & maturâ prudentiâ oportet, vt ad Magiſtratus Iuuenes ij promoueantur, quorum ætas adoleſcentiæ cupiditates refrænarit.

Teneantur reddere rationem officij.

VI. Magiſtratibus iam renuntiatis reddendæ officij rationis obligatio imponatur, vt auaritiæ tollatur occaſio, & iuſtior tolerabiliórque Reip. ſit adminiſtratio, ac quorundam impediatur ambitio.

Munera accipere non poſſint.

VII. Seuerâ lege prohibeatur, ne munera accipere Magiſtratus poſſint, quod in ijs veritatis præuaricatio ſit, & ſapientum etiam oculos excæcent. Eorum ſemper turpis eſt cupiditas. Non erit inconſultum eorum iuramento idipſum inſerere.

Qui minores capiunt Magiſtratus, idonei ſint ad maiores.

VIII. Nemo ad Magiſtratum minorem admittatur, qui non idoneus eſſe poſtea ad maiorem poſſit. Vt nimirum creſcendi ſpes ſedulum faciat ac fidelem. Deinde vt maior eorum ſit copia, quibus in aliqua Reip. parte committi gubernacula poſſint, atque ita meritis merces cum nouo obſequio accedat, & probata virtus honoretur.

Perfuncti maioribus minores non recuſent.

IX. Qui maioribus Magiſtratibus perfuncti ſunt, etiam ad minores aliquando ſubeundos adducantur. Ita fiet vt Reip. officia amplius commendentur, & recuſare eos nemo audeat.

Indigni non admittantur.

X. Vt omnia officia dignitatem ſuam retineant, adhibenda hæc cura eſt, vt ad illa nemo indignus admittatur. Et indignus etiam illo cenſeatur, qui Magiſtratum alium malè geſſit. Vt error hîc nullus ſit, candidatorum accuratè cognoſcenda ſunt ingenia, meritaque; nec multa fides commendationibus adhibenda.

Ea etiam hîc ſunt conſideranda, quæ de Iuſtitia in honoribus diſtribuendis ſeruanda, libro primo diximus.

Authoritates & Teſtimonia.

PRimum eſt, *vt indigenæ præferantur peregrinis.* Ariſtoteles 5. Polit. *Peregrinos*, inquit, *Ciuibus præferre, ad menſam vocare, Reip. cuſtodes efficere, Tyrannorum eſt, non Regum.* Quorundam locorum legibus fundamentalibus peregrini Magiſtratus improbantur. Ad eas attendere oportet. Tales ſunt in omnibus ferè Belgij Prouincijs, in Regno Nauarræ, in Hiſpaniâ, in Hungariâ, &c.

Secundùm eſt, *ne ſint conſanguinei in eodem ſimul Magiſtratu.* Id ſuadet corruptelarum ſuſpicio, & ferè omnium Rerumpubl. leges id vetant.

Tertium eſt, *attendenda virtus quæ Reip. conducit.* Vide dicta ad caput primum huius Tituli.

Quartum eſt, *vt ex omnibus ordinibus eucbantur.* Vide caput 5. Si electio fiat, inquit Melchior Iunius, ex ſingulis Ciuium honeſtiorum ordinibus ſinguli ad virtutis ſtudium magis inflammantur.

Quintum eſt, *aliquando maturi Iuuenes admittantur.* Eſt equidem apud Euripidem ——— *Experientia ſenum*

Plus Sapientiæ demonſtrare poteſt, quam iuuenes.

Et alius Poëta: ——

Haſta decet iuuenem, conſiliumq́ ſenem,

Scipio tamen apud Liuium indignum iudicat, ab egregiâ indole annorum progreſſum expectare. Vnde Poëta

Ingenium cœleſte ſuis velocibus annis

Prodit, & ingratè fert malè damna moræ.

Hinc cum Probus adoleſcens Valeriani Imp. iudicio Tribunatum prope imberbis & contra Adriani conſtitutionem accepiſſet, *non expectabo in te*, ait Imp. *ætatem, cum & virtutibus fulgeas, & moribus polleas*, vt refert Vopiſcus in Floriano. Ad Remp. Venetorum regendam, nec ad Conſilium minoribus 25. annis patet aditus, niſi maiores annis 20. rogatione ad Concilium lata id obtinuerint, vt eſt apud Bodinum lib. 2. de Rep.

Sextum eſt, *vt teneantur reddere rationem officij.* Quippè hæc ratio officij eſt cuſtodia, & accuratum, & fidelem reddit Magiſtratum.

Septimum eſt, *vt munera non accipiant. Munera enim*, ſecundum Salomonem, *Sapientes excæcant*, Reliqua quædam ſunt monitiunculæ.

Quæritur, *an inuitis Magiſtratus ſit conferendus.* Inuitis canibus non eſt venandum, ait Comicus. Adagium etiam eſt vulgare, *Volentem bouem duciro*, id eſt, vtere illorum operâ, qui ex animo faciunt. Alexander tamen Seuerus *inuitos* dicebat, *non ambientes in Rep. collocandos*, vt teſtis eſt Lampridius. Et Suetonius in vita Galbæ ait eum *nonniſi inuitu & recuſantibus officia Senatoria contuliſſe.*

CAPVT IX.

Quomodo Iuuenes ad Magiſtratus obeundos ſint parandi.

NEmo naſcitur artifex, etſi magno ingenio, altaque indole; itaque qui ad Magiſtratus & officia Reipub. adſpirant, inſtruendi ſunt, & præparandi. Inſtruit & præparat Ars illa Artium, & omnium domina Politica. Triplex verò ratio eſt. Ac prima quidem, ſi Nobiles adoleſcentes, quippè altâ indole præditi, magnam de ſe omnibus ſpem faciunt, poſtquam probè in ſcholis ſunt eruditi, Legatis in exteras nationes mittendis adiungantur. Hîc enim hominum ac rerum naturam perſpicient, nutus alienos ac verba cautè obſeruabunt, ſua prudenter regent. Atque ita fiet, vt Politica quædam ipſi rudimenta diſcant, & prudentiores ad Rempublicam accedant. Secunda eſt, vt poſtquam ab Academijs confecto cum laude ſtudiorum curſu redierunt, vel ſtipendia iam aliqua fecerunt, publicis Conſilijs nonnumquam adhibeantur, non quidem vt conſilium dent, & ſuffragium ferant, ſed vt audiant, & aliorum pruden-

1. Comitando Legatos. *2. Conſiliapublica frequentando.*

prudentiam cognoſcant, & Reip. negotia intelligant, omnia denique quæ vſui eſſe poſteà poſſunt, diligenter notent. At cùm Legatos audiunt, agere ipſi Legatos diſcant; cùm Conſiliarios, iam Conſiliarij eſſe incipiant. Proderit fortaſſis ijs quandoque imperare, vt ſuam etiam ſententiam ac iudicium depromant, vt eorum ſic induſtria excitetur, nec ſegnis ſit cura. Tertia eſt, vt ad aliorum, qui in officijs publicis ſunt, adminiſtrationem & imperium attendant, atque ita vt bene facta notent ad imitandum, errata cognoſcant ad vitandum. Optimè quippè addiſcit, qui ab ijs cauet, quæ reprehendi in alijs intelligit; & ea obſeruat, quæ tribui alijs laudi cognoſcit.

3. Attendendo ad aliorum gubernationem.

Modi aliqui cum experientia.

TRes modos proponimus, *Legatos comitando, Concilia publica frequentando, ad aliorum gubernationem attendendo.* Hæc priſcorum exemplis conſtant. Romani vſque ad Papyrij tempora ſuos ſecum adoleſcentes in Curiam ducebant, vt prudentiam vſu diſcerent. Vetitum id poſtmodum, ne Senatus arcana per infirmam adhuc ætatem reuelarentur. Vt olim, ita etiam hodie plurimi Nobiles comitari Legatos ſolent, nec tantùm vt ſplendorem augeant, ſed vt mores externos, & Legatorum actiones obſeruent. In ipſis quoque magnorum Principum penetralibus formari adoleſcentia ſolet, iam ipſis gubernationum præceptis. Optimè quippè informatur ætas, cum ad imitationem magni alicuius viri ſeſe componit, & quod ille in Republica adminiſtranda cum laude facit, id notat & ad ſuum vſum transfert. Ita multi olim cum Athenis, tum Romæ, Sullam obſeruabant. Pompeius & eius exemplo creuit.

TITVLVS IX.

De Nobilibus.

CAPVT I.

Quid ſit Nobilitas, & vnde oriatur.

Definitio Nobilitatis.

NOBILITAS eſt claritas generis à ſummo Principe familiæ alicui propter virtutes Reipublicæ ſalutares & egregia facinora in perpetuum collata. Dicti Nobiles ſunt, quaſi noſcibiles, quod eorum familia in Rep. ſit clara & nomen illuſtre, cæteriſque ipſi ſint notiores. Oritur Nobilitas à virtute, quæ prima eſt eius cauſa. Et hæc vel Militaris eſt, vel Ciuilis. Idcircò qui militari arte excellunt, multis ad Reipublicæ vtilitatem rebus præclarè geſtis; aut qui iuſtitiâ aliâve ciuili virtute ſupra cæteros eminentes, Reipub. multum proſunt, Nobiles à ſummis Principibus renuntiantur.

Oritur à Virtute vel Militari, vel Ciuili.

Æquum eſt enim ijs excellentiam aliquam inter cæteros concedi; quorum virtute cæteri ſunt ſeruati, & aucta Reſpublica. Cùm ciuilibus etiam virtutibus non minus, quàm armis, Reſpublica floreat, & ad finem ſuum perducatur, debent, qui ijs illuſtres ſunt, & Reipub. vtiles quâdam etiam inter cæteros excellentiâ gaudere. Quâ ratione omni

ætate

ætate apud omnes gentes plurimi bellicis facinoribus nobilitatem ſibi pepererunt, & familiam ſuam illuſtrarunt. Deinde qui iuſtitiâ, magnificentiâ, liberalitate, eloquentiâ, Iuriſprudentiâ excelluerunt, & Reip. vtiles vixerunt, Nobilitatis decus ſunt conſecuti. Imò Regum & Optimatum poteſtas à Iuſtitia olim profluxit, & Legum-latores, egregijque Oratores pro ſuis in Rempublicam meritis, primas dignitates obtinuerunt, & nobilem ſtirpem ſuam ad poſterorum ætatem propagauerunt. Quamquam hîc attendi mores & inſtituta Gentium debent.

Teſtimonia & Authoritates.

NOBILITATEM hic definimus, & oriri eam à virtute tum militari, tùm ciuili oſtendimus. Nobilitatis nomen generatim dignitates omnes & ordines, Magiſtratuumque munera complectitur, quæ tum ſuapte natura nobilia ſunt, tum nobilibus & illuſtribus viris competunt. Vnde Nobilitas officij eſt, quæ in muneris, quo quis fungitur, dignitate conſiſtit. Nonnumquam capitur pro excellentia, eminentia, & claritate quadam, ſiue pro animi corporiſque temperie, quâ homines ſingulariter ad magnas virtutes ac præſertim bellicas propendent. Vnde interrogatus Socrates, *Quid ſit Nobilitas?* reſpondit *illam eſſe bonam animi corporiſq; temperiem*, ſeu excellentiam hominis, quam habet, ob indolis bonitatem naturalem, quæ ex bonâ corporis & animi temperie oritur. Specialius dicta Nobilitas conſiſtit in virtute, non quauis, ſed excellenti, illuſtri & Reip. vitæque communi admodum vtili, vel ſcientiarum abditarum ac præſtantiſſimarum cognitione. Ita Iuuenalis:

Quid Nobilitas contineat.

Vera Nobilitas.

—— *Nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.*

Quo ſenſu Æneas Siluius lib. de Origine Bohemorum, *Veram Nobilitatem*, ait, *ſola atque vnica virtus gignit.* Interrogatus Democritus, *in quo Nobilitas conſiſteret*, reſpondit, *Pecudum quidem in valido corporis habitu, hominum verò in bonitate morum*, vt habet Stobæus ſerm. 84. Euripides in Alexandro: *Nulla Nobilitas inter malos eſt, ſed inter bonos tantùm viros.* Et in Dictye:

—— *Bonus vir mihi nobilis videtur.*
Qui verò iuſtus non eſt, licet à patre meliore
Quam Iupiter genus ducat, ignobilis mihi videtur.

De eadem Auſonius, *Pulchrius multo parari quam creari Nobilem*, ait. Nam, vt ait Ouidius,

Et genus & proauos & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto.

Et idem ad Piſones —— *Perit omnis in illo Gentis honor, cuius laus eſt in origine ſola.* Plura eiuſmodi ſunt loca apud Iuuenalem Satyra. 8. Hinc aſſerit Timplerius poſſe quempiam Politicè nobilem eſſe, qui moraliter ignobilis ſit. Nobilitas illa, quæ à ſcientia eſt & gradibus Academicis confertur, perſonalis eſt, & temporaria, nec in poſteros tranſit.

CAPVT II.

An eadem omnium Nobilium ſit ratio.

NObilitatis nomen generatim ordines omnes & dignitates, adeóque etiam Magiſtratuum munera complectitur. Vnde Imperatores & Reges nobiliſſimi ſunt, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobilium nomine cenſentur. Non eadem tamen omnium eſt ratio, & gradus quidam in nobilitate ſunt. Vnde fit, vt quidam Illuſtriſſimi, quidam Illuſtres, Generoſi, Strenui; alij verò communi appellatione Nobiles tantùm, cùm ob ſtirpis claritatem, tum ob propriam virtutem. Et hi ſeminarium ſunt inprimis Militiæ, tum officiorum, munerum, & Magiſtratuum togatorum. Quorum

Gradus quidem in Nobilitate ſunt.

 perue-

peruetuſta ſtirpis & familiæ Nobilitas eſt, hi vulgò Gentiles homines appellantur; qui virtute ſuâ euecti maiores numerare Nobiles actis retrò ſæculis non poſſunt, Nobiles tantùm cenſentur. Accenſentur verò ijs illi, quibus ob ſingularem ſcientiam & virtutem honoribus Academicis Nobilitas eſt collata.

Auctoritates cum quadam Explicatione.

GRadus quidam in Nobilitate ſunt: gradus illi non tam à virtute, quam ab officijs. Sic nobilior cenſetur Imperator, quàm Rex, & Rex quàm Princeps; ſicque de cæteris, quod officij vnius eminentia, quam alterius, ſit maior. Imperator Nobiliſſimus appellatur l. 3. ff. de natal. reſtit. Pontificia Curia Duces & Principes Nobiles appellat, iſque ſtylus etiam hodie ſeruatur. Anno tamen 1561. cum in conuentu Principum Auguſtanæ Confeſſionis Naoburgi ad ripam Salæ Legati Pontificis Romani ſingulis Principibus litteras Pontificias ſeu breuia Apoſtolica, vt vocant, exhibuiſſent, cum hac inſcriptione, DILECTO FILIO, NOBILI VIRO, DVCI, &c. omnes non reſignatæ remiſſæ ſunt, vt tradit Chytreus in Saxonia lib. xx. Catholici Principes hodie titulum iſtum à Pontifice non recuſant. In veteri Romana Rep. quatuor dignitatum ordines fuerunt; maximi, vt ſuperilluſtres; Magni, vt illuſtres; medij, vt ſpectabiles; minimi, vt clariſſimi. Sublatis illis & antiquatis titulis, nouiſque ordinibus inſtitutis, ſunt Sereniſſimi, Illuſtriſſimi, Illuſtres, Generoſi; qui omnes à priuatis Nobilibus diſtinguuntur. Ipſe verò ordo Nobilium Romæ tribus gradibus olim diſtinctus erat, Patriciorum, Equitum & Nobilium, vt refert Aſconius Commentarijs in Ciceronem. Attendi hic Reip. cuiuſque conditiones & inſtituta debent.

Inſcriptio litterarum Pontificiarum.

CAPVT III.

An Nobilitas in alios transfundatur.

Transfunditur in poſteros.

EQuidem Nobilitas eius eſt propria, cuius eſt virtus illius cauſa; tanta tamen vis ipſius eſt, vt cum homine non intereat, ſed ad poſteros etiam tranſmittatur. Adeóque liberi Nobilium Nobiles ſunt, & vetuſtate ipsâ eorum Nobilitas incrementa ſumit, ſi virtus non deſit; quóque antiquior eſt, eò illuſtrior. Quippè omnium de Nobilibus hoc iudicium & hæc ſpes eſt, fore nimirum, vt qui ex ijs naſcentur, quemadmodum oris lineamenta, ita paternam virtutem referant. Cuius rei clariſſimum eſt indicium, quòd qui in Nobili familia oriuntur, plerumque generoſiores ſint, & virtutis amore concitentur, propoſitamque ſibi gloriam tamquam ſcopum habeant. Excitat enim Nobilitas magnis in animis generoſam æmulationem non æquandi tantùm eos, ſed etiam ſuperandi, à quibus partam habent ſuæ familiæ claritatem. Et certè paternæ laudis recordatio magnum excelſis ingenijs aculeum addit, vt degenerare non velint, & vt ea facinora edant, quæ præclari & illuſtris ortus fidem omnibus faciant. Ad parentes autem & auos parta Nobilitas non tranſit, ſed honor quidam, cùm tales genuiſſe, qui ſuâ ſe virtute reddant illuſtres, ſit glorioſum. Non etiam in fratres & cognatos deriuatur, ſed in Filios, Nepotes, Pronepotes, atque alios rectâ lineâ deſcendentes. Qui adoptantur, ſi genere Nobiles non ſint, etſi parentum adoptantium Nobilitate illuſtrentur, quia tamen de ſtirpe ſanguineque non ſunt, Nobilitatem ipsâ adoptione non conſequuntur.

Teſtimonia & Authoritates.

TRanſfunditur in poſteros. Vnde permultum refert, quo genere quis ſit ortus. Nam, teſte Platone, ineſt parentibus vis quædam admirabilis & occulta propagandæ virtutis, & in ſtirpem quaſi deriuandæ. Certum quippè eſt meliora ex Nobilium ſtatu ingenia oriri, quàm hominum vulgarium; quo ipſo excelſitas quædam & generoſitas eorum animis ingeneratur, & morum ſimilitudo, & Maieſtas heroïca cum ſemine propagatur. Horatius lib. 4.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Scilicet ex hoc ſemine boni fructus naſcuntur. Hinc, Plutarcho teſte, Vlyſſis virtus cum ſemine Thelemacho filio quaſi inſtillata fuit, velut paternæ virtutis bona ad paucas ſanguinis guttas confluxiſſent. Videmus in arboribus & plantis ſeminum ac ſurculorum diligentiſſimam rationem haberi; multo verò maior in hominibus haberi debet. A natura hominum generi datum eſſe Cicero affirmat, vt quà in familia laus aliqua floruerit, hanc, qui ſunt eius ſtirpis, cupidiſſimè perſequantur. Hinc poſteri illi, quorum maiores præclarorum ſtudiorum gloria floruerunt, dedecus horrentes maximarum artium ſtudia ſequuntur. Si rei militaris ſcientiá claruerint, militiam colunt. Tale eſt Nobilibus iudicium, inquit Hyppolitus à Collibus, talis ſpes, fore vt liberi, quemadmodum oris lineamenta referunt, parentis etiam virtutem incenſi virtutis amore referant. Transfunditur autem à Principibus Nobilitas in filios, nepotes, pronepotes, cæteroſque rectâ linea deſcendentes. Moribus tamen Turcarum, inquit Hyppolitus, Nobilitas ex cuiuſque virtute ponderatur. Vnde non vltra nepotes propagatur, vt ſui quiſque generis dignitatem renouare noua virtute ſtudeat, aut ignobilis cenſeatur. Adoptatus ab illuſtri aut nobili non fit nobilis, quod nobilitas, quæ transfunditur, ſit velut ex traduce, adoptatus autem non eſt de ſanguine parentis adoptantis. Huc referri poteſt illud Doctorum, Nobilitatem in primo acquirente incipere, in filijs pubeſcere, in nepotibus adoleſcere, tandem in pronepotibus naturam atque perfectam ætatem conſequi.

CAPVT IV.

Quibus rebus Nobiles diſcerni ab alijs debeant.

IMagines olim & Maiorum expreſſi vultus Nobilitatis ſignum erant. Ij verò ius imaginum tantùm habebant, qui Magiſtratus Curules geſſiſſent. Poſterioribus ſæculis inſignia gentilitia imaginibus ſucceſſerunt, quæ & ipſa rerum præclarè geſtarum ſunt ſigna, in quibus proinde Galeæ, Aquilæ, Leones, Gladij, & eiuſmodi arma belluæque cernuntur. Itaque per inſignia diſcernendi inprimis Nobiles ſunt, tum externo cultu & habitu, vt ornatiores ipſis plebeis appareant; ac deinde titulis, honoribus, & priuilegijs. Inſignia Nobilitatis ea optima ſunt, quæ monumentum quoddam partæ Nobilitatis & memoriam continent. Ad quod attendere Principes, cùm Nobilitatis decus alicui conferunt, & inſignium ius concedunt, debent. Veſtitus pro ordine graduque ſit cum aliquo ſplendore. *Inſignibus, Externo cultu, priuilegijs.*

Authoritates cum Explicatione.

OLim imaginibus, hodie inſignibus, externo cultu & priuilegijs. Ius imaginis olim ponendæ babebant, qui Magiſtratum Curulem geſſerant. Imago erat vultus cerâ expreſſus. Vnde ſignum erat Nobilitatis, & qui plures babebant, nobiliores erant. Liuius lib. 1. *Ancus Martius nobilis vna imagine Numæ.* Cic. in Piſonem: *Obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum.* Suetonius in Veſpaſiano: *Gens Flauia obſcura illa quidem & ſine vllis maiorum imaginibus, ſed tamen Reip. non pænitenda.* In locum imaginum ſucceſſerunt inſignia gentilicia, quæ in Clypeis geruntur, vt tradit Viglius Zuichemus. Sunt illa rerum præclarè geſtarum ſigna. Alios enim videmus geſtare ſolere caſtella, quæ ceperunt; alios alia, quibus virtutis ſuæ memoriam prodant. Quippè illa optima ſunt, quæ monumentum partæ Nobilitatis in ſe continent. Ita Leo in Dauidis Regis inſigni diſcerpti Leonis memoriam continebat. Et Regis Lyſimachi facies cornigera, quæ in numiſmatis circumferebatur, taurum ab eo olim, qui ab aris & ignibus Alexandri vinculis ruptis effugerat, retentum ambabus manibus & occiſum ſignificabat, vt refert Appianus in bello Syriaco.

Inſignia Imaginibus antiquis ſucceſſerunt.

Quod attinet ad externum cultum, eius veteres olim Romani & hodie Veneti non minimam rationem habuerunt. Illum etiam Politicæ Imperatorum conſtitutiones admodum accuratè requirunt. De priuilegijs ſequenti capite.

CAPVT V.

Quinam ſint Nobilium honores & priuilegia.

VArij Nobilium ſunt honores, & priuilegia permulta. Inprimis in adeundis Reipublicæ Magiſtratibus, ac dignitatibus, niſi virtute deſtituantur, cæteris præferuntur. Item in feudis occupandis, in Conſeſſibus publicis, in Salutationibus. Deinde Nobiles egregiæ perſonæ cenſentur, nec cùm quid agendum eſt, euocantur, ſed ad eos eundum eſt. Ab ignobilibus prouocari in pugnam non poſſunt; mitiùs quàm alij, niſi enormitas ſit delicti, puniuntur; nec in ijs caſibus, in quibus plebei, torquentur. Magna in promiſſis Nobilium eſt fides, quod eorum verba factis comparentur, & inter iudices potior eis ſedes aſſignatur. Legationum munere, ad quod eligi Plebei non ſolent, funguntur. A publicis oneribus, niſi peculiari gentis inſtituto aliud ſit receptum, ſunt exempti. Stare ad Principum latera propter excellentiam debent, & præſtantiora illis alimenta decernuntur. Alia plura ſunt vſu ipſo non incognita, quæque gentium mores oſtendunt.

Variæ ſunt Nobilium priuilegia.

Confirmatio per Authoritates.

PRiuilegia hic aliqua recenſemus. Inprimis prærogatiuam habent in aſſequendis Magiſtratibus, l. 7. §. 2. ff. de Decur. Item l. 14. §. 3. ff. de Munerib. & honor. In dignitatibus etiam & beneficijs Eccleſiaſticis præferuntur ignobilioribus, vt tradit Tiraquellus lib. de Nobil. c. 20. Ibidem monet præferendos Nobiles in conſeſſibus, ſalutationibus, funeribus ſolemniter celebrandis, & eiuſmodi ſolemnibus alijs, in quibus ſecundum eſt priuilegium. Tertium in eo eſt, quod teſtimonij dicendi vel iuriſiurandi præſtandi gratia non euocentur ad tribunal, ſed iudex Notarium à quo examinentur, mittere tenetur, l. 15. ff. de Iureiurando.

In Bauaria, & quibuſdam alijs regionibus, receptum tradunt, vt nobiles in iudicijs ad teſtimonium dicendum non compareant, ſed ſcriptum teſtimonium & obſignatum, nullo præuio iuramento,

ad Iu-

ad Iudicem tranſmittunt. Quartum, quod conuenti ob æs alienum, cui ſoluendo non ſunt, cedere bonis non teneantur, nec vltrà præſtare, quam poſſunt, l. 6. & 18. ff. de re iudicat. Quintum, quod poſſidentes immobilia ſatisdare non teneantur, l. 17. C. de dignit. Sextum, quod mitius puniantur, niſi crimen commiſſum ſit contra nobilitatis ſplendorem & dignitatis excellentiam, aut crimen ſit læſæ Maieſtatis, periurij, falſi, raptus. Diſtinctio etiam eſt inter pœnam & pœnæ infligendæ modum. Si nobilis enim condemnatus ſit propter crimen ſuſpendio dignum, à furcæ ſupplicio immunis eſt, vt tradit Clarus Receptarum ſententiarum lib. 5. Hoc etiam priuilegio gaudent, quod non ſtrictè ob delicta incarcerari debeant, ſed arreſtari, inquit Tiraquellus, d. cap. 20. Denique quod torturæ & quæſtionibus regulariter ſubijci non poſſint, l. Diuo Marco xi. C. de quæſt. Adeo vt Iudex, qui nobilem torturæ ſubiecerit, capitaliter delinquere dicatur, vt ſcribit Bald. in l. Decurio C. de quæſt. De reliquis priuilegijs videndus eſt Tiraquellus dicto cap. 20.

CAPVT VI.

An ordo Nobilium in benè conſtituta Rep. ſit conſeruandus.

NObilitas præcipua maximaque Reipublicæ pars eſt, cuius ordo cùm à Regibus conſtitutus ſit ad Reipublicæ defenſionem, & vim à Patria propulſandam, merito, non honoribus tantùm & præmijs cumulari debet, verùm etiam ſummo ſtudiò conſeruari & propagari. Adeò vt in demortuarum quoque Gentium locum familiæ nouæ ſubſtituantur. Cùm autem vel iniurijs temporum, vel bellorum fatis nonnunquam Nobilium familiæ ad miſeriam quandam deprimantur, ſubuenire illis Principes debent, vel ad officia publica aſſumendo, vel matrimonijs ditioribus copulando, vel honoraria aliqua & cenſus annuos liberaliter conferendo. Nam odioſa non tantùm eſt in Nobilibus paupertas, ſed etiam probroſa; & vilis vulgò virtus eſt, quæ non opibus aliquibus ſuſtinetur. Accedit, quod cùm Nobilium ſit pro Patria militare, Feudaque obtineant ſibi conſtituta, & immunitates quàm plurimas conceſſas, vt equos & arma pro Rep. ſemper habeant paratiſſima, præſtare id profectò non poſſunt, niſi liberali Regum quandoque manu iuuentur. Regnorum decus conſiſtere in Nobilitate ſanè videtur, ideoque ſouenda & honoranda.

Ordo Nobilium in Rep. conſeruandus eſt.

Modi conſeruandi.

Teſtimonia, Authoritates, Exempla.

MVlti Nobilitatem extinctam volunt & omnes in Rep. pares eſſe. Turcarum Imp. nullam Nobilitatem agnoſcit, & ſupremos etiam Baſſas tanquam mancipia habet. Idem obtinet apud Sinas. Item in multis hodie Rebuſp. vt Heluetiorum, & Hollandorum. Eiuſmodi imperium multis placet, & tutum putatur, vt omnes poſt Principem aut æquales ſint aut ſerui, nobilis nullus cenſeatur. Diſtinctionem admittunt officiorum in Rep. non verò ordinum aut hominum. Heluetij & Argentoratenſes à Magiſtratibus & officijs omnes Nobiles ſubmouent, imitati veterem ſtatum Democratiæ Athenienſis. Omninò tamen iudicamus hic Nobilium ordinem in Rep. conſeruandum, atque inprimis hoc argumento eſſe poteſt, quod hactenus in omni ferè Rep. benè conſtituta Nobilitati ſua dignitas fuerit, vt apud Iſraëlitas fuerunt Principes Iſraël, hoc eſt Nobiles & Optimates; apud Ægyptios varij poſt Regem Ægypti Principes; apud Perſas & Medos Magi. In Chaldæa & Babylonia Nobiles regnum per ſeptem annos adminiſtrarunt, donec reſtitutus regno fuit Nabuchodonoſor. In

Contra Nobilitatem.

Pro Nobilitate.

Macedonia & Græcia Nobiles fuerunt, & Athenis Magiſtratuum gerendorum cura illis mandabatur. In Hiſpaniâ Nobilium præcipuæ ſunt partes. In Galliâ bella gerunt & adminiſtrant. In Germania Nobilitas præcipuum eſt belli fulcrum. Britanniæ regnum hactenus labore & curâ Nobilium ſtetit. Potiſſimùm verò Poloniæ regnum, vbi numeroſiſſima Nobilitas eſt, & magnæ in Rep. eminentiæ. Apud Venetos nulla nauigatio ſine Nobilium comitatu. Ideo ſancitâ lege adhuc ſeruatur, teſte Greg. Tholoſano, vt cuiuſque triremis Nauarcha octo Nobilium pueros ad quamcumque partem proficiſcatur, cum ſeptuaginta nummorum aureorum ſtipendio ſecum ducat, & victui neceſſaria, qualia Nobiles habere decet, impertiatur; & quatuor mille libras aromatum ſine nauali ſolutione importare ſingulis permittat. Hi pueri ex multis ſupplicantibus à Senatu per ſuffragia eliguntur. Addi etiam hæc ratio poteſt, quod, cum Tyrannis exoſa ſit Nobilitas, eam propterea fouere boni Principes debeant. Ideo vetus eſt ſcitum Tyrannorum, tollendas eſſe eminentes ſpicas; ſicut Tarquinius Superbus nuntio filij ſui decutienda papauerum capita oſtendebat apud Gabios. Turca, occupatis regionibus nouis, nobilitatem ſtatim exſcindit. Seditioſi quoque in Rep. Romana nihil aliud, quam Nobilitatem opprimere volebant, ſicut poſtea Tyranni Senatum vniuerſum. Qui boni autem ſunt Principes, amant & fouent Nobiles, tamquam fidos ſibi miniſtros & in Rep. adminiſtranda auxiliatores. Accedit, quod vbi nulla Nobilitas eſt, tota Reſp. in vno vnius Regis corpuſculo periclitetur. Vbi autem Nobiles ſunt, vix eſt periculum externi imperij, & cum Princeps occubuit, Nobilium animi & manus regnum ſuſtentant. Hinc tam diu Macedonicum regnum ſtetit, quia multos habebat Nobiles, & ferè Alexandros. Perſicum verò Imperium occiſo Dario concidit, quod iam corrupta eſſet omnis Nobilitas, factique omnes aut ſerui, aut adulatores, adeoque nemo reſtitit. Fatetur Machiauellus, oſor tamen Nobilitatis, occiſo Turcarum Imperatore, neminem eſſe timendum. Res docuit occiſo Baiazate à Tamerlano; nemo enim de Imperio reſtituendo ſpem concepit. Calepinum Baiazetis filium Græciæ Proceres inſenſi, Palolæogo Imperatori armis, milite & pecunia iuuerunt & quodammodo Imperium ipſi reddiderunt.

CAPVT VII.

An Patria, Vxor, Emptio feudi, diuitiæ conferant Nobilitatem.

Non patria. PAtriæ claritas gloriam aliquam & honorem ciuibus ſuis adfert, Nobilitatem non confert. Fortunæ quippè non virtutis eſt, in hoc aut illo loco naſci. Vxor nobilis nobilem reddere maritum non *Non vxor.* poteſt, ſed ipſa ſi ignobilis ſit, mariti ſui Nobilitatem acquirit. Tanta maritalis radij claritas eſt, vt eius fulgore etiam vxor coruſcet. Et liberorum conditio non maternæ Nobilitatis, ſed paternæ ſtatum ſequitur, cùm & ipſa mariti conditionem ſequi vxor debeat. Quod ſi *Non emptio feudi.* tamen Regina quæpiam aut Princeps, & illuſtriſſimo genere nata eſſet, tum vxoris radijs vir quoque coruſcaret. Feudi nobilis emptio Nobilitatis decus nullum adducit: nam dignitatem adferre homini res eiuſ- *Non diuitiæ.* modi & poſſeſſiones non poſſunt; nec Solium Cæſaris Cæſarem quemquam facit. Quam ob cauſam etiam nec diuitijs, quæ hominibus accedunt, acquiri Nobilitas poteſt. Quid enim abſurdius eſſet, quàm Nobilium ordinem pecunijs & opibus mereri? Sordidum eſt, nullâ virtutis aut meritorum commendatione Nobilitatis inſignia non tam dari, quàm proſtitui.

Autho-

Authoritates cum Explicatione.

Patriæ claritudo Nobilitatem augere, non conferre poteſt. Scitum eſt illud Themiſtoclis dictum, Tymodemo Aphidneo in iurgio obijcienti, quod non propriâ virtute, ſed propter ſplendorem patriæ fuiſſet à Lacedæmonijs ſingularibus ornatus honoribus, *Sanè*, inquit Themiſtocles, *rectè ais; Nec enim ego ſi Aphidneus eſſem, tanta virtutis inſignia fuiſſem conſecutus, neque tu ſi eſſes Athenienſis clarus vmquam eſſe potuiſſes.* Non etiam vxor, ſed à marito Nobilitatem accipit. Quippè viri fulgore & radij coruſcat, l. libertatem 27. C. de nupt. Eius autem maritalis radij tanta claritas eſt, vt quanquam Marchio Saluciarum, quo Nobilium & potentiorum faſtidia fugeret, porcariam puellam, quam in venatione inter ſyluas offenderat, duxerit, vt refert Æneas Syl. lib. 1. Epiſtola 45. illa tamen non minus titulo & fulgore Principis enituit, quam ſi illuſtrioris ſtirpis aliam duxiſſet. Quod ſi facta vidua honeſtè viuere deſinat, tum radij coniugalis ſplendorem amittit, L. his ſolis 7. C. de reuocan. donat. Vanæ ſunt iactationes earum mulierum, quæ contra viros extollere ſolent generis ſui ſublimitatem, quemadmodum illuſtriſſima quædam fœmina feſtiuè dicebat, præferendam eſſe inferiorem culcitram ſuperiori culcitræ, vt legitur in Chronicis Hennebergenſibus. Conditio tamen filiorum non maternæ, ſed paternæ Nobilitatis ſtatum ſequitur, vt docet Tiraquellus cap. 20.

Emptio feudi nobilis nobilem neminem efficit. Neque enim res & poſſeſſiones homini, qui longè illis pretioſior eſt, afferre dignitatem poſſunt, cum minimè rebus homines, ſed hominibus res accedunt, l. iuſtiſſimè 44. ff. ad ædil. edict. Nec Vibium ſella Cæſaris, quam glorioſè oſtentabat, Cæſarem faciebat. Caſſ. lib. 57. De diuitijs certa hic ratio eſt.

CAPVT VIII.

Quomodo Nobilitas amittatur.

EA Nobilibus omnibus impoſita lex eſt, vt præclaris Maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtant, perque arduam præruptamque virtutis ſemitam ad gloriam contendant, nec delicijs & libidinibus indulgeant, eaque fugiant omnia, quæ infamiam adferre ſecum ſolent. *Flagitijs inprimis.* Qui nobili igitur loco nati corruptorum prauitate morum, ac flagitijs ſuis Maiorum claritatem, quantum eſt in ſe, obſcurant, digniſſimi ſunt inprimis, qui ex Nobilium albo deleantur. Omninò enim, quæ ſine honore eſſe non poteſt, per infamiam & vitæ turpitudinem Nobilitas amittitur. Deinde vilium ac ſordidarum artium exercitium Nobilitatis à Maioribus acceptæ lucem, etſi nullo cum liberorum præiudicio, extinguit. *Deinde vilium Artium exercitio.* Paupertas verò ſtirpis ac familiæ decus, quod dare diuitiæ non poſſunt, non tollit; nec abiectus & vilis eſt cenſendus ille, qui pauper. Qui mercaturam exercent, & lucro inhiant, ſi Nobiles ſint, Nobiles eſſe multis in locis deſinunt. *Et Mercatura.* In aliquibus peculiare gentis inſtitutum permittit. Omnis quæſtus in Nobilibus & familia claris videtur indecorus. Nec immeritò prohibent Imperatores, ne commercia Nobiles exerceant.

Rationes & Authoritates.

Flagitijs inprimis, vilium deinde Artium exercitio, tum ſecundùm pleroſque mercatura. Quod attinet ad flagitia, reatus omnis dignitatem excludit, l. 1. C. de Senat. Nobilitas cum ſit virtutis præmium, non debet eſſe nequitiæ

quitiæ pallium. Per artes viles intelliguntur quæcumque lucri gratiâ exercentur; alias pingere etiam quis poteſt exercitij cauſa, nec amittere nobilitatem, vt ait Hippolitus theoremat. 56. Fabio, inquit Cicero, nobiliſſimo viro laudi datum eſt, quod pingeret. Hiſtriones autem, Tragœdi Comœdi, & id genus, qui lucri cauſa publicè venalem operam ſuam habent, ſi nobiles ſint, Nobilitatem amittunt.

De Mercatura. De Mercatura dubitant nonnulli. Ariſtoteles 1. Polit. c. 6. mercaturam ſordidam eſſe tradit, & Interpretes ibidem. Cic. 1. Offic. *Illiberales ſunt, ſunt & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum opera, non quorum artes emuntur. Eſt enim in illu ipſa merces auctoramentum ſeruitutis.* Darius, teſte Herodoto lib. 3. contumelioſè mercator dictus, quod inſtar inſtitoris omnia quæſtui haberet. Iulius Capitolinus inter ſordes Imperatoris Pertinacis ponit, quod mercaturæ operam dederit. Contemptus Romæ Tarquinius, quod Demarato patre mercatore natus eſſet, vt ſcribit Valerius lib. 3.c.4. Et Suetonius vituperat Veſpaſianum, quod negotiationes pudendas propalam exercuerit coëmendo quædam tantum, vt pluris poſtea diſtraheret. Eamdem ob cauſam *omnis quæſtus Romæ Patribus indecorus eſt viſus*, vt ait Liuius lib. 21. Præterea Iure ciuili Nobiles mercimonium exercere prohibentur l. 3. C. de commer. & mercat. Vt, ſicut dicebat Theophilus Imp. priuati homines mercaturâ tolerandæ vitæ occaſionem habeant, vt refert Tholoſanus lib. 4. de Rep. c. 7. Theodoſius Imp. ad Vxorem, *Cum me*, inquit, *Imperatorem Deus deſignarit, tu me mercatorem facere contendis? Scito autem mercaturam priuatis hominibus conceſſam eſſe, vt tolerandæ vitæ mo-*

Nota.

dum habeant. Quod ſi nos præter imperij opes etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, vndenam ſubditi victum comparabunt? Ita habet Zonar. Tom. 3. Ann. Cum nonnulli Poloniæ Nobiles ius negotiationum à Sigiſmundo Rege peterent, *Oportet*, inquit, *habere me triplex hominum genus in regno meo; ruſticos qui agros colant; mercatores, qui neceſſaria importent & exportent; deinde Nobiles, qui me & Patriam defendant. Hæc defenſio cum ardua ſit, cumq; aucupio lucri & quæſtus conſiſtere vix poſſit, vero generoſa Nobilium pectora patriæ defendendæ nata mercatorum negotijs implicari, aut ſi id velint, permittant mercatores ſuum in locum ſuccedere.* Legibus quoque Imperialibus mercaturæ & negotiationi omnis aditus ad honores & Magiſtratus præcluditur, l. 6. C. de dignit. Hinc Thebani neminem ad Reip. adminiſtrationem admittebant, niſi per decennium mercaturâ abſtinuiſſet. Legibus quoque Germanorum & ſtatutis Gallorum prohibetur, ne Nobiles mercaturæ & negotiationibus implicentur.

Fatendum tamen, quod nobilis abſque ſuæ Nobilitatis detrimento exercere Mercaturam poſſit, ſi conſuetudo & conditio regionis ita obtineat, vt dicit Alciat. in l. Mercis ff. de verb. ſignif. Hinc apud Luſitanos, Italos, Venetos, Genuenſes, Florentinos, Lucenſes, Anglos & nonnullos alios, mercaturæ Nobiles ſæpè vacant. Deinde ſi neceſſitas magna ſit. Sic M. Æmilio Scauro nihil obfuit, quod patet ipſius paupertate coactus carbonariam exercuerit. Tum enim præſtat negotiari, quam latrocinari, aut mendicare; *etſi mendicare, quam mercaturam exercere malint Ruſſorum Nobiles*, inquit Sigiſmundus Baro in Muſcouia, & Kirknerus diſp. 13.

CAPVT IX.

Vbi habitare Nobiles debeant.

Expediret in vrbibus habitare.

ETſi Nobiles agris plerumque & pagis delectentur, in iiſque ſuas arces munitas habeant, vrbes tamen ab iis inhabitari ſanè expediret. Ita enim fieret, vt amplioribus & ſplendidioribus ædificijs ciuitates ornarentur, & ciuium numero augerentur, & in iis plura pro Nobilium vſu opificia excitarentur, florerentque. Præterquam quod ſuis familijs plurimum vrbes illuſtrarent, & ſuâ munificentiâ ac largitionibus, neceſſarijſque quotidie ſumptibus faciendis ditarent. Eorum inter ſe æmulatio ornamento eſſet vrbibus & emolumento.

Ratio-

Rationibus acquieſcendum.

Expedire hic iudicamus, vt in vrbibus potius quam pagis & agris habitent. Rationes ab emolumentis vrbium ducuntur, ad quas nihil addimus.

CAPVT X.

Quæ partes eſſe debeant Nobilium in Republica.

Primæ partes in bello.

PRimæ Nobilium partes in bello eſſe debent. Plus enim in ijs eſt fidei, fortitudinis, & prudentiæ, quàm in alijs, adeoque fideliores ſunt Principibus ſuis, & faciliùs ijs hoſtes fidem habent ac credunt, ſi deditio facienda ſit, vel fœdus percutiendum. Nobilis non facilè metu vincitur, aut pretio: nec ignominia inter Nobiles maior, quàm infidelem, meticuloſum, fugacem, mendacem appellari. Quippè maior eſt illis honoris & fidei, quàm vitæ cura. Deinde Nobiles in Ciuilibus negotijs enutriti prudentiam ab ineunte adoleſcentia hauriunt, & diſciplinam militarem præ cæteris excolunt. Nec immeritò Nobiles olim dicti ſunt Milites, & gladium geſtant, & ius armorum habent. Secundæ Nobilium partes in Curijs & Aulis Principum eſſe debent. Vt nimirum poſt Reges & Principes primo in gradu ſint, & in Rep. ſecundi. Vbi Nobiles nulli ſunt, ibi in vno Principis vnius corpuſculo tota Reſpublica periclitatur; nec ſpes vlla Regni eſt in mancipijs. Vbi verò multi Nobiles ſunt, & illuſtres genere virtuteque viri, ibi vix vllum eſt externi Imperij periculum; cumque Princeps occubuit, Nobilium animi & manus Rempublicam ſuſtentant. Sordidorum & vilium eſt hominum, non certè Nobilium, tumultuati, rebellare, in Principum capita graſſari: & vix vlla vmquam proditio, cuius non auctor vir ſordidus & obæratus. Facilè virorum illuſtrium inſidiæ cauentur, non item infimorum. Vt illi fideles ſint, moderatè ſunt regendi, & cum quadam æqualitate, vt ſe in honore ac pretio eſſe videant; non contemni, non poſtponi, non negligi. Nobilium profeſſio eſſe debet bella gerere, & alios regere; ad illud fortitudo, ad hoc auctoritas; ad vtrumque prudentia requiritur. Eæ autem ſunt Nobilium virtutes.

Secunda in Reip. adminiſtratione poſt Principes.

Quæſtiuncula 1.

At, inquies, quibus potiſſimùm Nobilibus Principes vtentur? Ijs ſanè qui ad natalium ſplendorem mores non diſſimiles, induſtriam & virtutem adiecerint. Ignauis Nobilibus nihil turpius eſt: hi Maiorum gloria tantùm tumidi ſunt, & acceptas ab ijs opes inglorij conſumunt, ac ſæpè illorum claritatem ſuâ turpitudine maculant. Hi repellendi ſunt à Principibus, quod contemnere alios ac ſuperare ſciant, nihil verò ipſi facere. Habere autem circa ſe Principes nullum debent, niſi quem virtus, & labor delectat.

Quæſtiuncula 2.

An expediat Principibus nouos Nobiles creare? Nouorum Nobilium promotio inſignem profectò Reip. vtilitatem adducit. Illi enim ne contemptui ſint alijs propter nouitatem, & vt ſupra inuidiam aſſurgant, fidelem & gnauam Principibus operam exhibent, vbi res magnæ, laborioſæ, ſumptuoſæ occurrunt; atque ita verè ſe Nobiles efficiunt, & ad Magiſtratum obeundum idoneos reddunt, & veterum Nobi-

Nobilium virtutem exſtimulant. Danda autem illis opera eſt, vt modeſtè ac ciuiliter viuant, nec faſtu aliquo, nec nimio ſumptu ſe prodant. Porrò Principes, vt aliquos Nobilitatis inſignibus ornent, magno delectu ad virtutem, prudentiam, & opes attendent, vt qui noui Nobiles fiunt, ornamento Reip. ſint, & ad eius gubernationem, prudentiam, agendique dexteritatem cum magnanimitate adferant.

Quæſt. 3. An etiam Diuitibus inter Nobiles aliquid ſit concedendum? Quoniam magnum Principibus præſidium eſt à pecunioſis hominibus ad omnem Reip. partem conſtitutum, non pauca certè illis ſunt concedenda. Multa ipſi mouere poſſunt, quia potentes, ideoque Principum beneficijs ſunt conſtringendi, & in pretio habendi; ſi tamen virtutem habeant, bonis artibus ſtudeant, opes ad honeſtatis ſtudium conferant.

Rationes, Explicationes, Authoritates.

PRimæ Nobilium partes ſunt in bello. Hinc, vt dicemus lib. 4. requiritur, vt belli Duces genere ſint illuſtres, ne ab hoſtibus deſpiciantur, & vt illis libentius milites ſubſint. Quod non ignorantes Hollandi, etſi Nobilitatis nullam habeant in ciuilibus muneribus rationem, bello tamen Nobiles præficiunt. Quippè quando Tribuni & Centuriones Nobiles ſunt, plus auctoritatis habent, quia tota familia Domini auctoritate & imperio verſatur, & ab illis plura ſperantur. Apud Ægyptios Nobiles, qui Calaſyri dicebantur, ſoli ferè arma tractabant, atque idcirco duodecim aruras immunes habebant. Erat autem arura vna, pars agri centum circumquaque cubitorum. Baſilius Magnus Dux Moſchouitarum ſeu Ruthenorum admodum quidem erat in Nobiles durus, volebat tamen eos ſibi adeſſe in Aulâ proprio ſumptu, tum ad bella gerenda, tum ad Legationes obeundas. Filios etiam Nobilium tenuioris fortunæ quotannis certo aliquo ſtipendio aſſumebat.

Secundæ partes ſunt in Aulis apud Principes & in Reip. muneribus. Vnde ſupra oſtendimus Legatos genere Nobiles eſſe debere, & in Magiſtratibus conferendis Nobiles alijs eſſe præferendos.

TITVLVS X.

De Aulicis, & Principum ſeu Regum Miniſtris.

CAPVT I.

Quinam illi ſint, & quales aſſumendi.

Qui Aulici. AVLICI ſunt, quicumque Regibus ac Principibus in Aula miniſtrant. Iidem Palatini à Palatio dicuntur. Duplicis autem ſunt generis: vel enim conſilio & gubernatione Principum induſtriam adiuuant; vel circa eorum perſonas vario miniſterio occupantur. Omnes olim *Quam varij.* Aulæ Comites appellabantur, & ipſa Principum familia, Comitatus. Eorum diſtinctio ab officijs eſt: & hinc ſunt Palatiorum Magiſtri, Oeconomi, Secretarij, Cubicularij, Dapiferi, Pincernæ, Domeſtici & Honorarij Nobiles, atque id genus plures, qui in maiores & minores Aulæ Magiſtratus diſtribui rectè poſſunt.

Porrò

Porrò in Aulicorum electione duo potiſſimùm ſpectare Principes debent, probitatem, & generis claritatem. Ac probitatem quidem inprimis, vt nimirum in miniſtrum Domeſticum neminem aſſumant, qui vitæ non ſit integræ, & quantum fieri poteſt, inculpatæ. Miniſtrorum enim vitæ integritas innocentiæ Principis opinionem ingenerat, & quales illi ſunt, tales ipſi Principes exiſtimantur. Et ſanè magnum Aulæ decus accedit, cùm viri manu ſtrenui, & probitate ſpectabiles circa Principum perſonas occupantur, omniaque ad Aulæ vſum componunt. Imò etiam magnum bonæ mentis indicium eſt in Principibus, cùm viros virtute & famâ celebres ad Palatium ſuum adſciſcunt. Iam verò quoniam de claritate ſeruientium creſcit fama Dominorum, generis quoque Nobilitate clari eſſe debent Principum Miniſtri. Neque enim magni eſſe & ſibi fidentes poſſunt, qui vilibus ſe Miniſtris ſubijciunt. Vilis illa Miniſtrorum fortuna vileſcere Principum facit fortunam. Generoſi Nobilium animi plerumque ad honeſta concitantur, & cum excelſi ſint ingenij, ſordida eos & humilia non delectant. Quare tum eximius erit Aulæ ſplendor, cùm viri Virtute & Genere Illuſtres Principem comitabuntur, ſuam illi operam impendent, & famam quâ viuendo, quâ agendo defendent.

In ijs probitas primò requiſita.

Deinde generis Claritas.

Teſtimonia & Exempla.

DEFINIVNTVR hic inprimis, & Aulicorum aliquot genera ponuntur; deinde de eorum agitur electione, in qua vitæ probitas, & generis claritas attenduntur. Seuerus Imp. teſte Lampridio, Palatium ſuum comitatumque omnem purgauit abiectis ex Aulico miniſterio cunctis obſcœnis & infamibus, nec quemquam paſſus eſt eſſe in Palatinis, niſi neceſſarium hominem; Iureiurando deinde conſtrinxit, ne quem adſcriptum, id eſt, vagantium haberet, ne annonis Remp. grauaret, dicens *malum tutorem eſſe Imperatorem, qui ex viſceribus Prouincialium homines non neceſſarios nec Reip. vtiles paſceret.* Theodoretus lib. 3. de Theodoſio ait, eum Aulam ſuam tamquam ſcholam inſtituiſſe, in quâ ad pietatem ſe & ſuos exerceret. Odit ſanè Populus eos Principes, quorum Aulici non ſunt viri probi. Hinc ſummo in odio fuit Commodus Imperator, qui vt teſtis eſt Herodianus omnes velut ab limine inſidiatores ſubmouebat, quos aut probitas aut diſciplina vlla, etiam mediocris, illuſtraret. Pari odio apud omnes fuit Phocas Imp. vt habet Pomponius Lætus, apud quem gratiſſimi erant illi, qui populos inexplebili capacitate diuexarent. *Duo*, inquit Aurelius Victor in Troiano, *ab egregijs Principibus expectantur, ſanctitas domi, & in armis fortitudo, vtrobique prudentia.* At verò præter vitæ probitatem Natalium ſplendor in Aulicis deſideratur. Illæ quippè ſunt ſecundæ Nobilium partes, vt in Aulis ſint apud Principes. Ita videmus hiſce temporibus fieri, vt Regum & Principum Aulæ Nobilibus ſint plenæ, quos circa Reges ſtare omninò docet. Vituperatus propterea eſt Maximinus Imp. quod Nobilem circa ſe neminem vmquam eſt paſſus, prorſus vt Spartaci aut Athenionis exemplo imperaret, vt ait Iulius Capitolinus in Maximino. Eodem modo Vitellus Cæſar, qui magnam Imperij partem conſilio & arbitrio viliſſimi cuiuſque hiſtrionum & aurigarum adminiſtrabat, teſte Suetonio c. 12.

In odio ſunt Principes, quorum aulici ſunt improbi.

CAPVT II.

An ergò qui Nobiles genere non ſunt, ab Aulis Principum ſint remouendi?

Prima officia habeant Nobiles virtute clari.

Non remoueantur tamen qui ſolâ virtute Illuſtres.

II ſanè, in quibus cum illuſtri Nobilitate inſignis eſt virtutis amplitudo, primos & ſupremos Aulæ Magiſtratus debent occupare. Decet enim vt non niſi cum Principibus & excellentibus probatæ familiæ viris Reges agant, colloquantur, ſua conſilia ac ſecreta communicent, eorum animo & manu vtantur. Hoc ipſa Maieſtas poſtulat, quo maiores ſint Miniſtri. Danda tamen opera eſt, vt ſolâ etiam virtute clari, cùm ea excellens eſt ac prorſus ſingularis, ad Aulæ miniſteria admoueantur. Nam ab his Principum felicitas dependet, & optimum eſt viri boni ſeruitium. Neque verò Nobilitas deeſt, vbi virtus eſt. Egregij quippè mores, virtus, & doctrina præcipuam adferre ſolent Nobilitatem & dignitatem. Minora Aulæ officia illuſtre genus non ſemper requirunt, ſemper verò vitæ probitatem, fidem, induſtriam, dexteritatem.

Teſtimonia & Exempla.

Nota.

P*Rima officia Nobiles habeant*, non remoueantur tamen qui virtute ſunt illuſtres. Apuleius de dogmatibus Platonis, *Meliores*, inquit, *ſemper in officijs præferantur; peſſimi autem vel minus boni, luce careant dignitatis. Apud Maiores*, inquit Tacitus 11. Annalium, *virtutis id præmium fuit cunctiſq; Ciuibus, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere Magiſtratum.* Alexander Magnus cùm Sidomorum Regem conſtituiſſet quemdam Aldolominum pauperem Hortulanum, ſed virtutum ornamentis inſtructiſſimum, rogatus cur genere clariſſimis illum prætuliſſet? *Ne quis*, inquit, *exiſtimet me non virtuti, ſed generi, potentiæque Regnum tribuiſſe.* Non minus certè fieri debet in Aulicorum electione, adeoque cum Nobilitas præferenda ſit, tum negligenda virtus non eſt. Eâ de re loquitur Salomon Eccleſiaſtici x. cap. Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos.

CAPVT III.

Quinam ab Aulis Principum ſint remouendi?

Obſcœni & infames.

Viles.

Non neceſſarij.

AB Aulicis miniſterijs repellendi ſunt inprimis quicumque obſcœni, & aliquo ſcelere infames. Horum enim turpitudo quandam Aulæ maculam inurit. Deinde Hiſtriones, Scurræ, & vilis conditionis homines. Nam hi Palatij & Regiæ familiæ ſplendorem ſuis ſordibus & vilitate interficiunt ac obſcurant. Tertiò quicunque non neceſſarij. Ne nimirum inutilis iſta turba, & quæ numerum tantùm facit, oneri ſit Palatio, quodque miſerrimum eſt ac indigniſſimum, ipſis quodammodo Subditorum viſceribus paſcatur. Magnum ſanè Principum eſt vectigal, nullum inter Palatinos, niſi neceſſarium, habere. Non Aulicorum numerus Principum dignitatem illuſtrat, ſed virtus.

virtus. Quartò ac poſtremò, procul ab Aulis eſſe Adulatores debent. Mellitus quidam laqueus adulatio eſt, Patriæ verò & virtutis inimici Adulatores. Hi Tyrannorum ſunt comites, & in ijs pro ratione libidinem, pro lege faciunt voluntatem. Peſtes ſunt & calamitates Rerumpublicarum. Specie amici, re ipsâ hoſtes, quos cùm Principes audiunt, relicto rationis Imperio affectum ſequuntur; quod aliud nihil eſt, quàm in Tyrannidem regnum commutare. Deprauata hæc in Aulis ratio eſt, quod humilitatis ac beneuolentiæ loco adulatio ducatur, ita, vt qui adulari hodie neſcit, aut inuidus exiſtimetur, aut ſuperbus. Hominum autem iſtorum hoc artificium grande & ſubtile eſt, videlicet in ſui commendationem alterum laudare, & decipiendo decepti animum ſibi obligare, certo denique pretio fictas laudes vendere. Expellendi igitur illi, qui cùm in ſerijs ac grauibus rebus vſui eſſe non poſſunt, voluptatum fiunt miniſtri. Captant quouis modo gratiam verbis & geſtu. Sed dum arrident, arrodunt, dum probant, produnt, dum veniunt, venenum adferunt. Caueant & ſciant Principes ſuas opes ſæpiùs ab Adulatoribus, quàm ab Hoſtibus euerti, ac iſtud adulationis vitium animi eſſe anguſti, viri mendacis, ſeruilis, futilis, abiecti, ignaui. Vix eſt, vt ex animo iam homines loquantur, nec tamen etiam palam mentiuntur; vera falſis miſcent & exornant. Nimirum ita imperitis & incautis facilè imponitur. Adulatores.

Authoritates cum Exemplis.

PRimò, Obſcœni & infames. Hinc Iſocrates ad Principem ſuum *Principatum adeptus nullius improbi miniſterio vtitor; nam quicquid ille deliquerit, tibi velut authori imputabitur.*

II. Viles. Cominæus lib. 3. *nullum,* inquit, *maius indicium bonæ mentis Princeps poteſt oſtendere, quam vt adiunget ſibi & familiariter vtatur, viros virtute & famâ celebres, nam ſtatim indicabunt eum talem eſſe, quales ij, qui apud illum.* Sic Ludouicus XI. qui virtute aliqua ſingulari præditi erant, eos magno in honore ſemper habuit, vt idem Cominæus atteſtatur.

III. Non neceſſarios. Eos ex Aulâ ſuâ Seuerus Imperator expulit, vt ſupra ex Lampridio oſtendimus, ne annona Populum grauaret:

IV. Adulatores. *Adulator,* inquit Plato in Phædro, *eſt beſtia omni humano generi peſtilens, ſimilis venefico, imò impuro Dæmoni, qui animos incautos funeſtis epulis fouet, & ſordibus noxijs inquinat.* Habet vt quidam dixit, adulatio vocem Syrenis, ſed ventrem Charibdis, blanda eſt & tamen aſpera; dulcis & tamen amara, candida & tamen nigra, facie humana & tamen vipera. Anaſtaſij Dicori Imp. ſymbolum eſt, mellitum venenum blanda oratio. Vnde Cato.

Sermones blandos blæſosq; cauere memento
Simplicitas veri ſana eſt, fraus ficta loquendi.

Antiſthenes dicebat *melius eſſe incidere in coruos, quàm in adulatores.* Corui cadaueribus eruunt oculos, adulatores viuos excæcant. Et vt Plinius ait lib. 18. *ſicut pardus odoris genere collecto feras inuadit & occidit, ita Adulatores irretitos blandiloquentia fallunt & perdunt.* D. Aug. *Duo ſunt,* inquit, *genera perſecutorum, Videlicet vituperantium & laudantium, ſed plus perſequitur Lingua Adulatoris, quàm manus perſecutoris.* Sanè Principum & Dominorum opes frequentius adulatores, quàm hoſtes euertunt, vt ſapienter Q. Curtius dixit. Hoc autem vitium eſt animi anguſti, viri mendacis, ignaui, ſeruilis, futilis, abiecti. Et ſecundum Sen. *plerumq; adulator non tam eſt arriſor, quam arroſor. Sic nemo amicus idem & adulator;* vt præſtet habere acerbos, quam amicos ſuaues, quorum mutuum eſt monere atque moneri. Quippè, vt ait ſapiens Prouerb. 27. Tolerabiliora ſunt amici vulnera, quam adulantium oſcula. Quare Princeps eiuſmodi in Aula ſua hominibus debet fidere & diffidere, credereque quod ait Theognis

Qui lingua duplicem mentē ſic geſtat in vnâ,
Hoſtis, ſed numquam fidus amicus erit.

Perpetuum Regum malum appellat Curtius; Tacitus *vetus in Rep. malum. Fallacem & crudelem adulatorem* D. Aug.

CAPVT IV.

Quibus artibus inſtructi eſſe Aulici debeant.

PRæter naturam bonam, quæ educatione ipsâ ad omnem honeſtatem ſit compoſita, & magnos virtutum fructus promittat nullis delitijs ſoluta, operæ pretium eſt, vt qui ad Principum Aulas accedere volunt, *[Artibus liberalibus.]* litteris latinis ſint inſtructi; quod hodie non ſatis ſapere videantur, qui latinè non loquuntur, & magni momenti negotia vix ſine hac lingua tractentur. Didicerint optimarum Artium & Scientiarum principia ac fundamenta; *[Iuriſprudentiâ, Eloquentiâ, Hiſtoriâ.]* Iuriſprudentiæ ſumma capita delibauerint, ex Hiſtorijs omnium ciuilis Doctrinæ capitum exempla acceperint; Eloquentiæ tantùm hauſerint, vt animi ſenſa purè ac propriè eloquantur. Non opus quidem eſt omnes Rhetorum arcas euoluiſſe, & pigmenta in promptu habere; præclarum tamen eſt in Aulico facundia ornamentum, cùm illa preſſa eſt, prudens, arguta, elegans. Putant homines neminem ornatiùs & prudentiùs, quàm Aulicum loqui debere, quem oratio, non minùs, quàm generis ſplendor aut diuitiarum fulgor, commendat. *[Matheſi.]* Mathematicæ diſciplinæ vſui eſſe Aulico omnibus in rebus poſſunt, ſeu pacis ſeu belli negotia ſit tractaturus. *[Sint peregrinati.]* Velim autem peregrinari eos primò, qui habitare in Aulis volunt, vt illo quodanimodo externorum vſu acuantur, ac ſplendeſcente per experientiam ingenio prudentiam acquirant, variaſque *[Linguas nouerint.]* linguas perdiſcant. Hæ enim in Aula ſunt neceſſariæ. Verbo dicam, linguarum peritia, Eloquentia, & Hiſtoria cum Politica idoneum facere Aulicum poſſunt. *[Item equitare & arma tractare.]* Inſuper verò Equitandi rationem Aulici nouerint, & certam ac expeditam habeant armorum tractationem. Vtraque pace iucunda eſt, & bello neceſſaria, quam non tantùm ita didiciſſe ſatis illis eſſe debet, vt flectere in omnem partem equos ſciant, ſed equorum etiam perfectè naturam teneant, & de armis ipſis valeant iudicare. Iungenda equeſtribus pedeſtria exercitia, vt poſſint quoque Aulici ſeu currendo, ſeu luctando, ſeu gladijs, haſtâ, alijſque miſſilibus certando palmam referre. Ac tum potiſſimùm, cùm ſpectante populo, atque in ipſis Principum adſtantium oculis in arenam eſt deſcendendum. Turpe eſt hîc Aulicos in ijs ſuperari, quorum *[Venari.]* profeſſio eorum eſſe propria ſolet. Cùm etiam omni venationum genere Principes oblectentur, nihil hac in re ignorare Aulicos velim, quibus explorata canum, & auium, & aliarum beſtiarum eſſe natura & conditio debet.

Authoritates cum Explicationibus.

ARtibus liberalibus, eloquentia, Hiſtoria, Iuriſprudentia, Matheſi: ſint etiam peregrinati, & linguarum peritiam habeant. Sciant equitare, arma tractare, venari. Litterarum latinarum ea neceſſitas in Aulico eſt, vt Principum negotia de bello, pace, fœderibus, alijſque magni momenti rebus tractare non poſſit; ſi has ignoret. Nec raró enim hoc tempore Principes ad alios latinè ſcribunt; aut ſcriptas latinè litteras accipiunt. Turpe eſt nihil hic intelligere. Quod attinet ad eloquentiam, Multi, inquit Hippolitus à Collibus in ſuo Palatino, *quos cum nec eximius generis ſplendor, nec ſummus diuitiarum fulgor, ſed elegans ſolùm ipſa dicendi ratio commendaret, ad Aulas cum acceßiſſent, in ijs glorioſiſſimè floruerunt.* Sine Hiſtoriarum cognitione vix grauem ſuſtinere perſonam Aulici poſſunt.

Quin-

Quintilianus lib. 12. Inſt. Orat. c. 4. *Quemadmodum*, inquit, *ſenex iuuene prudentior habetur, quoniam per plures annos quæ fierent, vidit; ita etiam fatendum eſt, prudentiſſimum illum fore, qui non ætatu ſuæ modo, ſed & præteritorum quoque geſta cognouerit*. Suppeditat hiſtoria abundè omnia ciuilis prudentiæ capitum exempla, ſed & bellicæ. Vnum exemplum hic illuſtre eſt in Lucullo, quem Cicero Româ profectum ſcribit rei militaris planè rudem, ſed cum totum iter & nauigationem conſumpſiſſet, partim in percontando à peritis, partim in rebus geſtis legendis, in Aſiam veniſſe, factum Imperatorem tantum, vt Mithridates Rex poſt Alexandrum maximus à ſe maiorem Ducem cognitum, quàm quemquam eorum, quos vidiſſet, aut legiſſet, fateretur. Non immerito proinde Claudianus ad Hiſtoriarum lectionem ita Honorium adhortabatur:

——— nec deſinat vmquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos euolue Duces, aſſueſce futuræ
Militiæ; latum retro te confer in æuum,
Libertas quæſita placet? mirabere Brutum;
Perfidiam damnas? Metij ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimium? Torquati deſpice mores.
Mors impenſa bonum? Decios, &c.

Iuriſprudentia, ad conſultationes, quæ de rebus magni momenti nonnumquam in Aulâ ſuſcipiuntur, admodum conducit, vt Principum placita teneantur. Captiunculas & argutias Iuris, quibus hodie lites aguntur, ſine damno Aulicus ignorabit. Turpe tamen eſt, nullas ſcire leges; & ſine iure iuſtè viuere, vix eſt, vt quis ſciat. Mathematicæ diſciplinæ ad multa belli munia Aulicum formant, & in pacis ornamentis, multiſque ciuilibus officijs induſtrium faciunt. Peregrinatio Aulicum perficit, quæ illi externos mores, varia Rerump. inſtituta, diuerſas linguas, & genera adminiſtrationum oſtendit. Exacuitur, & vſu externorum ſplendeſcit ingenium, prudentiaque comparatur. De ijs iam lib. 1. & hoc etiam 2. diximus. Equitandi rationem hodie Itali & inter eos Neapolitani ad vnguem tenere videntur. Scire verò Aulicus debet, quicquid circa equos cognoſci poteſt, vt eligere probareque bonos queat. In armorum tractandorum diſciplina imitari Epaminondam Aulicus debet, qui omnes calluit Imperatoris artes. Is poſtquam adoleuit, palæſtræ dare operam cœpit, non tam magnitudini virium inſeruiens, quam velocitati agilitatique corporis. Exercebatur quotidie manè currendo deſiliendoque, veſperi autem luctando; vt ſtans aliquando in armis hoſtem contra ſe ſtantem complecti, locoque exturbare poſſet, vel terræ illidere, aut fugientem ſaltu curſuque aſſequi. Circa venationes, quibus Principes potiſſimùm delectantur, quid intelligere noſſeque debeat hic exprimitur.

CAPVT V.

Quænam præcipua ſint Aulicorum virtutes, & qui Mores.

HOminum animi æſtimatione vitæ conciliantur: æſtimationem probitas & virtus facit. Cùm autem ornare Aulicos virtutes omnes poſſint, tum patientia inprimis, & fortitudo. Patientiam in ijs varij illi caſus requirunt, quibus ipſi tam ſæpè in Aulæ fortuna agitantur. Qui tolerare pative nihil nouit, viuere in Principum Aulis non poteſt. Facit autem Fortitudo, vt Aulici nulla pro Principibus, pro Patria, pro gloria pericula reformident, ſed intrepido illa animo & inſigni conſtantiâ ſubeant, nec mentem aut iudicium in aduerſis mutent. Magnum fortitudinis argumentum temporum inconſtantia Principibus ſuppeditat; ijs ſi Aulici magno animo non adſint, iuuent, expediant, digni ſanè non ſunt, qui in Principum Aulis degant. *Præcipua ſunt patientia & fortitudo.*

Porrò cùm illæ Artes ſupradictæ, & hæ virtutes Aulicorum eſſe debeant, quinam eorum erunt mores? Aulicorum mores elucere inprimis *In quibus eluceant Aulicorum mores.*

mis in vita debent, deinde in inceſſu & veſtitu, tum in ſermone, geſtu & motu. Vita proba, probos facit & honeſtos mores. Inceſſus ſit grauis & non affectatus. Veſtitus ſit cum decoro conditioni & regioni accommodatus ſine muliebribus munditijs, & meretricis; cincinnis. Indigni ſanè ſunt viri nomine, qui ita ſe comunt & muliebriter ſumma cum leuitate ornant, vt fœminæ potiùs, quàm viri videantur. Quicquid eſt boni moris, & virilitatis iſto leuiſſimo corporum cultu extinguitur. Sermo ſit purus, grauis, preſſus; in quo decorum ſeruatur, cùm ad perſonarum, temporum, locorum circumſtantias accommodatur. Geſtus & totius corporis motus ſit nec leuis, nec ruſticus, nec paleſtricus, ſed grauis & ſermoni congruens. Ita geſticulatio, & quædam pedum ac manuum petulantia mentis leuitatem deſignat: grauitas ſine affectatione interioris eſt virtutis ſignum.

Teſtimonia & Authoritates.

VIrtutes Aulicorum præcipuæ Patientia & fortitudo. Veteranus Aulicus apud Sen. lib. 2. de Irâ cap. 33. interrogatus *quomodo rem rariſſimam in Aula conſecutus eſſet, ſenectutem?* reſpondit. *Iniurias ferendo & gratias agendo*, ſcilicet:

Nobile vincendi genus eſt patientia, vincit
Qui patitur, ſi vis vincere, diſce pati.

Documentum. Per patientiam Aulici non difficulter Aulæ difficultates ſuperant, ſi quidem vt ait Q. Curtius *Optimè miſerias ferunt, qui eas abſcondunt*. Id eſt, qui patienter ferunt. Seruandum in patientia illud Sen. præceptum lib. 3. de Irâ. *Si imbecillior eſt, qui te læſit, parce illi, ſi potentior, tace.* Patientiæ coniuncta ſit fortitudo, ſeu animus firmus & conſtantia, & conſtans aduerſus incommoda, Aulæ; de quâ dici illud Sophoblis poteſt.

——Præcipites dat & rurſum erigit
Iuxta potentes atque miſeros.

Proinde Aulicæ,

Aude animo inuidiã cõtemnere; non nocet illi;
Quem petit, authori ſed nocet illa ſuo.

Eſt verò etiam neceſſaria idcircò fortitudo, vt Aulici in periculis iuuare Principem poſſint, & magno animo illa ſuperare, quæ temporum inconſtantia adfert. Circa mores, qui hic exprimuntur, audiendus Sen. lib. 7. naturalium quæſtionum, *quicquid eſt boni moris extinguimus leuitate & politura corporum. Mulie-* Documentum aliud. *bres munditias anteceſſimus, colores meretricios matronis quidem non induendos, viri ſumimus.* Idem lib. 1. Controuerſ. *Cantandi ſaltandiq; obſcæna ſtudia, effœminatos reddunt & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem accommodare.* Abeſſe igitur à cultu Aulicorum ea omnia debent, quibus effœminari quis poteſt. Certum enim eſt illud, ——

Qui corpori ſtudet nimis, negligit animum.

Et vt Martialis ait:

Non benè ſemper olet, qui benè ſemper olet.

CAPVT VI.

Quomodo in Aula ſeſe gerere Aulici debeant.

AGendum aliquando in Aula cum Principe, aliquando cum Miniſtris alijs; erga illum, & erga hos gerere ſe certo Aulici modo debent. Ac inprimis erga Principem ſincerè ac ſine fuco ita gerere ſe debent, vt tales ſint, quales videri volunt, non fingendo vultum, non ſimulando, ſemperque animo lingua conſentiat. Breuis eſt ſimulationis gratia, deteguntur tandem omnia, & in Principis ſuſpicionem primò, tum in odium veniunt, cum aſſiduitate, ſummaque diligentiâ commiſſum ſibi à Principe munus ita obire debent, vt in id vnum incumbere, ſolam Principis vtilitatem quærere, ac quaſi in perpe-

2. Erga Principem ſincerè omnia agendo. Cum aſſiduitate & diligentia.

perpetua eſſe vigilia videantur. Animus, qui gloriæ ſtimulis concitatur, labore ipſo nutritur, & nullâ difficultate territus aut vi labefactatus emicare ipſe per ſe cupit. Ita fiet, vt cognitâ hâc diligentiâ miniſterium Principi placeat, qui & amabit ardentiùs, & promouebit citiùs. Eorum enim operâ ſæpè & libenter Principes vtuntur, quos laboris ſui ſtudioſos, induſtrios, fideles ac diligentes nouerunt. Videndum verò, vt hæc Aulicorum diligentia procul ab affectatione, oſtentatione, curioſitate ſit. Nihil gratum eſt, quod affectatum; quod autem oſtentatur, odioſum eſt. Scire etiam quæ ad nos non pertinent, non oportet. Curioſitas moleſta res eſt omnibus. Eſt præterea Aulicorum, ſilentio Principis arcana, ſi quæ ſciant, inuoluere, nec cuiquam reuelare. Et hoc ſilentium Aulæ diſciplina periculo vitæ ſancire debet. Deinde id agendum, vt cùm Principes amare debeant, ſciant ab illis Principes ſe amari. Amoris indicium amoris eſt conciliatio: & cùm remuneratione beneuolentiæ nihil ſit iucundius, eos libenter amabunt, & fauebunt Principes, à quibus ſe non mediocriter diligi perſpicient. Extent verò huius in Principem amoris indicia non obſcura, nec tantùm cùm neceſſitas vitæ periculum objicit, & vel moriendum eſt, vel facienda bonorum iactura, verùm etiam cæteris in omnibus rebus, etiam leuioribus. Ac tunc quidem non leue amoris huius eſt ſignum, cùm Aulici eos colunt, quos in honore ac delicijs Principes tenent; cum ijs non verſantur, quos illi ſuſpectos habent. Operæ pretium eſt, ingenium Principis penitus nouiſſe, & totum ad illud ſe fingere, quantum quidem fas eſt. Hoc tamen cauendum, ne adulari videantur, aut ſimulare, aut affectare.

Cum taciturnitate & amore.

Erga alios vel Aulæ Miniſtros, vel externos ita ſeſe gerere Aulici debent, vt primò non offendant, ſeu verbo, ſeu facto. Deinde neminem contemnant, & ſalua ac integra ſit cuiuſque dignitas, ordo, honor, obſequium. Relinquant inhumanos iocos, & petulantia in perſonas vel nationes dicta. Libenter ſaluâ dignitate omnibus obſequantur, modo iterùm aſſentationis abſit ſuſpicio. Nihil officioſo Aulico pulchrius eſt, qui ſemper officiorum largiſſimus eſſe debet, quæ præſtando nihil ipſe aut parum amittit.

Erga alios neminem offendendo, omnibus benè faciendo.

Modus agendi cum Authoritatibus.

ERga Principem inprimis ſincerè omnia agendo; cum aſſiduitate & diligentia, cum taciturnitate & amore; erga alios deinde neminem offendendo, benè omnibus faciendo. Sincerè dixi erga Principem, cui pectus Aulicorum apertum eſſe debet. Nam is dicit, quod ille apud Homerum Princeps,

Hoſtis ille mihi perinde ac inferorum porta
Qui aliud quidem celat in præcordijs, aliud verò dicit.

Credant Aulici, quod dicit Euripides, *nullum mendacium ſeneſcit.* Et rectè Ariſtoteles. *Falſum bonum in principio, verum malum temporis progreſſu conuinci. Hæc eſt vera dementia*, inquit Cyprianus, *non cogitare nec ſcire, quod ſimulationes non diu fallunt; noctem tam diu eſſe, quamdiu non eluceſcat dies, clarificatò autem die & ſole orto luci tenebras caliginem cedere.* Non eſt ergo ſimulandum aut fingendum quicquam cum Principe; tales apud eum appareant Aulici, quales ſunt; & imitentur Amphiariarium Augurem, qui vt illum laudat Æſchylus. *Non ſtatuerat vt videretur optimus, verum vt eſſet.* Ad ſinceritatem hanc accedat aſſiduitas & diligentia *Hac*, inquit Antonius apud Ciceronem *præcipuè colenda eſt nobis; hac ſemper adhibenda, nihil eſt, quod non aſſequatur. Nam quæcumque ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, labore vno verbo diligentia complectimur, qua vna virtute omnes virtutes reliquæ continentur.* Nolunt Principes negotia ſua negligenter tractari. Deinde, vt ait Cato apud Saluſtium

Non fingendum cum Principe.

Nota.

luſtium, *Vigilando, agendo, benè conſultando proſperè omnia cedunt; vbi ſocordiæ te atque ignauiæ tradideris, nequicquam Deos implores, irati infeſtiq́, ſunt.* Diligentem illum Aulicum appello, qui à re ſibi demandata oculos nunquam deijcit. Et hæc via eſt attollendi ſeſe. Nam, vt rectè ait Tacitus, *quo quis obſequio promptior, honoribus & opibus extolletur.* Vitanda hic duo, affectatio & curioſitas. Piſonem rectè laudat Paterculus, *Eum quæ agenda ſunt egiſſe ſine vllâ aſſentatione agendi.* Curioſè inquirere in Arcana Principum Aulici non debent, & imitari Philippidem, qui Lyſimacho Regi percontanti, *Quid tibi meorum communicabo?* *quidlibet*, inquit, *modo ne arcana.* Et verè, vt ait Caſſiodorus, *periculoſiſſima res eſt arcana Principum cognoſcere, vbi ſi quid cognoſcitur, prodi vel ab alio formidatur.* Quod ſi tamen Aulicus arcana cognouerit, numquam reuelet, ſequaturque hoc monitum Poëtæ:

Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vmquam,
Commiſſumq́, teges & vino tortus & ira.

Ridiculi illi Aulici ſunt, qui Thraſonis inſtar Terentiani referre gaudent, ſiquid dictum aut factum in cubiculo Principis. Cogitare deberent, quod ait Plutarchus, *Non vt nauem arreptam fluctibus anchorâ licet ſiſtere, ita verbum è portu velut in altum miſſum.* Rectè Sapiens monet, *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam, qui inconſideratè loquitur, ſentiet mala.* Et verè Muretus, *Multum ille aſſecutus eſt, qui benè dicit loqui; qui benè tacere non minus aſſecutus eſt.* Calliſthenem diſcipulum Ariſtoteles profecturum ad Alexandri Magni Aulam monebat, *vt quam rariſſime & iucundè admodum apud eum loqueretur, qui vitæ neciſq́, poteſtatem in acie linguæ haberet.* Hoc præceptum quia Calliſthenes non obſeruauit, exitium inuenit: *Quæ enim debebat, dicebat, ſed non quomodo debebat grauis fuit*, inquit Arrianus lib. de geſtis Alexandri. Ridiculi etiam illi Aulici ſunt, qui ſi numquam ſileant, præclarum id exiſtimant, cum tamen certiſſimum ſit fatuitatis ſignum; de quibus dici illud Epicharmi poteſt: *Cum loqui non poſſint, tacere non poſſunt.* Silentium, vbi loquendi tempus non eſt, prudentiæ ſignum eſt. Benè Sen. in Thyeſte:

Benè inſtitutum os pulchra harmonia eſt aurium,
Tacere multis diſcitur vitâ malis.

Cum alijs conuerſando Aulici ne offendant, cauebunt. Offendunt vel maximè contemptu, conuitijs, contumeliâ. Aliqui ſunt, qui conſultò rodendo famam alterius riſum captant, &, vt dicit Quintilianus lib. 6. cap. 4. *Sæpè amicum, quam dictum perdere malunt.* Circumſtantias conſiderare etiam in iocis oportet. Nam aduerſus miſeros inhumanus iocus eſt; & quod in plures conuenit malè dicitur. Nota.

CAPVT VII.

Quodnam Principis ſit officium erga Aulicos ſuos.

1. Eos amare, æſtimare, illis fidere. Principis eſt inprimis Aulæ ſuæ Miniſtros & Domeſticos Nobiles amare, gratum eorum obſequium habere, liberè ac ſincerè cum ijs agere, & cùm nota virtus & fides eſt, illis fidere. Id etiam efficere, vt amari, æſtimarique ſe intelligant, ac curæ Principi eſſe, vbi occaſio erit, amplioribus honoribus eos exornare. Hæc omnia ſtimuli quidam ſunt, & calcaria Aulicis addita, vt diligentiùs ac fideliùs commiſſis ſibi circa Principem officijs defungantur.

2. In diſciplina tenere. Deinde verò ad Principis officium etiam ſpectat, vt ſanctâ quâdam diſciplinâ Domeſticos ſuos in officio contineat. Et diſciplina certis ac ſeueris legibus conſtare poteſt, quæ in multorum aliquando Regum Palatijs magnâ vtilitate ſunt ſancitæ, vt in peccantes animaduertatur, & morum integritas conſeruetur. Teneatur Aulæ Præfectus in omnium Domeſticorum mores inquirere, punire, & quandoque ad Principem ipſum referre.

Qui

Qui in Regia contumeliam alicui intulerit, mentiri dixerit, etſi ad propulſandam iniuriam, cuſtodiæ tradatur, & pro Principis arbitrio puniatur.

Qui vim fecerit, & armis alióve modo aliquem in Aula læſerit, capitis ſit reus. Etiam qui in Regio conclaui iniuriam ſolo verbo fecerit.

Sed leges hîc non figo. Sit ea ſanè diſciplina, vt impudicis apud Principes non ſit locus; inſolentior ſermo exulet, turpeſque, & ſcurriles ioci, conuitia, contumeliæ non audiantur; abominanda abſint iuramenta; fœdæ ingurgitationes prohibeantur. Decet enim Regum domos & familias morum quædam integritas & excellentia, vt è Palatio honeſtatis omnis & virtutis exempla referantur. Suprema hîc lex eſto, Principis integritas & continentia.

Teſtimonia & Exempla.

INprimis eos amare, æſtimare, & illis fidere; deinde in diſciplina tenere. Amor Principum debitus eſt meritis miniſtrorum. Diſciplina verò Aulæ difficillima eſt. Hinc Tacitus dicit Iulium Agricolam *domum ſuam tandem coërcuiſſe, quod pleriſq; non minus arduum eſt, quam Prouinciam regere.* Correctionis cura vel idcirco non negligenda eſt, quod quicquid in Aulâ peccatur, Principi adſcribitur, vt Principem ſuum monet Iſocrates. Ideo Mœcenas ita hortabatur Auguſtum. *Nulli amicorũ aut officialium tuorum nimia eſt indulgenda potentia, ſed ita ijs moderandum, vt ne ſe in culpam aut reprehenſionem conijciant. Quicquid enim hi rectè, vel ſequius egerint, id verò tibi adſcribetur, talemq; te cuncti cenſebunt, qualia eos facta exercere permiſeris.* Rationem dat Imp. Tiberius, *Cum rectè factorum ſibi quiſque gratiam trahat, vnius inuidia ab omnibus peccatur. Oderat ipſe Tiberius Aula vitia,* vt ait Tacitus 1. Annalium, *quia à peſſimis publicum dedecus metuebat. Aſperrimâ diſciplinâ vſus eſt Imp.* Claudius, *dum ſeruum ſuum, qui quendam illuſtrem virum probro affecerat, in forum miſſum flagris concidit.* Aurelianus etiam Imp. *Seruos ac miniſtros peccantes coram ſe cædi iubebat*, vt teſtatur in eius vita Vopiſcus. Plinius in Panegyrico laudabilem illam in Traiani Aula diſciplinam ita extollit, *Tantùm*, inquit, *vbique ſilentium, tam altus pudor, vt ad paruos penates, & larem anguſtum, ex domo Principis, modeſtiæ ac tranquillitatis exempla referantur.* Addendum hic monitum illud Ciceronis ad Q. Fratrem ſuum in Aſia Proconſulem. *Sint*, inquit, *hæc fundamenta dignitatis tuæ, tua primum integritas & continentia; deinde omnium qui tecum ſunt, pudor.* Aliquas pro Aulæ Regiæ diſciplinâ conſtitutiones hoc capite ponimus. Vt monet autem Sanctus Bernardus nullo modo debet Princeps ignorare mores ſuorum, nec debet vltimus domus ſuæ vitia ſcire, de diſciplina prouidere debet, & illam nemini credere.

Seruanda in Aula diſciplina.

Aulæ vitia Principibus adſcribuntur.

CAPVT VIII.

Præcepta quædam Aulicis ſeruanda.

I. Erga Maiores ſint reuerentes, erga minores humani; vbique modeſti, nec nimium ſibi fidentes, nec humanæ fragilitatis obliti; proinde contemnant ac deſpiciant neminem.

II. In audiendo faciles ſint, & in reſpondendo prompti: vbique ciuiles & benigni; non nimium tamen populares, ne fiant ſuſpecti.

III. Nec iactitent ſeſe, nec nimiam induſtriam oſtendant. Obligatos ſe cuiquam Principes non putant; ſuæ fortunæ quidquid eſt proſperum tribuunt, alienæ quod aduerſum. Qui ſe obligatos putant, non amant.

IV. Nunquam de prioribus Dominis malè loquantur, aut conqueran-

querantur. Ingratum eſt, quibus idem accidere poteſt, nec ſuſpicione malè actæ vitæ caret.

V. Prudenter diffidant, & cautè diſſimulent, vt nimirum inſidias eorum vitent, qui laudando oderunt, & ſpecie amicitiæ dolum parent.

VI. Si lædantur à potentiore aliquo, taceant: imò etiam hilari vultu iniuriam ferant. Si ab inferiore, libenter parcant.

VII. Cùm obſequium deferendum eſt Principi, ſint promptiſſimi; cùm ciuibus, paulò ſint tardiores, vt deſiderentur, & maiori cum dignitate expectentur. Non deſint tamen.

VIII. Nunquam propter aliqua merita ſua, plus ſibi quàm alijs licere putent. Fungi tantùm officio ſuo debent, qui ſe Principum miniſterio tradiderunt. Meriti gratiam amittunt, qui inſolentiùs propter meritum ſe gerunt.

IX. Rarò, parum, cautè cum Principibus loquantur: ſui animi & virtutis excellentiam cum eorum præſtantia nunquam conferant, aut vllius rei geſtæ laudem ad ſe trahant.

X. Qui cum Principibus aliquando ludunt, vinci malint, etiam datâ operâ, quàm vincere. Victores illi ſuos æquo animo non ferunt; victos etiam beneuolentiâ excipiunt.

XI. Sciant læta eſſe merita ſua & beneficia, quamdiu poſſunt exſolui; ſi multum anteueniant, pro gratia odium referent. Oderunt qui nihil debere volunt.

XII. Nihil vehementius, quàm Principem offendere, timeant. Illum qui hoſtem habet, neminem habet amicum.

XIII. Meminerint rem eſſe in Aula rariſſimam, Senectutem. Illam, qui iniurias ferunt, & gratias agunt, conſequuntur. Contumax animus ſe perdit, & per pericula ad periculum vltimum contendit.

XIV. Cùm diſcordiæ inter alios ſunt, ne veniant in partes. Circumſpectè interim & cautè degant.

XV. Nunquam Principibus vel alijs prudentiores videri velint, ſed nec ſeruilibus ſententijs ſubſcribant, & liberè ſaluâ dignitatis reuerentiâ veritatem dicant ac tueantur.

XVI. Quoniam non ſecundi ſemper ſpirant in Aula venti, captanda opportunè occaſio eſt, ſi quid petendum, vel agendum. Ab ipſis Principibus ſæpè conſpici, non inutile. Sæpè negotia ijs committunt, quos in oculis habent.

Plura alia ſunt, ſed ea percenſere, inſtituti non eſt noſtri.

Variæ Authoritates.

VT præcepta hic tradita confirmemus ſcriptorum authoritates adiungemus. Inprimis illud vetus notandum de Aulâ.

Aula locus fortuna ſuos vbi lubrica ludos
Ludit & eludit nunc hos, nunc deijcit illos

Deinde non omnibus ibi eſſe fidendum, quantumuis vis in ſpeciem amico, vt ait Eraſmus, nec arridenti, nec complexanti, nec deieranti.

Fide parum multumq́, vide; nam fidere multum
Et vidiſſe parum maxima damna parit.

Quà de re lepidè Scaliger.

Clariſſima ſententia confidere paucis
Sed clarior eſt altera; confidere nulli.

Quid ergo in tantâ diffidentia agendum?

Crede Deo te remq́, tuam, & ſpe falle dolorem.
Euentus pia fata dabunt, prece victa ſecundos.

Tum ——

Fer placide caſus, nec ab ordine cedat honeſtas

Nihil contra Principem cupide agendum. Illud proinde notandum Scalig.

Contra Rhodanum ne ſtolide natare tentes,

Contra Boream ne temerè ſtare ruentem
Contra Pelagi ſtreperum clamare tumultum
Contra enſiferum rabie certare Tyrannum.

Non nimis excelſa appetere, & mediocri contentum eſſe honore. Nam, vt inquit Quintilianus in declamationibus, *neſciunt diu ſtare ſucceſſus, & quoties prodire vltra felicitas non poteſt, redit.* Nam, vt ait Sen. Epiſt. 39. *Sicut ſegetem nimia ſternit vbertas, ſicut rami onere franguntur, ſicut ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas, idem animus quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit; quâ non tantùm in aliorum iniuriam, ſed etiam in ſuam vertuntur.* Exemplum dedit ætati noſtræ Dux Bironius, qui vſus
Exemplum Bironij. Aulæ fortuna ad primam in Francia dignitatem apud Henricum IV. peruenit, inde tandem, propter ſecreta contra Regem conſilia deturbatus, gladio ceruicem ſubmiſit. Vt fusè Petrus Matthæus in Hiſtoria Henrici quarti exponit. Eodem
Eſſextij. modo Comes Eſſextius, magnus ille & potens Aulicus apud Elizabetham Angliæ Reginam, cum modum excederet, & fortuna ſua ad inſolentiam tantùm abuteretur inuidorum machinamentis ad mortem infamem depreſſus eſt, vt idem habet Petrus Matthæus. Rectè igitur monet Ouidius lib. 3. Triſtium.

Tu quoque formida nimium ſublimia ſemper,
Propoſitiq́; memor contrahe vela tui.

Idcirco Aurelianus Imp. modicè tantùm ſuos amicos & Aulicos ditabat, *vt miſerias paupertatis effugerent, & diuitiarum inuidiam patrimonij moderatione vitarent*, vt habet in eius vita Vopiſcus.

Habeant Aulici linguam parcam & mentem clauſam. Hoc nimirum eſt ſecundum Biantis præceptum. *Audi multa, loquere pauca.* Et Beatus Anſelmus in Monoſtichis.

Sæpius auditu fueris quam voce Sodalis.

Omnia verba potentis Aulici notantur, quamprimum ſunt emiſſa. Sycophantarum morem pulchrè exprimit Dio Caſſus. *Hic eſt mos*, inquit, *Sycophantis, vt conuitijs proſcindere aliquem & arcani quippiam ipſi efferre incipiant, vt audiens alter ipſe quoque ſimile quid enunciando criminis obnoxius fiat: nam illis quidem hoc abſque periculo licet, nimirum ex compacto id facientibus, non quod ita ſentiant, ſed vt alienum ſenſum expiſcentur, qui ſi vel minimum, præterquam licitum eſt verbulum emittant; pœnas haud dubie dant.*

Aulici non fidant gratiæ Principum, ac proinde reuerenter & timidè ſe habeant. Monet benè Poëta.

Si ſapis alta fuge, aut timidè vtere luce potentum
Concidit in puncto gratia longa breui.

Non iactitent nimium ſuorum maiorum & ſuam nobilitatem: Id enim ſæpè odioſum & faſtigioſum eſt; ne id dicatur ijs,

Audi Nemeſis; ſancta vide qualia monſtra,
Immanibus ingenijs ſtatuere triumphos,
Iactant otia parta negotijs paternis,
Ac ignaua nobilitate gloriantur.

Amet vnuſquiſque ſuam conditionem, nec aliorum carpat. Nimirum

Eſto quod es, quod ſunt alij ſine quemlibet eſſe.
Quod non es nolis, quod potes eſſe velis.

Non exiſtiment magnam ſe feciſſe iacturam, ſi honorem petitum non ſemper aſſequantur, aut ſi aliquando deprimantur. Conſolationis loco erunt hi Macrobij verſus.

Non poſſunt primi eſſe omnes omni tempore
Summum ad gradum claritatis cum veneris
Conſiſtes ægrè, & citius, quam deſcendas, decides
Cecidi ego, cadet qui ſequitur, laus eſt publica.

Hæc ratio eſt

Lubrica namque via eſt; magni cecidere cadentq́;
Eſt mihi quique hodie, cras tibi caſus erit.

Imò verò teſte Mantuano

Pluribus excelsâ vel opum vel honoris ab arce
Profuit ad modica ſortis cecidiſſe quietem.

Reuerenter agant cum omnibus ſuis in Aula ſuperioribus. Scaliger

Reuerenter, inquit, *habe quos ſuperi dant ſuperiores*
In ſe ſpuit, is qui ſpuit aduerſus Olympum.

Cum vulpibus vulpinandum eſt; ita vt Aulici multa non videantur intelligere, quæ tamen intelligant. Tacitus de Senatoribus Romanis cum Tiberius imperium recuſaret, *quibus vnus metus*, inquit, *ſi intelligere viderentur.* lib. 1. Annal. Idem Tacitus, *Solum*, inquit, *inſidiarum remedium, ſi non intelligerentur*, agens de Agrippinâ Neronis matre, quæ ſimulabat ſe non intelligere inſidias ſibi ſtructas lib. 14. Annal. Aulici quandoque inter pocula ſancire ſolent amicitiam, ſed vitrea iſta amicitia eſt. Audiendus Martialis lib. 9. Epiſt. 223.

Hunc quem cæna tibi, quem menſa parauit amicum
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?

Aprum

Aprum amat, & mulos, & ſumen & oſtrea, non te,
Tam benè ſi canem noſter amicus erit.

Caucndum ab ijs, qui occultis moribus ſunt prædιti, & lingua pollent, ab animo diſſentiente. Referendum huc illuc Solonis.

Tu ſi ſapis, fac ſingulos probe obſerues
Ne fortè quiſquam tegat, quod habet intus
Odium, & interim vultu loquatur blando
At lingua duplex ex atrâ ſonet mente.
Boni ſibi hoc appetunt, rem, fidem, honorem
Gloriam, & gratiam, hoc probis pretium eſt; eo mihi
Magis lubet,
Cum probis potius, quam cum improbis viuere vanidicis.

Plautus in Trinum. Regula pro ſcientia Aulicorum ſit hæc.

Non qui multa tenet, ſed qui ſcit idonea vita
Hic dici doctus cur mereatur habet.

Poſtremo addo hæc confeſtim pro Aulicis præcepta ex Scaligero.

Danda opera eſt magnis, ſed non cum vulnere mentis
Danda opera eſt magnis ſed comitante metu.
Et aſſueſcat quantum poteſt malis;
Præſenti animo compoſitus perfer & iuſta;
Aſſueſce malis, quo domites & neceſſitates,
Non te mala lædent, in te ea lædere diſcas
Aduerſa acuunt magnanimum, proſpera mollem
Labor ipſe laborem abdicat, dolor dolorem,
Suiq; Dominus ſemper maneat.
Tete capere, effundere te, patiq; diſce:
Te cogere, laxare, repaſtinare; ſicte
Cogens neque cogis, neque cogeris coactus.

Quod ſi cui aduerſa ſit Aulæ fortuna Aulam deſerat & dicat,

Inueni portum, ſpes & fortuna valete
Nil mihi vobiſcum eſt, ludite nunc alios.

CAPVT IX.

An Reges in Aula ſua Satellitium habere debeant.

Aduerſus improbos Satellitio eſt opus.

OPtimum equidem munimentum eſt vitæ innocentia & amor ſubditorum, quoniam tamen timenda vbique perfidia & improbitas eſt, neceſſitas Satellitium circa Reges & Principes requirit. Eius vſus eſt ad perſonam Regiam defendendam, malis metum intjciendum, iuſtitiam conſeruandam. Vnde ij, qui in Principum Satellitio ſunt, fideles & fortes animo eſſe debent, corpore verò laborioſi ac robuſti. Nec timendum eſt Satellitij occaſione Tyrannidis periculum; illa enim non à Satellitio, ſed à mentis deprauatione procedit. Facit etiam Satellitium ad Regiæ Dignitatis venerationem quandam, quæ ex ipſa Comitatus amplitudine creſcit. Præterquam quod eius oppoſitu ambitioſorum non rarò, & ſeditioſorum conatus retundantur.

Rationes & Exempla.

AGaſicles Lecedæmoniorum Rex, teſte Plutarcho in Aphop. Lac. dicere ſolebat *poſſe Principem ſine Satellitibus imperare, ſi ita popularibus imperet, ſicut pater liberis.* Quia vt dicit Ludouicus Viues. *Magnum Satellitium eſt amor.* Hinc cum Plato Dionyſium Tyrannum corporis ſui cuſtodibus ſeptum videret, *quod tantùm,* inquit, *malum feciſti, vt à multis ita cuſtodiaris?* Ariſtides, teſte eodem Plutarcho qui cognomento iuſtus eſt dictus, ſemper ſuo vnius præſidio fretus, Remp. adminiſtrauit, à Sodalitatibus & amicorum potentia abhorrebat, quæ ad iniuriam alijs inferendam adderent animum. Tarquinius ſuperbus, vt refert Liuius lib. 1. conſcius malè quæſiti regni, ab ſeipſo aduerſus ſe exemplum capi poſſe, armatis corpus circumſepſit. Neque enim, ait, ad ius regni quicquam præter vim habebat. Romulus Romanorum Primus Rex ad cuſtodiam ſui corporis trecentos armatos, quos Celeres appellauit, non in bello ſolùm, ſed etiam in pace habuit, eodem Liuio teſte lib. 1. Auguſtus Cæſar victo

ad

Actum Antonio, etſi nihil amplius eſſe periculi videretur, prætorianos milites à ſe non dimiſit. Omninò ſanè præſidium ſatellitum vtiliter à Principibus etiam bonis contra vim externam adhibetur, & contra multorum audaciam. Docet hoc natura in Apibus, circa quarum Regem ſatellites quidam lictoresque ſunt cuſtodes authoritatis. Teſte Plinio lib. 11. cap. 17. Boni quidem ſubditi beneficijs & virtute Principum in officio continentur, mali autem vi coërcendi ſunt, & metu à ſceleribus absterrendi. Accedit quod ſubditis etiam maximè beneuolis fidere non oportet. Populus qui Chriſtum creare Regem voluerat, poſtea crucifigendum illum eſſe clamauit, vt notat Tholoſanus lib. 12. de Rep. Vitandus autem eſt inutilis apparatus eiuſmodi miniſtrorum.

TITVLVS XI.

De Ordine Plebeiorum.

CAPVT I.

Negligi Ordinem Plebeiorum à Principibus non debere.

CVM Reipublicæ pars ſit ordo Plebeius, plurimumque ad eius ſuſtentationem conferat, ac omninò ſine eo eſſe Reſp. non poſſit, negligi ſanè à Principibus non debet. Tanta eius neceſſitas eſt, quanta alimenti; hoc enim Plebei præſtant; adeò vt conſtare ſolis Nobilibus & Militibus Ciuitas, aut quæuis hominum ſocietas non poſſit. Quam ob cauſam non minorem horum, quàm iſtorum curam ſuſcipere, qui Rerumpub. gubernacula moderantur, debent. Nihil Populo gratius eſt, quàm à Principe ſuo non deſpici; & nonnunquam cum eo communicare, ac ſuam operam vtilem videre. Optimè Principes faciunt, qui clementiâ, humanitate, liberalitate & beneficentiâ, aliiſque artibus plebem ſibi conciliant.

Curam plebis habere Principes debent.

Teſtimonia & Exempla.

OMNINÒ curam plebis habere Principes debent. Romulus, teſte Liuio lib. 1. in Patricios & plebem Ciuitatem nouam diuiſit. Vnde Plutarchus in vita Romuli, *prudentia conditorum*, inquit, *non minorem plebis, quam nobilitatis rationem in Rep. conſtituenda ſuſcepit.* Neque enim fieri poteſt, *vt Reſp. ſolis Nobilibus ac militibus conſtet*, vt ait Tholoſanus lib. 1. cap. 1. Antiquorum Germanorum Ciuitatem ex nobilitate & plebe conflatam fuiſſe refert Corn. Tacitus lib. de moribus Germanorum. Galli autem Veteres cum primo duos tantùm ordines habuiſſent Druidum pro Religione, & equitum pro militia, nullâ ratione habita plebis, tandem cum diu conſiſtere ea ratio non poſſet, tertium ordinem plebeiorum in Ciuitatem receperunt. A plebe enim alimentum, cuius primam omnium habere rationem oportet.

Quare iuſtè reprehenſus fuit Architectus Dinochares ab Alexandro Magno, quod in condenda vrbe Alexandria, quam in Atho & altiſſimi montis ſpecula collocari ſuadebat, rationem alimoniæ non perpendiſſet, vt refert Plutarchus in Alexand. Et Carolus V. reprehendit maiores noſtros, quod pro arcibus & vrbibus ſuis plerumque elegiſſent, altiſſima montium iuga.

V CA-

CAPVT II.

Quatuor eſſe Plebeiorum Ordines in Republica neceſſarios.

POrrò cùm ingens plebeiorum numerus ſit, tum inter eos quatuor ordines Reipub. omninò ſunt neceſſarij. Ac primo in ordine collocandi ij ſunt, qui Reip. victum procurant; in ſecundo qui amictui proſpiciunt; in tertio qui valetudini Ciuium conſeruandæ operam dant; in quarto qui neceſſitatibus Reip. alijs ſubſeruiunt.

Primus ordo procurantium victum. Primi ordinis Agricolæ ſunt, Piſtores, Lanij, Venatores, Piſcatores, Molitores, Coci. Hi omnes circa alimentum, cuius prima habenda ratio eſt, laborant ſeu manu, ſeu induſtriâ aliquâ. Ad eos accedunt, qui Dulciarij appellantur, quod delicias procurent, & mellita quædam edulia concinnant. Ingenioſæ Gulæ hoc inuentum eſt, vtinam nunquam inuentum. Nimia illa in cibis curioſitas, & obſoniorum ſuauitas luxum inuexit, luxus robur ætatis & virilitatem noſtram fregit.

Secundus procurantium veſtes. Secundi ordinis ſunt Pannifices, Textores, Pelliones, Sartores, Sutores, & id genus alij, qui labore ſuo aut veſtium materiam præparant, aut veſtes ipſas conficiunt. Hos omnes veſtitus neceſſitas eſſe in Repub. vult. Vt autem leuitatem, ſuperbiam, nouitatem, & luxuriam non inducant, diligenter eſt animaduertendum.

Tertius procurantium valetudinem. Tertij ordinis ſunt Chirurgi & Pharmacopæi. Illi morbos & vulnera curant cùm arte ſua, tum ex Medicorum expertiſſimorum præſcripto, idque agunt, vt bona ſit ac firma Ciuium valetudo: Hi verò ad valetudinem procurandam medicamenta præparant ac vendunt. Vtrique vel idcircò neceſſarij ſunt, quod parum profectò victus ac veſtitus proſint, ſi infirma corpora ſint, ac cum ſanitate vita periclitetur. Nec rarò fœda morborum lues Remp. exhauriret, ſi harum Artium remedijs non occurreretur.

Quartus Opificium neceſſariorum. Quarti ordinis ſunt opifices illi omnes, & Mercatores, quorum miniſterium Rebuſpublicis eſt neceſſarium, reiectis proinde ijs, qui res inanes in Ciuitates inuehunt, aut artibus quibuſdam ſæculi mores corrumpunt.

Enumeratio quædam & Teſtimonia.

PRimus ordo eſt *eorum qui victum procurant*. Secundus *eorum qui veſtes*. Tertius *qui valetudinem*. Quartus *opificum neceſſariorum*. Hi omnes hoc cap. enumerantur & ſuo ordine conſtituuntur. Dulciariorum artem Cic. vulgarem appellat pro Roſ. Amer. Illi à caſtris abeſſe iubebantur, vt tradit Vegetius lib. 1. de re militari; inuectique prius Romam fuerunt anno V. C. 10. LXXX. teſte Plinio lib. 18. Cocos Romani veteres non habebant in ſeruitijs, ſed ex Macello conducebant. Hinc Plautus in Aulularia:

Poſtquam obſonauit herus, & conduxit cocos,
Tibicinaſq́, haſce apud forum.

Apud Spartanos vile eorum artificium fuit: nam ciues nihil præter ſalem & acetum, pro obſoniorum condimento dabant, quod cætera ab ipſis cibis atque labore petenda eſſe dicerent, teſte Plutarcho in Apoht.

CA-

CAPVT III.

Principes ante omnia curare Agriculturam debere.

ARtium prima & antiquiſſima, imò omnium fundamentum eſt Agricultura, cuius ſtudium olim honeſtatis ſtudium appellabatur, quod nec Regiæ, nec Conſulares, nec laureatæ manus erubuerunt. Curare ergò vel inprimis Principes debent, vt diligens ſit & accurata agrorum omnium & vinearum cultura, propoſitis etiam prœmijs ac pœnis, vt induſtria colonorum excitetur. Sint qui publica auctoritate conſtituti, agros, hortos, & vineas inſpiciant, & vbi ſedulos repererint cultores, parte aliquâ tributi remiſsâ laudent; vbi negligentes, arguant & grauent magis. Videant an noui agri ſeu Noualia inſtitui poſſint, vel vepribus aut ſyluis exciſis, vel paludibus exſiccatis. Curent denique ne vlla loca alioquin fertilia per ignauiam cultorum, vel deſuetudinem horrida iaceant & inculta. Inuitari agricolæ poſſunt, ſi quandoque Principes eam ſubditis faciant libertatem, vt qui ad culturam loca aliqua antea inculta redegerint, retinere ipſi ſibi poſſint, & ad hæredes ſuos tranſmittere certâ aliquâ & annuâ Principibus penſione reſeruatâ. Præterea ſi id agant Principes, vt nec nimijs tributis, nec militum vexationibus agricolæ infeſtentur. Cogit enim eos aliquando tributorum magnitudo, vt agros ſteriles eſſe malint, quàm concuti toties & exhauriri; & prædis quotidie obijci. Quare ea eſſe Principum cura debet, vt hoc hominum genus ſuâ auctoritate & beneuolentiâ tueantur, ſecuritatem illi præſtent, & hoſtiles illas amicorum militum incurſiones prohibeant.

Inuitandi ad culturam Agricolæ.

Non nimium onerandi.

Teſtimonia & Authoritates.

OMnium rerum ex quibus aliquid acquiritur nihil eſt agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius*, inquit Cic. 1. Officiorum. Eorum ſtudium ſemper honeſtiſſimum eſt iudicatum, & honeſtatis ſtudium vocatum, inquit, Plutarchus in Numa. Omnium antiquiſſimum eſt, & à primo parente omnibus hæreditarium, *quod nec regiæ nec conſulares & laureatæ manus erubuerunt*, ait Plinius lib. 18. cap. 2. Hinc agricultura nobilitati nihil præiudicij adfert, quod nihil libero homine agriculturâ dignius videatur. Suetonius cap. 2. collaudatum ſuo æuo dicit Auguſtum, quod ſingulari ſtudio agricolas & negotiatores complecteretur. Et Oſorius lib. de Inſtitut. Principis. Pleroſque Luſitaniæ Reges ab ſingulare in agricolas ſtudium agricolas appellatos eſſe ait. Eccleſiaſtici cap. 7. *Non oderis laborioſa opera & ruſticationem ab altiſſimo creatam.* Etiam ſancta ruſticitas dicta eſt, quod inuiolabilis non modo pacis, ſed etiam belli tempore eſſe debeat, l. 8. ff. de rer. diuiſ. Agricolæ neceſſaria alimenta & veſtimenta ſuppeditant Reip. Quæ ratio Romanos mouit, vt nonis modo diebus vrbanas res vſurparent: reliquis octo rura colerent, & inſtituto ſeruato conſequerentur, vt ex hac cultura agros haberent fœcundiſſimos, & ipſi valetudine firmiores eſſent, inquit Varro lib. 2. Eſt agricultura, ait Xenophon, mater & nutrix omnium aliarum artium, quæ benè habent cum terrâ benè colitur, iacent cum terrâ neglecta iacet. Et veteres Romani dicebant, *nequam eſſe in domo matremfamilias, vbi indiligens hortus eſſet, quod è carnario aut macello viuendum eſſet*, ait Plinius lib. 15. c. 4.

CAPVT IV.

Mercaturam etiam Reip. vtilem eſſe.

Magnum eſt Reip. ſubſidium mercatura.

CVm opum conficiendarum ratio maxima in commutatione poſita eſſe videatur, cuius præcipua pars negotiatio eſt, fit vt præcipuum quoddam rei domeſticæ Reipublicæque conſtituendæ inſtrumentum ſit mercatura. Atque hæc tum ingens eſt Ciuitatis ſubſidium, cùm multi ac potentes ſunt in ea Mercatores, per quos variarum rerum copiam ad omnes omninò euentus habet. Præterquam quod eorum induſtria magna Reip. emolumenta pariat, dum exterarum ingenia nationum & opes nouerunt, neceſſaria ad tutelam arma moderato pretio comparare poſſunt, & agendi dexteritate humanitateque pollent. Multorum illi Regum ac Rerump. dignitatem cùm opibus ſuis, tum induſtriâ tuentur; adeò vt ſine ijs nec retineri Principum Aulæ poſſint, nec bellum geri, aut carere commodis ingentibus ſit neceſſum. Tot olim ſteterunt, tot hodie florentiſſimæ ſtant Reſpublicæ, quæ ſi negotiationem ac mercaturam desererent, collabi dignitatem illam ſuam continuò viderent. Quippè Ciuitatum, imò etiam plurimarum Prouinciarum quaſi vita ac ſanguis eſt negotiatio, per quam fit, vt neruus ille belli ac pacis, pecunia haud vnquam deſit. Et fortaſſis ſatius eſſet nonnullis in Regnis ad ærarium implendum negotiationem fouere, & Reip. mercandi induſtriâ ſubuenire, quàm tributis ſubditos premere. Neque ſanè dignitatem ſuam Principes illi violant, qui per induſtrios fidoſque viros commerciorum beneficio, quæ neceſſaria ſunt, comparant, & quæ ſuperflua, diſtrahunt, modo nulla fraus ſit, nullus interueniat dolus. Has ob cauſas cùm vtiliſſima Reip. negotiatio ſit, tum certis exerceri legibus ea debet. Nimirum vt ad hoſtes ea non deferantur, quibus vti contra nos poſſunt. Vt quæ ad luxum tantùm ſunt, nec vllo modo neceſſaria, non inuehantur. Vt illæ merces, propter quas, eæ quæ in patria ſunt, vileſcerent, non permittantur. Vt fraudes omnes & Monopolia impediantur, quicquid demum bono obeſſe publico poteſt. Cæterùm præſtentur immunitates, priuilegia, ſecuritas mercatoribus, & ad munia publica quandoque vocentur, vt creſcat ijs animus, & ad opes Reipublicæ augendas diligentiùs contendant.

Per eam Reſpub. ſtant & Florent.

His legibus exercenda.

Teſtimonia & Exempla.

PLato neceſſariam inprimis dixit eſſe Reipub. Mercaturam. Et quamquam Lycurgus & Romulus ſua ciuitate negotiatores excluſerint, tandem tamen in numerum ciuium recepti fuerunt. Neque equites negotiatione abſtinuerunt, vt Marcus Tullius V. in Verrem eſt teſtis, & Bodinus lib. 3. Diuidunt aliqui mercaturam in diffuſam, & reſtrictam. Illa honeſtior eſt ſatiata quæſtu vel contenta potius, vt ait Cic. 1. Officiorum. Illam Solon exercuiſſe fertur, vt habet Cicero in Bruto, non tam lucri cupiditate impulſus, quam periclitandi videndique. Et Thales ille ſapiens cum præuidiſſet olearum inopiam, omnes coëmit, & anno inſequenti vendidit, vt author eſt Ariſtoteles 1. Polit. cap. 7. Reſtricta mercatura, quam alij ſolidam appellant, eſt eorum qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant. Nihil hi proficiunt niſi admodum mentiantur. Illos puſilli & humilis eſſe animi lucello inhiantes ſeſeque mancipantes quæſtui dixit Onoſander. Quippè *hos mercandi praceps cupiditas circa omnes terras, circa maria ſpe lucri ducit*, vt ait Sen. de breuitate vitæ cap. 2.

Huc

Huc pertinent Dardanarij, qui emunt, vt carius vendant. (Illi autem incidunt in legem Iuliam de Annonâ. Sic dicti ſunt à Dardano quodam profligatiſſimo Mago, qui maleficis artibus annonam in granaria ſua auertere, menſuras in admetiendo minuere ſolitus, vt habet Turnebus lib. 9. Aduerſariorum. Ioannes Boterus lib. 8. de Politia Illuſtrium cap. 14. tribus modis ait Principes verſari poſſe in mercimonijs exercendis ſine exſtimationis iactura. Primò cum priuati id genus commercij exercere non poſſunt vel propter minores facultates, vel infeſtas ab hoſtibus vias, vel alias ob cauſas. Sic Reges Portugalliæ commercia in India & Æthiopia manu armata & inſtructa claſſe hactenus continuârunt magna cum laude ſuâ. Secundò ſi eiuſmodi commercijs nimium ſubditi ditarentur. Sic Veneti triremes publicas mittunt Alexandriam) allatum aromata, quæ poſtea in Anglia, Francia, Flandria, alibique magno Reip. bono diuenduntur. Tertiò cum commercia publicam ſalutem ſpectant. Sic nonnumquam Principes cum granorum inopia eſt ſubditis vendunt non ſine magna beneficentiæ in ſubditos laude. Porrò etiam negotiationibus multum Reſp. creſcunt, vt teſtes ſunt tot in omnibus regnis Ciuitates, quæ commercijs ſuis ad ſummam opum amplitudinem peruenerunt.

Quando Principes exercere Mercimonia poſſint.

CAPVT V.

Quomodo in Ciuitatibus collocandæ ſint Mercatorum & Opificum tabernæ.

Mercatores atque ij opifices, quorum operâ omnes in ciuitatibus indigent, varijs in locis per oppida diſiungi debent. Alias diſtribui per Regiones & collocari ſimul poſſunt, quæ eiuſdem rationis ſunt tabernæ. Vnde opifices illi, quibus aquâ præterfluente eſt opus, regionatim ad fluuium aut riuum coniungi debent. Illi verò, quorum artificia & opera exerceri ſine ſtrepitu non poſſunt, remotiores eſſe debent à Curijs & ſcholis, ne aut Conſilia Reip. aut litteratorum hominum ſtudia interturbent. Illos enim ſtudiorum fauor pellere è vicina poteſt. Nec habenda huius rei minima ratio eſt, vbi benè conſtitutæ ſunt Academiæ.

Aliquæ diſiunctim, aliquæ regionatim.

An verò cuiuſcumque planè generis ferendi ſint in Ciuitatibus opifices? Non expedit profectò. Quare ijs Ciuitates pateant, quorum opera & artificia publicæ inſeruiunt vtilitati: reijciantur ij verò, qui voluptatum & rerum inanium ſunt Miniſtri, Tabernarij, Dulciarij, Vnguentarij, Hiſtriones, Ludiones, Pantomimi, Tibicines, & id genus alij, qui ad Ciuium perniciem ſua ingenia accommodant, nec bene temperant mores, ſed diſtemperant.

Quæſtiuncula.

Textus ſuam confirmationem habet.

Declaramus hic officinas aliquas & tabernas diſiunctim, alias regionatim eſſe collocandas; quam ad rem nihil addimus.

CAPVT VI.

Quâ ratione contineri Plebeiorum ordines poſſint.

Plebs negotio continetur.

NIhil melius plebeis, quàm negotium conceditur. Id agendum igitur, vt omnes negotijs aliquibus & laboribus occupentur, otium nulli ſectentur. Vnde in otioſos inquirere oportet, qui ſi domi, quod agant, non habeant, publicis operibus implicentur, aut exterminentur. Graue quippè Reip. eſt, vel vnum otioſum alere. Sunt otioſi velut fuci quidam, alienorum nempe alueariorum deprædatores. Vtile erit non pati in Rebuſpub. ſtationes otioſorum, confabulatorum, nec validos paſſim mendicantes.

Authoritates & Exempla.

PLebs negotio optimè continetur. Hoc erat conſilium Appij Claudij dicentis. *Melius plebi Romanæ negotium concedi, quam otium.* Valerius Max. lib. 7. cap. 2. Ciuitatis noſtræ, inquit, blandæ appellationis quies plurimos vitijs aſperſit. Oportet, igitur, inquirere in otioſos homines, inquit Tholoſanus lib. 23. cap. 7. & aut publicis operibus, cum nihil habent domi quod agint implicandi, aut exterminandi. *Graue enim eſt Reip. vel vnum otioſum alere*, ait Xenophon. lib. 2. Pædiæ. Hinc prudenter Athenienſes rationem vitæ cuiuſque quotannis exigebant, vt habet Athenæus lib. 4. Quod eo magis opus eſt aduerſus eos, qui nihil habent, vnde otioſam vitam tueri poſſint, vt monet Bodinus. Tollendæ proinde ſtationes otioſorum confabulatorum, vt monet Demoſthenes Olynth. 2. Imò quorumdam olim populorum legibus deſidia capitalis fuit, vt tradit Herodotus de Ægypto lib. 2.

Vitandum ciuium otium.

CAPVT VII.

An ergò ferendi non ſint in Ciuitatibus Pauperes.

Ferendi ſi neceſſitate vel infirmitate tales, non ſi vitio ſuo.

PAuperum inopiam ſubleuare iuſtitiæ eſt & pietatis, interque Principum munera non extremum. Sunt autem Pauperes neceſſitate ipſâ aut corporis infirmitate tales, vt omnium miſericordiam mereantur. Et hi tolerandi ac iuuandi ſunt. Vel certè ſuo vitio prodegerunt omnia, & validi ac robuſti laborem fugiunt. Hi ferendi non ſunt, quod & Ciues exhauriant, & Reip. ſint dedecori. Vnde inſpectores eſſe debent, qui in ijs corporum integritatem & animorum explorent.

Modi iuuandi.

Porrò vt iuuari priores illi egeni poſſint, danda opera eſt, vt de publico, ſi fieri poteſt, iuuentur. Iuuabunt ſacri templorum reditus, & piæ illæ in Pauperum vſum fundationes. Iuſtior certè ſacrorum redituum vſus eſſe non poteſt, quàm ſi in Pauperes erogentur, quantum quidem templorum miniſteria patiuntur. Præterea colligantur publicè eleemoſinæ, & per certos miniſtros, cùm occaſio eſt, diſtribuantur. Inſtituantur publica hoſpitia pro peregrinis excipiendis, pauperibus alendis, ægrotis curandis, pupillis inſtituendis, Senibus ſuſtentandis, ac pro infantibus etiam expoſitis. Et hæc reditus ſuos habeant annuos, quos paula-

paulatim Ciuium opulentiorum charitas augeat. Id verò curandum, vt vnaquæque Ciuitas inopes ſuos alat, ne tanta erronum turba ſine fructu tota Prouincia vagetur. Niſi fortè Patriæ ſterilitas, aut deuaſtatio errare cogat; quo caſu, iuuandi ſunt, non vltra tamen triduum in oppido vno ferendi, niſi opificio alicui addicere ſeſe velint.

Teſtimonia & Authoritates.

DEus Deuteronomij V. cap. per Moyſem edixit, *ne mendicus in populo Iſraëlitico reperiatur.* Magna tamen Chriſti Domini tempore mendicantium copia fuit, vt cap. 16. Diui Lucæ, & Ioannis 8. Actorumque tertio colligitur; vnde apparet Reip. illius ſtatum à primis legibus ſuis degenerauiſſe. Platonis lex eſt lib. 11. de Legibus. *Nemo in noſtra Ciuitate mendicus eſto, ſi quis tentauerit & miſerabilibus precibus ſtipem victumq; collegerit, eum præfecti è foro, ædiles totâ vrbe, agrorum præfecti tota regione exterminent.* Similis eſt conſtitutio Impp. Gratiani, Valentiniani & Theodoſij in l. Vnic. C. de Mendicant. Valid. Item Caroli Magni hæc. *Mendici per regiones vagari non permittantur; ſuos pauperes quæque Ciuitas alito; illis niſi manibus operentur, nihil dato.* Conſtitutio Henrici II. Gallorum Regis, apud Thuanum eſt, qua Rex mandat Decurionibus, *vt publicis operibus mendicos validos exerceant, & nullibi in publico ad ſtipem flagitandam permittantur.* Cæteri qui morbo impediuntur, aut mutilo corpore, ad labores ſunt inhabiles Xenodochiorum operibus ſuſtententur. Parienſes robuſtos & valentes mendicos ad publica opera vrgent. Eorum inſtitutum imitantur Argentauratenſes. Plautus in Trinummo.

De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat aut bibat,
Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miſeriam.

Remedia contra mendicantes.

Ago autem ad validis mendicis, qui mendicandi victus quaſi artem quandam factitant, & ita ignauiam ſectantur. Suggerunt Politici remedia aliqua.

Primum, vt publici aliqui miniſtri mendicantes illos obſeruent, colligere ſtipem non permittant, ſed in Xenodochium deducant, eoſque ibi examinent, ac dato per noctem vnam victu ſtatim manè è Ciuitate deducant.

Secundum, vt Iure Ciuitatis nemo donetur, qui non habeat certum vitæ genus, quo ſe ſuſtentet.

Tertium, vt aliqui explorent artem eorum, qui vulnera corporiſque mutilationes, quæſtus cauſa certa ad fallendum arte prætexunt, quorum clamores & latratus repellere oportet, ſi fraus deprehendatur. Bodinus eiuſmodi ignauos ſed validos tamen mendicos, vult è Ciuitatibus mitti in bellum ſtatimque cogi vt arma ferant. Laudatur verò inſtitutum Amſterdamenſium, apud quos eſt carcer quidam, & ergaſtulum, in quo tum prodigi, tum ignaui, aut etiam efferati concluduntur, ibique ligna acanthina, ſeu Braſiliana comminuere, aut pannos bombaſinos contexere aut aliud quiduis agere coguntur.

De Zigaris, vulgò Ægyptijs.

Quæri hic poteſt, quid ſentiendum ſit de Zigaris, qui vulgò Ægyptij vocantur? Certum autem eſt non ducere eos originem ex Ægypto vel Æthiopiâ, vel Aſſyriâ aut Perſiâ, ſed eſſe, vt ait Camerarius, manipulum furum, & colluuiem otioſorum & fraudulentorum hominum ex vicinis nationibus collectorum, qui extra Ciuitates in agris, in triuijs, tentoria exigentes, latrocinijs, furtis, deceptionibus, permutationibus, & chiromantica diuinatione homines oblectantes, ijs artibus victum mendicant. Venerunt ij primum in Germaniam duce Zindelo anno Chriſti 1417. Secundum Crantzium lib. 11. Sax. cap. 2. vel anno 1439. ſecundum Auentinum. In hoc hominum erronum genus futile & deteſtabile animaduerterunt ſeueriſſimè tum Maximilianus primus, tum Albertus IV. Dux Bauariæ. Compertum autem eſt eos eſſe proditores & exploratores hoſtium, indices Turcarum, ideoque per publicam Imperij conſtitutionem locum in imperio non habent.

CAPVT VIII.

An expediat in Rebuſpublicis eſſe Ciuium Sodalitia ſeu Collegia.

Vtilia ſunt Opificum Collegia.

MErcatorum & opificum Collegia Rebuſpublicis expedire nemo Politicus, qui prudens, negabit. Per ea enim in Regio Optimatumque ſtatu hominum ſocietates continentur; in populari Imperium retinetur. Eorum verò iſta eſt vtilitas, quod cùm cogenda pecunia eſt, cùm tributa colligenda, cùm grauia Reip. negotia expedienda, meliùs ac faciliùs cum vniuerſis, quàm cum ſingulis agatur, & conſenſus obtineatur. Deinde cùm eorundem opificiorum & artium homines conueniunt, de rebus illi ad ſe pertinentibus, ac opificiorum ſuorum negotijs prudentiùs agunt, iudicant, ſtatuunt. Vnde fit, vt opificia vigeant ac floreant amplius, cùm ad Rerumpublicarum vtilitatem, tum ad ſplendorem Tyrannorum eſt Ciuium Collegia tollere, & conuentus omnes prohibere. Porrò cùm eiuſmodi Sodalitia quædam ſint Reip. partes, non poſſunt, niſi Reip. legibus & ſummâ annuente poteſtate, conſtitui. Nam quæ priuatâ auctoritate coaleſcunt, ius ac nomen Collegiorum non habent. Illa ſummi Magiſtratus ac Principis permiſſio, non tantùm conuentuum habendorum poteſtatem dat, verùm etiam Conuentuum locum, tempus, tractandarum rerum modum, & materiam ipſam præſcribit ac regit. Adeò vt qui alio modo conuentus fiunt, illiciti cenſeantur, ac Maieſtatis crimen incurrant. Nocturni cœtus, ac ſecretæ quæcunque conſultationes nulli Collegiorum generi permittuntur. Suſpecta enim eiuſmodi ſunt Conuenticula, & quæ noctu fiunt, concurſationes; ne conſpirationes fortaſſis, proditiones, ac nefariæ in Reip. exitium molitiones ſuſcipiantur. Hæc vbi fiunt, Collegiorum beneficia ac priuilegia propter abuſum extinguntur.

Permiſſu Principis inſtituenda certo modo.

Non fiant noctu conuenticula.

Quæſtiuncula.

An verò huiuſmodi Collegia ſibi decreta pactaque facere poſſint, iudicare item & exequi? Planè communi lege id illis eſt indultum, modò ne quid quod Reip. legibus aduerſetur, conſtituant. Habeant Iudices ſues, quos, qui Collegæ ſunt, in rebus ad Collegium opificiumque pertinentibus, agnoſcant ac reuereantur. Atque illi, vbi commiſſum eſt delictum, animaduertere pœnâ aliquâ modicâ, mulctâ, & eiectione nonnunquam in delinquentes poſſunt. Saluâ ſemper Iudicum Reip. auctoritate, ſeruatiſque Collegiorum moribus ac inſtitutis. Habeant etiam publicam domum ſuam, in qua conueniant. Sigillum, Collegij ſui notam; Arcas, quæ communes facultates contineant.

Leges ſuas ac Iudices habere poſſunt.

Impedienda & punienda Monopolia.

Illud verò hîc videndum, vt ſeuerâ legum pœnâ corripiantur, qui Monopolia fecerint, quorum innumeræ ſunt fraudes, cùm ad conſtituendum mercibus pretium, infra quod vendere non liceat; tum ad ſupprimendas aliquo tempore merces, ad operas ſummo pretio locandas, ad diſcentes tyrocinio intra triennium non imbuendos, ad opus ab alio inchoatum non perficiendum. Aliæ eiuſmodi plurimæ ſunt fraudes pœnâ omnes & animaduerſione grauiſſimâ digniſſimæ.

Expli-

Explicatio cum Auctoritatibus.

VTilia eſſe putamus opificum Collegia, modo permiſſu Principum inſtituantur certo modo & legibus, nec noctu fiant conuenticula, quemadmodum hic explicamus. Talia fuerunt Lycurgi Phiditia, Minois Syſſitia, Italica Sodalitia, Phratriæ Græcorum. Permittuntur autem Reip. & ſummæ poteſtatis conceſſu, ſine quo nomen & corporum & Collegiorum amittunt, l. 3. §. 1. ff. de Coll. Coitiones omnes aliæ illicitæ ſunt, & Maieſtatis crimen incurrunt. Exiſtimat Bodinus nihil ad popularia imperia tuenda ac retinenda potentius, nec melius excogitari potuiſſe vnquam, quam eiuſmodi Ciuium Collegia. Neque Regia, neque Optimatum poteſtas ad continendas hominum ſocietates, iis carere potuit, inquit Plutarchus in Numa, qui Rex non modo omnium opificum, ſed etiam mercatorum Collegia inſtituit. Non ferunt Tyranni eiuſmodi Collegia. Hinc illa Romæ ſuſtulit Tarquinius Superbus, quæ Senatus eo expulſo reſtituit. Iulius Cæſar itidem plurima clauſit, Auguſtus iterum aperuit, eadem Nero remouit, teſte Suetonio. Apud Turcas nullo modo eiuſmodi conuentus permittuntur, ideoque ſublatæ omnes campanæ, ne vllum detur congregationis ſignum. Carolus V. Gandauenſibus in Ordinem redactis Collegiorum omnium iura ſuſtulit. Quæ pœna inter rebellionis pœnas exerceri ſolita eſt, vt nimirum prohibitis conuentibus impediantur rebelliones. An iura Collegiorum concedi etiam peregrinis debeant nonnulli dubitant. Societas Hanſeatica habet Londini in Anglia, Bergæ in Nowegia, Brugis in Flandria, & Neogardiæ; anno 1582. ab Antuerpienſibus petierunt Turcæ, vt octodecim mercatorum Collegium ſibi permitterent, ſed non obtinuerunt. Videtur id planè inconſultum, etſi flagitante Reip. neceſſitate nundinationes priuilegijs & immunitatibus ſint inuitandæ.

CAPVT IX.

Quinam in opificum ordinibus ſint digniores.

OMnium in Republica ſubditorum vtiliſſimi ac maximè neceſſarij ſunt Agricolæ, ideóque ſouendi, ac contra vim omnem ſtudioſâ curâ vindicandi. Inter opifices autem, quò liberalioribus Artibus operam impendunt, eò ipſi digniores. Hinc Typographi, Pictores, Aurifabri, Architecti, Sculptores, vilioribus alijs, qui minus liberalibus dediti ſunt Artibus, digniores exiſtunt. Quippè nobilius vbi opus apparet, ibi Ars eſt nobilior, & ad ingenuas litterarum diſciplinas propius accedit. Cæterùm priuilegia, quæ opificijs nonnunquam à Principibus conceduntur, vel ab Artis neceſſitate, vel præſtantiâ proficiſcuntur. *Digniores ſunt quorum liberaliores ſunt artes.*

Textus ſibi ſufficit.

OMnium in Rep. vtiliſſimos iudicamus agricolas; inter alios verò eos digniores, quorum liberaliores ſunt artes. Sola hic conſideratio Artium pro ratione & authoritate eſt.

CA-

CAPVT X.

An Peregrini in numerum Ciuium ſint recipiendi.

MAgni facere Principes ac Magiſtratus debent ſincerum atque ab omni colluuione peregrini ac ſeruilis ſanguinis incorruptum populum ſeruare, proindeque non temerè peregrinos Ciuitate donare. Diuerſitas enim illa morum & affectionum periculoſa eſſe Ciuitati poteſt; & ſæpè vbi peregrinorum eſt turba ibi turbo Reip. eſt, præſertim ſi ad officia illi prouehantur, aut diuitiarum magnitudine antecellant. Plerumque quod locuſtæ ſegeti ſunt, id Reip. ſunt peregrini; Ciuitatis fructum conſumunt. Difficulter Nationum diuerſarum ingenia conueniunt, ideóque in factiones populus ſcinditur, atque inde turbæ ac ſeditiones, potiſſimùm verò ſi quandoque poſthabitis incolis ipſi præferantur. Singularum Rerumpub. mores hic ſeruandi. Qui patrio more ac lege admittunt, illud caueant ne peregrinorum numerus ac vires vltra modum creſcant. Qui non admittunt, eâ tamen humanitate legem ſuam temperent, vt cùm aliqui Religionis, aut alterius rei honeſtæ causâ deſerere patriam ſunt coacti, benignè recipiant, & in vrbem ſuam ſaluis honorum ac Magiſtratuum legibus admittant.

Teſtimonia & Exempla.

PEregrinos in vrbem aſſumere, inquit Ioannes Caſus, *eſt angues in ſinum ſumere; ſicut hi calore recreati mordent, ita illi libertate donati ciuitatem perdunt.* Ariſtoteles 5. Polit. *Quicumque*, inquit, *inquilinos aut aduenas in ciuitatem recipiunt, hi ferè omnes aut plurimi, certè ſeditionibus iactantur.* Trazenij Achiuos in Ciuitatem Sybarim adſcripſerant, ſed ab ijs ipſi poſtea eiecti fuerunt, vt idem Ariſtoteles teſtatur. Et de Sybaritis, qui Thurios, à quibus excepti fuerant, expulerunt. Aduenæ Bizantij Ciuibus inſidias ſtruxerunt, ſed prœlio ſuperati fuerunt. Siracuſani in ſuam pernitiem ſeditioſos hoſpites ſuſceperunt. Cum nouos hoſpites Florentini ſuſciperent, exclamauit, Dantes, *Hanc iterum fore cauſam diſcordiarum interituſq́ Reip. vt refert* Arniſæus lib. 1. c. 13. Doctrin. Polit. Bodinus lib. 4. de Rep. c. 1. *Graue*, inquit, *periculum imminet, cum peregrinis omnibus patet aditus in vrbem, in qua ſenſim opes & incrementa accipiunt, & cum opibus & potentia ciuibus pares eſſe ceperint, &c.* Metus ſubeſt ne pro hoſpitibus recipiantur hoſtes & proditores, qui arcana Reip. inueſtigent Zopyrus Perſa receptus à Babylonijs eos Dario tradidit, Iuſtin. lib. 1. & Herod. 3. Amilcar Carthaginenſis ex caſtris Alexandri magni eius conatus Carthaginenſibus patefecit, vt habet Iuſtinus lib. 2. Demaratus Lacedæmonienſis à Xerxe Perſarum Rege receptus eius conſilia in patriam perſcripſit, vt habet Iuſtinus lib. 2. Qua de cauſa Honorius & Arcadius Impp. l. 4. C. de Commer. & Mercat. Edicto cauerunt & vetuerunt, *Perſicos mercatores promiſcuè nundinas exercere, in Imperio Romano, ne arcana ſcrutentur.* Accedit corruptela morum. Spartani nunquam olim peregrinos admittere in vrbem voluerunt, ne diuitiarum amorem, luxum, molliriem, aliaque vitia introducerent, vt teſtis eſt Xenophon de Spartan. Rep. Et Plutarchus in Laconicis inſtitutis & vita Lycurgi. Iſocrates Orat. de Pace beatam illam Remp. non iudicat, quæ ex promiſcuâ hominum colluuie temere Ciues multos colligit, ſed quæ primas & antiquiſſimas familias maximè conſeruare ſtudet. Vnde Cic. Philip. 1. reprehendit Iul. Cæſarem, quod integris nationibus Ciuitatem aſſignauerit. Et Antonio indignatus eſt Auguſtus, quod Siculis Ciuitatem vendiderit. Idem Auguſtus intercedenti Liuiæ vxori pro

Rationes pro aduenis.

quo-

quodam, *Ferre ſe facilius poſſe, reſpondit, vt paucitate Ciuium fiſco aliquid detrahatur, quam multitudine Romanæ Ciuitatis bonis vulgetur.* Moſchouitæ, Chinenſes, & alij peregrinos etiam hoc tempore repellunt, quod non parum ad eorum ſtabilitatem facit, vt tradit Sigiſmundus Baro in Hiſtoria Moſchouiticâ.

Rationes contra aduenas.

Sunt tamen, qui ab hac opinione diſcedunt. Et inprimis Machiauellus lib. 1. diſcurſ. tradit non poſſe ciuitatem euadere magnam, ſi ſuis tantùm contenta ciuibus, extraneos nullos recipiat, ſicut in Lacedæmoniorum Rep. patet, quæ Peloponeſum vix egreſſa eſt, quod ciuitatem peregrinis omnibus clauſerit. Cic. deinde Orat. pro Balbo Reip. Romanæ incrementum accerſit ab eo, quod non tantùm exteros, ſed & hoſtes ciuitate donarit. Vnde ſub Seruio Tullio Sexto Rege iam erant Romæ octoginta millia Ciuium ad arma aptorum. Antonius Imp. Ciuitatem omnibus dedit, qui in orbe Romano viuunt l. in orbe 17. ff. de ſtat. homin. Quod priuilegium confirmat & ampliat Iuſtinianus Nouell. 78. Alexander M. Alexandriam populoſiſſimam & ditiſſimam admittendo peregrinos, effecit. Ioſephus lib. 3. de Iud. bello. Sic Romulus Romam, Theſeus Athenas, Richardus Angliæ Rex Londinum, breui ampliant, dum peregrinis decennium illic habitantibus iura Ciuitatis conceſſit, vt refert Polydorus Virgilius in eius vita. Martinus Crymerus etiam lib. 12. rerum Polonicarum fatetur; quod Caſimirus Rex Poloniam frequentiorem & cultiorem eſſe fecerit Teutonas cum iure ſuo induxerit; Et certè nullum vnquam Emporium ſine peregrinorum admiſſione creuit, vel floruit. Attendi hic iura humanitatis & hoſpitalitatis poſſunt.

Media ſententia, certis conditionibus admitti poſſe peregrinos.

Aliqui mediam ſequi ſententiam hic volunt, nimirum admittendos peregrinos conditionibus tamen quibuſdam ac certis. Inprimis vt non promiſcuè, ſed cum diſcretione recipiantur, ſintque certo aliquo in numero, ad quem attendatur, ne officere Reip. poſſint; vt fit in Venetorum Rep. Non ij recipiantur, quos aliæ Reſp. certas ob cauſas eiecerunt; ſed viri boni, & vitæ honeſtè antea actæ. Sic Athenienſes receperunt Lyſiam Thurium & Pomponium Atticum ob ingentia merita, vt teſtatur Cornel. Nepos in Pomp. Deinde recipi peregrini poſſunt, quando Ciuium penuria eſt, & vt Nouelli Ciues concludantur, ne rebellandi occaſionem inueniant. Alia ſuggerere tempus pro occaſione poteſt.

CAPVT XI.

An vſurarij in Ciuitate ſint ferendi.

Vſurarij iure non ferendi, tolerandi tamen propter bonum aliquod.

IVre cùm diuino tum humano prohibita vſura eſt. Agit contra Dei legem, qui ſupra ſortem aliquid in mutuo mutui tantùm ratione accipit; ac naturæ ius violat, qui bis idem ſeu duplici pretio vendit. Huiuſmodi Vſurarij ſunt, qui pecuniæ vſum, qui ipſa eius conſumptio eſt, pretio vendunt, & ſortem integram recipiunt. Hos Iura condemnant, & vſuram quæ per ſe grande malum eſt, Iuſtitia condemnat. Politica tamen experientia, cùm Reipublicæ bonum procurari aliter non poteſt, malum iſtud aliquando tolerat, nec tolerando approbat. Punit Reſpublica perſiſtentes in vſuris, dum eos inter viuos vult eſſe maledictos, & inter mortuos inſepultos, idque legum Cenſura. Tolerantur igitur in Ciuitate vſurarij, non probantur.

Teſti-

Teſtimonia & Authoritates.

VSurarios iure non ferendos, toletandos tamen propter bonum aliquod iudicamus. S. Scriptura Exodi 22. vſuram damnat. Item Canones plurimi. D. Ambroſius, *Qui vſuram accipit, furtum facere videtur.* D. Auguſt. *Quænam hæc inſania eſt? acquiris aurum, perdis cœlum; accipis pecuniam, amittis iuſtitiam.* D. Hieronymus in Epiſtolis. *Vſuras quærere, vel fraudare aut rapere nihil intereſt, ſub rapinâ continetur vſura.* Plato 5. de Legibus ſtatuit ſiquis in fœnus aliquid mutuum dederit liberum fit accipienti, nec ſortem nec vſuram reddere. Interrogatus Cato quid eſſet fœnerari, *idem*, ait, *quod hominem occidere. Fœnus eſt animæ funus,* vt dicebat Alphonſus Rex, teſte Panormit. lib. de dictis & factis Alphonſi. Inde eo nomine felices cenſentur, quod vſuram ignorent, teſte Ælyano lib. 4. cap. 1. Lycurgus Sparta fœnus exterminauit, teſte Plutarcho in Lycurgo. Et Agis Athenienſium Dux ita fœnus exoſum habuit, vt omnes fœneratorum tabulas igne ſuppoſito in foro concremarit; quo igne nullum clarius lumen ſe vidiſſe dicebat. Ageſilaus, vt refert Alexander ab Alexand. lib. 1. Gen. dier. cap. 7. Politicæ tamen rationes tolerandam eſſe ſuadent.

FINIS LIBRI SECVNDI.

NICO-

NICOLAI VERNVLÆI INSTITVTIONVM POLITICARVM SEV ELEMENTORVM CIVILIS DOCTRINÆ.

LIBER TERTIVS.

De ijs per quæ Reſp. ſtat.

TITVLVS I.

De Religione.

CAPVT I.

Quid ſit Religio, & quæ eius in Republica cura.

RELIGIO nihil aliud eſt, quàm diuinæ Maieſtatis cultus. Dicta eſt à religando; ligat enim, vincit, & obſtringit hominum animos cultu pietatis metuque Numinis. Quippè omnes Religione mouentur, & Deum aliquem colendum eſſe non ignorant. Quare prima eius in Republica cura eſſe debet. Nam vnus eſt ſupremi Numinis metus, qui Principes inprimis ac Magiſtratus, tum eorum poteſtati ſubditos intra Regiones & metas officij continet, hominumque inter ſe ſocietatem cuſtodit. Præſtat ipſa Rempublicam tranquillam & bonis omnibus affluentem, inter Principes & ſubditos validiſſimum eſt vinculum, patrios mores ac leges ipſas ſuâ incolumitate ſtare facit. Qui armorum vim aſpernantur, qui eloquentiæ potentiâ non flectuntur, vnius Religionis metu ac ſtudio coguntur. Porrò cùm cultus ille certis ac ſacris quibuſdam cæremonijs conſtet, earum quoque conſtitutio ad Religionem ſpectat.

Definitio Religionis.

Prima eius in Repub. cura eſt.

Teſtimonia & Authoritates.

Axiomata Machiavelliſtarum.

MAchiavelli & aſſeclarum eius dogmata & axiomata ſunt. Reip. ſtatum & conſeruationem priorem & antiquiorem habere oportere, quam Religionis cauſam Item ſtatum Ciuilem & Politicum Eccleſiæ ſtatum antecellere Regum decreta & placita primum authoritatis locum tenere. Conſcientias lethaliter vulnerare, qui in materia. Religionis obediendi neceſſitatem imponunt. Virorum fortium ſcopum ſtudium & curam eſſe debere, vitam lætam, & affluentem ducere, quæſtiones de Religione togatis & cucullatis relinquere. Hæc eorum ſunt pauca è multis axiomata, verè peſtifera & venenata. Illud interim certiſſimum eſt, primam Religionis curam in Rep. habendam eſſe. Vide caput 4. tituli xi. lib. 1. Adeo Regum & Principum eſt primum officium Religionem Chriſtianam curare & defendere. Vnde Magnus ille Pontifex Leo Epiſtola 73. Tom. 1. Concil. ad Leonem Auguſtum. *Debes*, inquit, *incunctanter aduertere Regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, vt auſus nefarios comprimendo & quæ benè ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem ijs, quæ ſunt turbata, reſtituas.* Papinianus in l. Et ſiquis ff. de religioſ. dicit, *ſummam rationem eſſe, quæ pro Religione facit.* Antiquiſſimi Imperatores & Reges Chriſtiani non tantùm ſeipſos iuramento obligarunt, ſed etiam Belli Duces, gubernatores ac Magiſtratus ſuos ad ſimile quoddam tuendæ Catholicæ fidei iuſiurandum adegerunt, cuius forma reperitur in Nouell. Conſtit. 8. Conſtat etiam ex Petro Oleſenſi Epiſtola 49. tyrones nouoſque milites gladium ex altari ſibi traditum ſumere ſolitos, quo ad bellum profecturi præcingebantur, vt hinc diſcerent ſuo ſe gladio vti debere ad Eccleſiam Religionemque defendendam. Porrò omnes omnino Nationes primam Religionis curam in Rep. ſuſceperunt. Hinc Plutarchus lib. aduerſus Colotem. *In legum conſtitutione primum eſt & maximum, de Dijs opinio.* Lanctantius lib. 3. diuin. Inſtitut. *Omnis Sapientia hominum in hoc vno eſt, vt Deum cognoſcat & colat.* Ioſephus Acoſta lib. 6. de Hiſt. Ind. cap. 15. Peruanos Reges ſubiugata aliqua Prouincia ſolitos fuiſſe refert, diſtribuere vectigalia in tres partes, ac primam cultui Deorum & templis dedicare. Ipſemet Machiauellus lib. 1. diſcurſum Religionem ſtatui Reip. conſeruando perneceſſariam eſſe affirmat, ac Numam Pompilium, melius de Rep. Romanâ meritum, quam Romulum, propter fundatam Romæ Religionem. Ipſi Athei, teſte Bodino lib. 4. cap. 7. de Rep. licet vim omnem diuinam de medio tollant, docere tamen ad Politici ſtatus conſeruationem Religione nihil eſſe maioris momenti, cum hæc ſit vnum ex præcipuis adminiculis, quibus imperiorum & regnorum poteſtas fulcitur; atque ideo magna cura prouidendum eſſe, ne tam ſancta res vllo modo violetur, nec id vnquam in quæſtionem vocetur, vnde Reip. ſalus promanat.

CAPVT II.

Quid circa Religionem curare primò Principes debeant.

Vna & vera ſit Religio.

HOc ſanè primò, vt Religio in Republica ſit vna, vera, aut quâ Apoſtolicâ traditione recepta, & Sanctiſſimis Doctiſſimiſque Patribus cognita. Superſtitionibus, aut nouis opinionibus nullus ſit locus. Eſt enim Religio ſuâ naturâ vna ac certiſſimum vnitatis vinculum. Vbi diuerſæ ſentientium de Deo ſunt opiniones, ibi nulla pax eſt, nulla amicitia, nullum fœdus; imò nulla Religio, ac nullus omninò diuini Numinis timor. Et dum tueri ſuam quiſque Religionem magno impetu conatur, cruentiſſimâ pietatis opinione bella geruntur, prælia in ſingulis

penè familijs miſcentur. Nec Principes vtrique fauere parti poſſunt, nec diſſimulare; vel vnam enim, vel vtramque alioquin habebunt inimicam. Sed hac de re iam libro primo diximus.

Authoritates cum ratione ante dicta.

VT Religio ſit vna, eaque Catholica. De pluralitate Religionum in eadem Rep. diximus lib. 1. tit. 3. cap. 2. vbi de vna Religione actum eſt. Item tit. 11. cap. 5. oſtendimus Reſpublicas per ſolam Religionem Catholicam felices eſſe. Hæc enim eſt illa, quæ ſemper vbique & apud omnes viguit, quæ tempore, loco, multitudine, antiquitate, vniuerſitate, & conſenſu nouitati profanæ & paucorum diſſentioni anteſtat, vt ait Vincentius Lirinenſis aduerſus profanas nouitates. Hæc eſt, quam Conſtat D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, & quæ ad hoc vſque æuum durat; quamque ſeruare iubent Cæſares, Gratianus, Valentinianus, Theodoſius. Inde tot illi tituli de ſummâ Trinitate & fide Catholicâ, de SS. Eccleſiâ, de Epiſtolis & clericis in Codice Iuſtinianæo.

CAPVT III.

Quæ ſint Religionis ſeruandæ rationes.

REligionis veræ fundamentum boni ſunt mores; ex vitijs originem Hæreſes ducunt.

I. Ratio conſeruandæ Religionis veræ hæc eſt, vt Principes ſubditorum vitia ſeueriſſimis legibus coërceant, & grauiſſimis pœnis plectant. Nemo hæreſim introduxit, qui non ſceleri ſuo fomentum & impunitatem quæſiuerit. Adeò qui flagitijs premuntur, facillè in errorem pelluntur. Quicunque Religionis antiquæ iugum excuſſit, vitijs ſuis patrocinium deſiderauit; & cùm famam amiſiſſet, ex infamia gloriam ambiuit. Nam nulla Hæreſiarcham ætas vidit, niſi ſuperbum, libidinoſum, infamem. *Vitia coërcere.*

II. Vt ſacris Eccleſiæ officijs viri vitâ integri, doctrinâque magni præficiantur, qui nimirum non minùs exemplo doceant, quàm verbo, & virtute præeant. Mala virorum Sacrorum vita contemptum parit, ignorantia errorem nutrit. Bonam illam Religionem vulgus vix putat, cuius Antiſtites ſunt mali: nec difficile eſt errare, cùm ij, qui præſunt, docere non poſſunt. Bene etiam ſperare de Religione non licet, cùm Sacerdotia homines imperiti obtinent, & infantes propemodum in cunis infulas inueniunt. Quippè Religio contemnitur, cùm in ea impar ætas, & inſcitia honoratur. *Vt præſint viri integri & Docti.*

III. Vt omnes rectè ac eodem modo de Deo receptiſque ſacris ſentiant, nec vlla cuiuſque voluntati libertas permittatur. Qui ſecus fecerint ſupremæ poteſtatis ſeueritatem experiantur. Mulctentur, puniantur. Diſplicere nemini debet, ſi ad ſalutem trahatur. Hæc, ne Ciues pereant, cautela eſt. Ita verò coërceri libertas debet, vt Hæreticorum etiam libros habere ſit nefas. Blandè illi incautos decipiunt. Credere vulgus promptè debet, non ſapere curioſè. *Tollatur libertas Religionis.*

IV. Vt nimia quorundam ingeniorum petulantia coërceatur, & inanes inutileſque de Religione contentiones præcidantur. Malunt ferè nonnulli gloriam ſubtili diſputatione, quàm bonâ vitâ quærere; interim multorum in animis fidem labefactant, & dum dubitare ipſi videntur, *Tollantur inutiles contentiones.*

 alij

alij vix credunt. Scholarum ſunt iſtæ velitationes, & in auditorijs tantum.

Concordia ſit Ciuilis & Eccleſiaſtici Magiſtratus.

V. Vt miniſtri Religionis cum Magiſtratibus ciuilibus coniunctiſſimè viuant. Neque enim duo ſunt corpora, ſed eiuſdem diuerſa membra. Eorum concordia anchora Reip. eſt, quâ ſublatâ, fluitant omnia, & Religionis contemptus exoritur.

Sacerdotes honorentur.

VI. Vt Principes & Magiſtratus ciuiles debitum Eccleſiaſticis perſonis honorem deferant. Sunt enim Dei ipſius adminiſtri. Magnum hæc ratio pondus habet. Qui enim Religionis adminiſtros non magni faciunt, Religionem ipſam deſpicatui habent; nec quæ docent, placent, ſi ipſi diſpliceant.

Non premantur paupertate.

VII. Vt Eccleſiaſticorum ordo nullâ paupertate prematur. Ea enim Religionis & miniſtrorum eius contemptum adſert. Quare Principes ſuo patrocinio ſacrum ordinem complectantur, collapſa templorum ædificia reſtaurent, annuis reditibus & frequentibus muneribus Eccleſiæ ſplendorem augeant. Si quidem Principum pietas multorum ad pietatem animos accendit, & bene feciſſe cum Principibus glorioſum eſt.

Foueantur Academiæ.

VIII. Vt Academiæ, quæ Eccleſiæ & Reip. ſeminaria ſunt, ſingulari Principum cura foueantur. Ex ijs enim tanquam ex fontibus purior in Regnum vniuerſum Doctrina promanat, indeque ij prodeunt viri, qui Religionem aduerſus Hæreticos propugnant, & eius fines longè latéque producunt.

Rationes cum Exemplis & Authoritatibus.

PRima ratio eſt, *ſubditorum vitia coercere.* Hæc enim non raro mutandæ Religionis dant occaſionem. D. Cyprianus Epiſt. 49. Nec hoc quiſquam miretur in talibus. *Feruntur ſemper mali ſuo furore dementes, & poſtquam ſcelera fecerint, conſcientia ipſa ſceleratæ mentis agitantur. Nec remanere in Eccleſia poſſunt, qui Deificam & Eccleſiaſticam diſciplinam nec actus ſui conuerſatione, nec morum pace tenuerunt.* Libido Nicolaum Antiochenum in Hæreſim impulit; eadem Cerinthum, Menandrum, Gnoſticos, Manichæos. Iracundia Huſſum, Luxuria Lutherum, Crudelitas Zuinglium, libido Caluinum & Bezam ab Eccleſia ſeparauit. Vnde D. Paulus Epiſtola 1. ad Timoth. 1. cap. *Hoc*, inquit, *præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes in te Prophetias, vt milites in illis bonam militiam habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus eſt Hymeneus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.*

Secunda ratio eſt, *vt præſint viri integri & docti.* D. Paulus Epiſtola ad Rom. cap. 10. *Quomodo audient ſine prædicante? quomodo prædicabunt niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt, quam ſpecioſi pedes Euangeliſantium pacem, euangeliſantium bona?*

Magna errorum occaſio eſt, quod beneficia & officia Eccleſiaſtica vel pueris, vel hominibus militaribus aliquando conferantur.

Tertia ratio eſt, *vt tollatur libertas Religionis.* De ea egimus Tit. 3. cap. 2. Vbi enim, quidlibet ſentire de Deo rebuſque ſacris liberum eſt, ibi nulla religio eſt. D. Auguſt. *diſplicet tibi quia traheris ad ſalutem. Quid volumus niſi te comprehendi & præſentari, & ſeruari ne pereas?*

Quarta ratio eſt, *vt tollantur inutiles de Religione contentiones & diſputationes.* Nam de fide Catholicâ diſputare, publicè potiſſimùm, de Iure prohibitum eſt l. Nemo 3. Cod. de ſumma Trinitate. Et quamuis inter pios diſcendi ſeruandæque interpretationis cauſa ſiue ad conuincendos errores dubia mouere haud omninò improbatum ſit, tamen reuocare in dubium, quæ authoritate principali maiorum decreta ſunt, ſacrilegium eſt temeritatis plenum. Vnde benè obſeruanda D. Pauli admonitio cap. 2. Epiſtolæ 2. ad Timothæum. *Noli*, inquit, *verbis contendere, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* Deinde apud ignarum & rudem de myſterijs loquens, parum videtur ſapere, inquit Tholoſanus Syntag. lib. 2. cap. 2. Iacobus IV. Angliæ Rex monebat, Hollandiæ ſtatus, vt in herba Armenianos opprimerent. Eutyches oppugnando Neſtorium in hæreſim incidit. Fredericus autem Palatinus cum mutatæ Religionis initio Academia Heidelbergenſis in duas factiones mutata eſſet, Luthera-

theranam & Caluinianam, vtrique ſilentium indixit. Iulianus autem Imp. qui res Chriſtianorum euertere volebat, permiſit vnicuique quod vellet docere,&pro arbitrio ſuo diſputare. Quare prohibere expedit de fide ac Religione diſputationes in circulis, congreſſibus familiarium, & in conuiuijs, quod ob eas nonnunquam homines ad rixas, contumelias, iniurias, & arma prolabantur.

Quinta ratio eſt, *vt ſit concordia Ciuilis & Eccleſiaſtici Magiſtratus.* Ioannes Mariana lib. 1. de Regis inſtit. cap. 10. *Prorſus*, inquit, *curandum diligenter, vt vterque ordo beneuolentia & mutuis inter ſe officijs conſtringantur, &c. Ergo prima Principi cura ſit, vtrumque ordinem conciliandi, in paceq́; ponendi ne malo publico diſſentiant.*

Sexta ratio eſt, *vt viri Sacerdotes honorentur.* Quia contemptus perſonarum, ordinis & officij contemptum inducit.

Septima ratio eſt, *vt Eccleſiaſticus ordo paupertate non prematur.* Officia Eccleſiaſtica enim contemnuntur, cum ſine egeſtate non ſunt. Deinde, vt ait Mariana loco citato. *In Germania & Gallia ſi quid incolume manet, in tanta licentia nouandi, in tanta atrocitate temporis, Epiſcoporum viribus & potentiæ totum fere acceptum fertur.* In Hiſpania Alphonſus Legionenſis Rex cum defunctus eſſet, Ferdinandus eius filius, diſſentientibus Proceribus & ad arma conſternatis, non alio præſidio, quam Epiſcoporum ſtetit, quibus iniquum videbatur à paterna hereditate filium excludi.

Octaua ratio eſt, *vt Academiæ foueantur*, de quibus poſtea.

CAPVT IV.

An expediat viros Eccleſiaſticos ad aliquam Reip. curam admittere.

ID verò omninò expedit. Vt nimirum publicam ſalutem, Religionis incolumitatem, Eccleſiæ Iura ac libertatem diligenter procurent, tueanturq́ue, nec quorundam profanorum hominum aſtutiâ violari permittant. Quid de Sacris legibus & cæremonijs ſentiendum ſit, non eſt profanorum hominum ſtatuere, aut certè grande Religioni periculum imminet. Nemo ignorat ab hoc ordine ſacro corruptos Reip. mores commodiùs, quàm ab illis emendari. Morum enim & vitæ Magiſtri ſunt Eccleſiaſtici ab ipſo etiam Deo conſtituti, quorum proinde Antiſtites ad Regnorum Conuentus & Comitia vocari debent, ac nihil omninò ſine eorum ſumma voluntate fixum haberi. Poſtulat commune bonum, vt cùm de publica ſalute deliberatio ſuſcipitur, primæ Epiſcopis partes concedantur. Sanè in tanta hominum prauitate cùm in Reip. Conſultationibus nulla Eccleſiaſticorum ſuffragia ſunt, incolumis eſſe diu Religio non poteſt. Accedit verò quod vtriuſque Ordinis in Reip. procuratione coniunctio maximum ſit concordiæ, mutuæque beneuolentiæ vinculum, ac proinde ſummum Reip. bonum. *Vtile eſt Eccleſiaſticos Remp. cum alijs curare.*

Teſtimonia cum Exemplis.

VTile eſt Eccleſiaſticos Remp. cum alijs curare. Rodericus Præſul, vt eſt apud Marianam allegato ſupra loco, dicebat Epiſcoporum partes eſſe, non ſolùm ſacra tractare, ſed etiam Remp. præſtare; quod æquitatem maiori ſtudio tueantur Eccleſiaſtici, & affectibus minus perturbentur, & quod à coniugio ſeiuncti ſint, deq́ue filijs non ſollicitn ſollicitudinem omnem pro Rep. ſuſcipiant. Quâ de causâ olim apud Perſarum Reges & alios, quidam homines erant caſtrati in Aulæ miniſterijs; quod exiſtimarent eos prolibus deſtitutos maiori erga Principes eſſe charitate fideq́ue. Imò apud Romanos Reges ipſi ſummum Sacerdotum ſimul habebant, & multi poſtea Pontifices ſimul & Conſules fuerunt. Hodie in conſilijs Prouinciarum Epiſcopi & Prælati ſunt, & in ſecretioribus Conſilijs Eccleſiaſtici.

CAPVT V.

An expediat magnas eſſe Eccleſiaſticorum in Republica diuitias.

Expedit, vt non egeant. MAgnas eſſe Eccleſiaſticorum opes cùm ad vitæ ſubſidia, tum ad auctoritatem tuendam, Reip. eſt per quam vtile. Per eas enim fit, vt ad rerum aliarum curam, quæ decere eos parum poteſt, nequaquam conuertantur. Turpe ſanè eſt primam viris Eccleſiaſticis curam eſſe viuendi, Domeſticarumque rerum ſollicitudine diſtringi, in ſecundis tantùm docendi curam habere. Ea etiam eſt horum temporum prauitas, vt qui aliquas nacti ſunt opes, facilè pauperes Sacerdotes contemnant, ac nullo in loco habendos eſſe exiſtiment. Vnde fit, vt ipſa apud eos Religio vileſcat, quos Religionis Miniſtrorum dignitas ſine opibus non mouet. *Vt non contemnantur.* Iam verò ſi nulla Ciuilis poteſtatis excellentia eſt, vbi nullæ ſunt opes, quomodo Magiſtratuum Eccleſiaſticorum, quorum eſt de cæleſtibus ac æternis rebus iudicare, incolumis ſtabit auctoritas, ſi nullo diuitiarum præſidio firmetur? Multa moliri nouarum rerum cupidiſſimi homines aduerſus Religionem poſſunt, cùm aut imbecilli ætate Rex eſt, aut prauis opinionibus corruptus, aut inteſtino bello Patria laborat, *Vt Religionem defendant.* quo tempore actum profectò de Religione erit, ſi opibus ſacer Ordo careat, ac nullis copijs potentiâque reſiſtere poſſit prauitati, ſeſeque tueri. Mancipia ſint oportet, ac non cenſores morum, qui ſupplicare pro victu alijs, & alienam quærere menſam coguntur. Nec increpare audent, nec punire: ac fruſtra tot & tantis ſumptibus ad eruditionem contenderunt, vt in Eccleſia egeant. Nolo equidem nullus hic ſit modus, copia tamen etiam eſſe aliqua debet; neque ad luxum, ſed ad Eccleſiæ ac Reip. emolumentum. Nam Eccleſiaſticorum opulentia magnum eſt prauitatis omnis & impietatis impedimentum. *Vt excitent ad cultum pietatis.* Et Sacerdotiorum reditus templorumque diuitiæ Maieſtatem Religionis, quâ publica ſalus continetur, amplificant. Quippè vbi inopia eſt, ibi vilitas; vbi ſplendor, ibi cultus. Apparatu enim & magnificentiâ quâdam etiam homines trahuntur; nec quenquam reuereri pudet eos, quos honeſto apparatu venerabiles admiratur. Quin imò templorum decus non exiguum eſt pietatis incitamentum. *Vt iuuent pauperes.* Deinde (nam hic alter eſt Eccleſiaſticarum opum vſus) Sacerdotum facultates, quantum eorum ac templorum neceſſitas patitur, ad inopum multitudinem ſuſtentandam conferuntur. Conferri ſanè debent, & hæc eorum aliquando mens, qui dederunt, præter quam quod ad Regum Rerumpublicarumque vſus ſeruari ſacro in ærario multæ opes poſſint, vt cùm grauiſſimo bello Patria vniuerſa periclitatur, *Et Remp. in neceſſitate.* nec aliunde in tanta neceſſitate auxilij ſpes affulget tantum, quantum ſatis eſt, depromatur. Quare fixum illud ſit, è re Principum & Reipublicæ eſſe magnas Eccleſiaſticorum in Repub. diuitias inueniri.

Teſtimonia, & Authoritates.

EXpedire iudicamus, inprimis vt non egeant, deinde vt non contemnantur, tum vt Religionem defendant, & verò etiam Remp. in neceſſitate iuuent, ac denique vt aliquo ſplendore ad cultum pietatis excitent, & pauperes iuuent. Confirmari hoc diuina authoritate poteſt. Nam Leuitæ, qui e-

rant olim apud Iſraëlitas, Sacer ordo, maximas diuitias poſſederunt, vt ex libro Numerorum, Exodo, Leuitico conſtat. Primitiuæ etiam Eccleſiæ ampliſſimæ fuerunt opes, & iam tum prædia Eccleſijs ſacrabantur, vt conſtat ex Epiſtola 2. Pij Primi Pontificis, qua monet, ne prædia Eccleſiæ humanis vſibus applicentur. Conſtat præterea ex Optata contra Parmenianum, lib. 1. ex vita Diui Laurentij, ex Diuo Auguſtino, Poſſidio, Gregorio Tholoſano & alijs. Erat enim ea charitas & liberalitas primis Eccleſiæ temporibus, vt plurima ad pedes Apoſtolorum effunderentur, & in ædes ſacras conferrentur. Nota eſt donatio illa ampliſſimorum bonorum facta Pontifici Romano, à Conſtantino Imperatore, contra quam tantopere Hæretici agunt. Idem Conſtantinus certum vectigal à Ciuitatibus pendi ſolitum Eccleſijs prouincialibus Cleroque diſtribuit. Edidit etiam hanc ſanctionem ad amplificandas Eccleſiæ opes. *Habeat vnuſquiſque licentiam ſanctiſſimo Catholicæ Eccleſiæ venerabiliq; Concilio decedens bonorum, quod optauit, relinquere.* Theodoretus lib. 4. cap. 4. Laudat Iouinianum Imp. quod lege data iuſſit Eccleſijs reſtitui frumentum, quod ijs de publico olim præſtari iuſſerat Conſtantinus, & prohibuerat Iulianus. Bernardus Saxoniæ Comes Religioſis Fuldenſibus hæreditatis ſuæ dimidiam partem de agris, mancipijs, ædificijs dedit, vt teſtantur Annales Fuldenſes. Dagobertus Rex oppidum Rubiacum cum omnibus ſuis redditibus & facultatibus Argentinenſi Eccleſiæ dedicauit, vt teſtis eſt Naucleτus volumine ſecundo. Videndus Lupoldus Bebenburgius lib. de veterum Principum Germaniæ zelo inque Chriſtianam Religionem feruore.

Quod verò hæ opes ad iuuandam etiam Remp. ſint, ſæpiùs Antiſtites Eccleſiæ Reges ac Principes iuuando oſtenderunt. Ferdinando Catholico Regi aduerſus Alphonſi Luſitani conatus, & arma Medinæ campeſtris, anno 1477. Ordinum conſenſu conceſſum fuit, vt templorum aurum dimidia ex parte mutuum ſumeret. In nuperrimo aduerſus Hæreticos Franciæ bello, Clerus vniuerſus maxima pecuniæ vi quotannis Regem iuuit. Id ſæpiùs alias & alibi factum.

CAPVT VI.

Vtrùm vero etiam vtile ſit Eccleſiaſticos ſummo cum Imperio Arces, oppida, & præfecturas tenere.

HOminum nonnullorum oculos & animos offendit Eccleſiaſticorum multis in locis Imperium, tribunal, Familiæ amplitudo, potens ærarium, Principatus. Curas, inquiunt, & ſolicitudines hæc habent omnia, luxum inuehunt & ſuperbiam, exemplo etiam carent. Pauper enim Chriſtus vixit, nec purpuram aut faſces primi Eccleſiæ Antiſtites habuerunt. Iſta agant & gerant, qui profani ſunt; Sacri Sacrorum curam habeant, & cœlum non mundum oſtendant. Ita illi ſapiunt, & vanâ ſpecie quorundam animis imponunt. Verùm Remp. præſtare, non ſacra tantummodo tractare, Eccleſiæ Antiſtitum ſunt partes. Hi enim, cùm viri ſint ſacri, maiori ſtudio tueri æquitatem poſſunt, quod eorum muneris ac perſonarum ratio poſtulare videtur. Deinde cùm ſedatiores ſint in ijs animorum affectus ingraueſcente potiſſimùm ætate, minùs ſanè perturbantur. Et cùm ſeiuncti à coniugio ſint, nec ſolliciti de liberis eſſe debeant, omnes curas ſuas ad publicam Reip. ſalutem procurandam conferunt. Quamobrem non opes tantùm habere magnas, verùm etiam Ciuitates ac Regiones ſummo cum Imperio tenere Epiſcopi Præſuleſque poſſunt. Hic ſenſus, hæc mens fuit

Quidam non putant.

Decet tamen & vtile eſt.

tot æui retrò lapſi Principum ac Regum, qui Eccleſiæ varijs in locis Imperio multa Oppida, & Præfecturas ſubiecerunt. Potentia quippè cum ſacra dignitate coniuncta formidandum ſimul & venerabilem effecit Magiſtratum. Vnde timor & amor ſubditorum animos occupant, qui gaudent eoſdem ſe habere Reip. adminiſtratores, & vitæ ſuæ magiſtros. Habet omnis ætas exemplum, & olim vix vlli Reges, qui non ijdem Sacerdotes; eodemque in capite infula erat & diadema. Nec inuſitatum hoc tempore. Imò hodie non paucis in locis hæc vna Religionis eſt incolumitas, quam ij præſtant, qui ijdem Principes ſunt, & Sacerdotes. Optimè enim ibi Religio conſeruatur, vbi potentia eſt cum ſalutis cura. Ipſe mundi Seruator paupertatem exemplo commendauit, non imperauit; imò cùm Eccleſiæ Miniſtrorum nutritij Reges eſſe debeant, nihil vetat, quin acceptos ad Religionis ſplendorem à Regibus Principatus gubernent. Neque verò timendus eſt luxus, vbi honeſtatem bonæ leges & vſum moderatum præſcribunt. Aut certè tolle rerum omnium vſum, quiſquis abuſum times: & qui diuitias in Eccleſiaſticis ſuſpectas habes, vide ne magnis quoque vitijs occaſionem præbeat paupertas. Non eadem eſt Antiſtitum omnium amplitudo. Qui Epiſcopi ſunt & ijdem Principes, Principum more ſplendorem adhibent; qui Epiſcopi ſunt tantùm, moderatiore contenti ſunt ornatu. Adeò aut inuidendum nihil eſt, aut malignè carpendum. Habet, ita fateor, hæc profana procuratio non exiguas curas & ſollicitudines; ſed compendia ſunt curarum, cùm profani Magiſtratus tribunalia exercent, & vicariam operam regendo præſtant; cùm Oeconomi & Quæſtores ſunt familiæ & cenſui intenti; cùm varia bona elocantur, cùm vbicunque opus eſt, adminiſtratores conſtituuntur. Ipſi interim omnibus præſunt, & ſupremâ poteſtate cuncta Antiſtites moderantur.

Id olim factum & hodie fit.

Reſponſio ad obiecta.

Auctoritates aliquot.

QVorumdam qui Eccleſiæ amplitudinem non ferunt rationes hic adferimus, ac tum omninò, decere ac vtile eſſe, tum olim factum, tum hodie fieri oſtendimus. Pro authoritate eſſe debet conſenſus totius orbis; videmus enim tot Antiſtites & Præſules non tantùm arcibus, oppidis, ac præfecturis, ſed principatibus etiam gaudere paſſim in Europâ. Tholoſanus lib. 2. Syntag. c. 28. *proinde*, inquit, *tranſlata Eccleſia Chriſtiani dilicerunt perſecutionibus agitati ſæpè infidelium, cultum Dei vix reſtitui poſſe, ſine temporalium auxilio, ac proinde in poſterum non omnia oblata vendenda eſſe, ſed in Eccleſiâ conſeruari voluerunt, vt ſedatis perſecutionibus prædia Eccleſiaſtica oblata & Deo conſecrata auxilio eſſent cultui diuino.* Quod attinet ad Comitatus amplitudinem, ea propter neceſſitatem ipſius Chriſti exemplo aſſeritur, qui vt ait Adrianus de Sarauia lib. de honore Epiſcopis debito, c. 29. in ſuam familiam vltra 80. viros aſſumpſerat, qui eum comitabantur, quocunque ibat, aut præcedebant, quo erat venturus.

CAPVT VII.

An probanda ſit in Republica Eccleſiaſticorum multitudo.

ECcleſiaſticorum multitudo, quæ iuſto numero cenſeatur, ſanitas eſt Regnorum. Iuſtum numerum officia indicabunt & Eccleſiæ ſplendor. Nam nec officijs deeſſe perſonæ decent, nec officiorum vllus

vllus eſt ſplendor ſi paucæ ſint. Itaque pro numero officiorum ac beneficiorum in Eccleſia ſit numerus Eccleſiaſticorum in Republica, ita vt miniſteria ſacra non deſerantur, & cum quodam ſplendore peragantur. Splendorem in Eccleſia tollunt, qui plura ſimul ſacerdotia poſſident, exiſtimantes ſatis eſſe reditibus annuis gaudere, non verò miniſterium obire. Porrò neceſſaria Eccleſiæ miniſteria non parietibus duntaxat templorum continentur. Agendum cum populo eſt, ſacræ Conciones habendæ, ſtudijs inuigilandum, alij monendi, alij viſitandi, alij docendi. Omnium Ciuium ſalus prima eſſe virorum ſacrorum cura debet, & eius procuratio vnicum eorum exercitium. Quemadmodum autem Reip. ſaluberrimum eſt copioſum eſſe Eccleſiaſticorum Ordinem, ita qui noxij ſunt & inutiles reſcindi omninò debent. Grauis eſt Reip. hominum iſtorum otioſorum & inutilium turba; qui verò vitioſi ſunt, ſuâ infamiâ totum Ordinem apud vulgus infamant. Epiſcoporum hoc munus eſt corrigere, in officio continere, nec ad ſacros Ordines ſine officio aut Sacerdotio aliquo quenquam admittere. Otij accuſatione ferè hodie ſacer Ordo exagitatur; ſed hic error vulgi eſt. Laborem non æſtimat, niſi quo corpus atteritur. Grauiſſimus ſanè & acerrimus eſt labor ſtudijs operam dare, pia ad ſalutem exercitia curare, orationibus vacare, cantare, ſcribere, Conciones ad populum habere, atque alia, quæ Eccleſiaſticorum ſunt, munia obire.

Iuſto numero in Rep. eſſe debent Eccleſiaſtici.

Ratio amplificata.

IVſto numero eſſe debent in Rep. Eccleſiaſtici, ij tamen reſcindendi, qui otioſi & inutiles. Rationibus res hæc fit clara. Neque eſt quod hanc Eccleſiaſticorum multitudinem quidam reprehendant, cum certum ſit nullo in regno clerum ſeu Eccleſiaſticorum numerum, centeſimam regni partem conficere; adeoque plures in aliqua vna vrbe ciues eſſe, quam toto in regno Eccleſiaſticos. In Hiſpaniarum regnis centum Eccleſiaſticorum millia eſſe putantur, cum tamen numerum vna Toletana Ciuitas, aut Hiſpalis ſuperat. Neque hoc in Belgio Clerus vnius vrbis è decem maximis numero par eſſe poteſt.

CAPVT VIII.

Probandos quoque eſſe Religioſorum virorum ac fœminarum ordines in Rep.

IDem omnes vitæ inſtitutum in Rep. ſequi non poſſunt. Cùm autem benè viuere velle omnes debeant, tum aliqui ſunt, qui generoſiori excitati animo perfectius vitæ genus profiteri concupiſcunt. Atque hinc tot illi in Republica Chriſtiana Ordines, in quibus tum viri, tum fœminæ poſitâ rerum terrenarum cupiditate, iurato voto ſeſe in perpetuum obſtringunt, & per aſſidua pulcherrimarum virtutum exercitia ad Chriſtianæ vitæ perfectionem contendunt. Et vt ampliùs ſui non ſint, ſed Dei, voluntatis ſuæ libertatem Præſulis ſuperioris Imperio ſubijciunt, paupertatem, obedientiam, caſtitatem vouent. A Deo hæc inſtitutum eſt; eius autem diuerſitas à viris ſanctitate eximijs, qui diuino quodam inſtinctu impulſi, propoſitis varijs legibus ac ſtatutis, diuerſas conſequendæ in hac vita perfectionis vias oſtenderunt, & quaſi dato ſigno ad inſtitutum ſuum plurimos inuitarunt. Qui omnes cùm in va-

Cur diuerſi Religioſorum ordines.

Horum vtilitas.

in varios multoſque cœtus per orbem vniuerſum diſperſi viuant, tum eorum labor & induſtria ingentem Reip. vtilitatem apportat, vt improbare eos nemo, niſi inſipiens & impudens poſſit. Ab ijs inprimis eſt magnus vniuerſæ Eccleſiæ ſplendor, dum diuinæ Maieſtatis cultum promouent, & exemplo ad virtutem præeunt, ſingularique vitæ ſanctitate pietatem in alijs inflammant. Deinde cum Reip. negotijs implicari, aut militiæ dare nomen non omnes velint, atque ipſe ſecreto inſtinctu Deus abdicare ſe perituris hiſce bonis plurimos quaſi impellat, opportuna in eiuſmodi ſacris Ordinibus inſtituendæ ad maiorem perfectionem vitæ ratio eſt. Quippè difficile inter mundi illecebras viuere eſt. Tum cæteris aut nihil agentibus, aut variè occupatis in Rep. ipſi diuinas laudes decantant, orationi pro Reip. incolumitate vacant, diuinæque Maieſtatis iram placant. *Reſponſio ad quoſdam.* Neque ij ſunt audiendi, qui grauem Religioſorum hominum in Republica multitudinem impudenter affirmant. Vel enim tales ſunt, qui reditus in communi poſſident, & ex ijs viuunt; vel pauperes ſunt, & bonorum hominum eleemoſynis ſuſtentantur. Illi digniſſimi bonis ſuis ſunt, quibus moderatè ac ſumma cum ſobrietate vtuntur, egenorumque neceſſitatibus ſubueniunt, & hoſpitalitatem exercent; hi omnem beneuolentiam & liberalitatem merentur, quod indefeſſam bono publico operam nauent, docendo, diuina officia celebrando, omne auxilium Parochis conferendo, à fide vera aberrantes reuocando, conſtantes confirmando, & Eccleſiæ fines ac imperium multarum Gentium ad Chriſtum adductione producendo. Planè igitur probandi ſunt ac in Rep. Religioſorum Ordines omni curâ fouendi.

Conſenſus pro ratione eſt.

HOrum ordinum certam in Rep. cauſam, ac deinde vtilitatem probamus. Iterum hic orbis ipſius conſenſus pro auctoritate eſſe debet: & vbique extant egregia ad perpetuam memoriam monumenta eorum, qui monaſteria condiderunt, & hinc Eccleſiæ partem amplificauerunt.

CAPVT IX.

Quænam in Repub. circa Religioſorum Ordines ſeruanda.

Frequenter viſitentur. I. CVm frequens quorumcumque cœtuum luſtratio diligentiam excitet, ac omnes in officio contineat, Epiſcopi, aut alij, quorum id curæ mandatum eſt, frequenter Religioſorum hominum domos viſitent, atque eo conſilio, vt primum in illis inſtitutum ſeruari accuratè curent. Non minuatur rigor, non augeatur. Optima quippè ea diſciplina eſt, quæ prima, & à conditoribus ipſis inſtituta.

Nullus appareat luxus. II. Nullus luxus in Religioſorum domibus, etſi opulentia adſit, cernatur; victus autem iuxta inſtituti ſeueritatem præſtetur. Ipſi exemplo præeant, qui præſunt. Quæ ſuperſunt annis ſingulis opes, in pauperes liberaliter erogentur, & cùm fieri poteſt, Religioſarum perſonarum numerus augeatur.

Nulla etiam ambitio. III. Exulet omnis ambitio, nec in ſacris his locis audiatur. Neque enim eos ambire Præfecturas decet, qui honoribus ac diuitijs valedixiſſe, vt in

vt in obſequio diuino laterent, creduntur. Turpe eſt virum Religioſum curſitare circa Principum Aulas, & Magiſtratus ſacri candidatum eſſe: glorioſum verò eſt recuſare, ſuâ humilitate ſe tantùm inuoluere, ac non niſi inuitum ad regendum cogi. Præcidetur hæc ambitio, ſi Religioſorum Præfecti præ cæteris commoda corporis non quærant, & officio ſe fungi potiùs oſtendant, quàm dignitatem oſtentent. Nemo quærere in Cœnobijs debet, quod in Rep. fugit.

IV. Danda eſt opera, vt diuitum liberalitate ac benignitate ita pauperes Religioſi iuuentur, vt in vicos & oppida victus conquerendi cauſâ excurrere quam rariſſimè cogantur. Si concionandum eſt ad populum, ſi quouis modo iuuandi Parochi, decet equidem, vt prompti ſint ac expediti, ſed eorum, à quibus vocantur, liberalitate alantur, aut ex communi ærario illis ſubueniatur. Frequens egreſſus libertatis amorem inducit, & feurioris diſciplinæ odium parit. Vix Monachus eſt, qui ſæpè & libenter cum alijs eſt. Salus Religioſorum domi eſt, foris diſſolutio. *Iuuentur pauperes ne excurrere debeant.*

V. Cùm Religioſorum officium ſit honeſtè viuere, diſcere, docere, operæ pretium eſt, vt in Monaſterijs Scholæ ſint, & ſtudiorum exercitationes, quibus Religioſorum animi, vel occupentur tantùm, vel ad Ordinis ſui munus aptentur. Inprimis verò Philoſophiæ Theologiæque ſtudijs perficientur, quibus, qui ad Conciones publicas parantur, adiungent Eloquentiam. In Academijs Collegia quædam eſſe Religioſorum ſtudijs ad tempus vacantium ſumma ſanè vtilitas eſt. Nec verendum ne Religioſam ſubmiſſionem ſumma doctrina tollat; neſcit enim ſuperbire, ſcit autem obedire, qui verè doctus eſt. *Habeant Scholas ſuas & ſtudia.*

VI. Cùm probandæ ſint in Rebuſpublicis Virginum voto obligatarum domus & exercitia, tum vtile quoque eſt quædam eſſe loca, in quibus puellæ, etiam Nobiles, ad pietatem, & conuenientes ſexui ſuo labores inſtruantur, vitæque Religioſæ diſciplinam diſcere incipiant, quam aliquando, ſi ita viſum fuerit, amplectantur; aut tandem quàm optimè inſtructæ nubant. Quod ſi verè eiuſmodi locorum magnæ opes eſſent, conſultum ſanè foret, dotem aliquam ijs honeſtam dare, quæ ad nuptias tranſirent, ſi, vt fieri poteſt, fortaſſis egerent. Quippè non paucæ aliquando nobiliſſimo genere ortæ Virgines, & honeſtiſſimis inſtructæ moribus negliguntur, quia dotem non habent. Vitari autem in eiuſmodi locis corruptelæ debent, vt & diſciplina honeſta ſit, & famæ conſulatur. *Vtile eſt eſſe loca vbi Virgines ad Religionem vel nuptias parentur.*

Nihil addere neceſſum eſt.

HÆc æquidem ſunt 1. frequenter viſitentur. 2. nullus in ijs luxus appareat. 3. nulla ſit ambitia. 4. iuuentur pauperes, ne excurrere debeant. 5. Habeant ſcholas ſuas & ſtudia. 6. Monemus denique vtile eſſe, quædam eſſe loca vbi virgines ad Religionem & nuptias parentur, qualia Mediolani eſſe feruntur. Hæc fuſius hic explicari neceſſum non eſt.

CA-

CAPVT X.

Cuiuſmodi eſſe Epiſcopi in Repub. debeant, Theologi an Iuriſconſulti.

Arduum Epiſcoporum munus.

NOn otioſa profectò dignitas eſt, nec ſine re inane Epiſcopi nomen. Officium eſt arduum, laborioſum, periculoſæ aleæ plenum, ad quod qui vocantur, eos ſuſtinere Chriſti perſonam oportet, & ad procurandam animarum ſalutem omnem curam ac laborem conferre. Per eos ædificanda & reſtauranda Eccleſia eſt; ſtabiliendum, confirmandum, amplificandum Dei Regnum. Quod præſtari ſine virtutibus ſummis, ſine doctrina prudentiaque ſumma certè non poteſt. Nobis de Epiſcoporum virtutibus dicere propoſitum non eſt, circa doctrinam id inquiri in Republica ſolet, Theologine an Iuriſconſulti eſſe debeant. Et verò Iuriſconſultos ad hunc Eccleſiæ honorem euehendos eſſe gentium pene omnium mos admittit, quem iam longo tempore atque vſu ipſo confirmatum, pene eſt impudentiæ reprobare. Ipſa Conſiliorum Eccleſiæ auctoritas Iuriſperitos hâc ſacrâ Præfecturâ dignos iudicauit. Nec in illis aut probitas neceſſaria deeſſe poteſt, aut prudentia. Cùm autem tot controuerſias Iuris æquitate terminare, iudiciaque exercere Epiſcopi debeant, qui meliùs ac maiori cum dignitate, quàm Iuriſperiti, tribunal implebunt? Quod ſi docere populum pro Concione non valeant, eam muneris ſui partem aliorum operâ ſupplebunt. Neque enim in tanto tot Eccleſiaſticorum numero ſacri deſunt Oratores. Fiet verò hoc modo, vt profani homines ſacrum Ordinem ſummâ beneuolentiâ complectantur, cùm patere ſibi aditum ad ſummos in Eccleſia honores per Iuriſprudentiam animaduertent.

Rationes pro Iuriſperitis.

Rationes pro Theologis.

Cæterùm grauiſſimæ quoque pro Theologis ſunt rationes. Atque inprimis Epiſcoporum ſedes non thronus eſt aut tribunal, ſed Cathedra, quod eorum munus ſit docere potiùs, quàm iudicare. Quod ſi tamen Epiſcoporum eſt vtrumque, poſtulat Eccleſiæ dignitas & populorum ſalus, vt docendi curam ipſi ſuſtineant, iudicij verò partes viris prudentibus delegent. Qui verò docere meliùs, quàm Theologi poſſunt, qui rerum ſacrarum cognitione inſtructi diuina Myſteria dogmataque explorare poſſunt, & pietatis flammam in auditorum animis accendere? Deinde cùm paſcere populum Epiſcoporum ſit, qui populi ſunt Paſtores, ſoli paſcere Theologi poſſunt, quorum eſt Dei verbum ac voluntatem ſubditis tradere. Et hi ſunt, qui officiorum omnium rationes conſtituunt in Eccleſia, qui peccata dignoſcunt ac diſtinguunt, qui de virtutibus ac vitijs diſſerunt, qui conſcientias hominum regunt, qui ſacras cæremonias norunt & conſeruant. Accedit, quod ad Epiſcoporum munus vel maximè pertineat Hæreticos ab Eccleſia arcere, & prauam eorum doctrinam refellere, quod profectò ij tantùm poſſunt, qui ex Scholis Theologorum eximiam eruditionem reportauerunt. Iuriſperiti cæremoniarum ſacrarum ſunt expertes, & in Rep. graſſantes Hæreticorum de Religione opiniones conuellere ipſi non valent. An erunt Chriſtianæ pietatis præfecti, qui eius artis prorſus ſunt ignari? An in Eccleſia Imperium obtinebunt, qui in foro tantùm

tùm verſati rerum ſacrarum ſunt imperiti? Non eſt rebus gerendis, tantopere, vt nonnulli arbitrantur, inepta Theologia; at verò hominum animis ad ſalutem ducendis eſt aptiſſima. Quid igitur ſentiendum? *Quid ſentiendum ſit.* Ita equidem arbitror expedire Reip. vt ex vtroque Iuriſperitorum & Theologorum ordine aliqui ad ſacrum hunc in Eccleſia Magiſtratum aſſumantur. Quippè vtile erit in Eccleſiaſticis conuentibus cum Theologis Iuriſperitos eſſe, vt decreta Reip. & Eccleſiæ ſalutaria communibus ſuffragijs faciant. Optandum eſſet, vt qui ad ſacras infulas euehuntur, & populo vitæ magiſtri dantur. Iuris ac Theologiæ ſcientiam tenerent. Magnum enim hoc præſidium eſt, quo præcipuas muneris ſui partes implere Epiſcopi poſſunt. Nec quicquam ferè populo gratius & ad pietatem hominum pectoribus inſerendam potentius, quàm ſi ipſi Epiſcopi è Cathedra doceant, ad populum concionentur, dubias quorundam conſcientias ipſi confirment, & Hereticos doctâ facundiâ publicè conuincant. Verè Paſtores ſunt, qui ita paſcunt. Illud omnium confeſſione certiſſimum eſt, ijs locis, qui Hæreticorum Rebuſpublicis ſunt vicini, præeſſe Theologos debere. Quanquam iam vbique propemodum Chriſtiana Reſp. nouis illis Hæreticorum opinionibus vexatur.

Rationes cum momentis vtrimque.

VTrimque hic rationes, quas deduximus. Controuerſiam & quidem pro vtraque parte decidit Concilium Tridentinum ſeſſione XXII. cap. II. vbi agens de Epiſcopis ad Cathedrales Eccleſias aſſumendis, inter alia ita ait. *Scientia verò præter hæc eiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere, ideoq; antea in vniuerſitate ſtudiorum magiſter ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia vel Iure Canonico meritò ſit promotus; aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quod ſi regularis fuerit, à ſuperioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat.* Ita etiam fit paſſim, vt non tantùm ad Cathedras alias toto orbe, ſed ad ipſam ſedem Apoſtolicam Theologici Iuriſperitiq; aſſumantur, vt experientia & ipſa hæc tempora in omnibus Prouincijs teſtantur. Quod ſi quandoque tales aliqui ſint, qui concionem habere, populumque docere non poſſint, alium vel alios ſubſtituunt. Ita fecit Valerius Cæſarauguſtanus Epiſcopus propter linguæ tarditatem quâ laborabat; ita Valerius Hipponenſis Epiſcopus, qui Diuo Auguſtino tum Presbitero partes docendi populum pro concione delegauit. Qui Theologi ſunt & Iuriſperiti, ij maximè regendis Eccleſijs ſunt idonei vti Abbas Panormitanus cum alijs affirmat.

CAPVT XI.

Ius Aſylorum, quod Eccleſiæ Chriſtianæ templa habent, ſeruandum eſſe.

AD templa tanquem ad Aſyla confugere homines conceſsâ à Maioribus libertate ſolent. Illud verò ius ſacrorum templorum omninò in Repub. Principum auctoritate ſeruandum eſt. Neque ſpoliandi ij ſunt, vel ab aris detrahendi, qui ſalutem inde ſperant. Antiquiſſimum hoc ius eſt diuinâ humanâque auctoritate ſancitum, ipſi quàm maximè conſentaneum rationi. Neque enim inferenda vis vlla *Id omnis auctoritas & ratio poſtulat.*

 eſt

eſt ſacratiſſimis veri Dei templis, in quibus Religionis Sacra peraguntur, Sacramenta percipimus, ſepelimur. Immunitas illa Ciuitatibus olim quibuſdam data, ac multò maiori iure hodie templis, alijſque ſacris locis. Expedit omninò quædam eſſe eorum refugia, qui nolentes iniuriam fecerunt. Quoniam verò nonnulla crimina ſunt, quæ defenſa iniuriam Religioni potiùs adferunt, quàm eius fauorem mereantur, id expedire videtur, vt ſaluo ſacrorum templorum iure confeſtim, num eâ immunitate ſint digni, qui ad templa confugerunt, cognoſcatur, vt ſi digni ſint, relinquantur; ſi verò indigni, inde abripiantur. Nam beneficio legis vti non merentur, qui contra legis Authorem deliquerunt.

Teſtimonia & Exempla.

ID omnis auctoritas & ratio probat. Aſylorum etiam vſus cùm apud Ethnicos, tum apud Hebræos eſt antiquiſſimus. Cadmus cùm Thebas conderet primum Aſylum inſtituiſſe fertur. Inſtituerunt & prognati Herculis, & apud Athenienſes Theſei ſepulchrum immunitatem habuit; apud Romanos, Moloſſos, Crotoniatas, Meſſenios, & alios Aſyla fuerunt. Apud Hebræos fuerunt ab ipſo Deo in terra Canaam ſex Ciuitates deſtinatæ, vt eſſent Aſyla, ad quæ confugerent, qui fortuitum homicidium perpetraſſent, vt habet Ioſephus lib. 20. Et Numerorum 35. cap. præcipitur, vt decernantur vrbes, quæ eſſe debeant in præſidia fugitiuorum, qui nolentes ſanguinem fuderint, in quibus cùm fuerit profugus, cognatus occiſi non poterit eum occidere. Vnde patet iure diuino Aſyla in Rebuſp. eſſe admittenda. Sed & iure humano admittenda videntur. Nam lex Theodoſij & Honorij Imp. hæc eſt. Fideli deuotaque præceptione ſancimus nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes abducere. Sub hac, videlicet definitione, vt ſi quiſquam contra hanc legem venire tentauerit, ſciat ſe Maieſtatis crimine eſſe retinendum. Idem præcipit lex Leonis, Lex Theodoſij & Valentiniani lib. 9. Cod. tit. 34. vbi etiam abducentibus capitalis pœna proponitur, cum humanitati præferenda ſit Religio. Ipſe etiam Rex Alaricus, teſte Baptiſta Egnatio, edictum fecit capta Româ, vt quicumque in templa Diuorum confugerent, præcipuè Petri & Pauli, his nulla vis inferretur, quod & ſummâ fide ſeruatum eſt. Gundemirus Rex Gothorum ante annos nongentos hanc immunitatem ædibus Hiſpaniarum ſacris conceſſit & confirmauit. Diuus Chriſoſtomus Eutropium reprehendit, quia refugium Eccleſiæ prohibuerat, & legem dederat, quæ confugere reos ad diuinum altare prohiberet. Et cùm idem Eutropius ad altare Dei confugiſſet, idem Chriſoſtomus illo prius obiurgato pro eo interceſſit. Rogemus, inquit, Imp. vt honoret Eccleſiam, honoret altare, & hominem, qui ex eo ſperauit ſalutem, non patiatur inaniter id credidiſſe. Ex his ius Aſylorum, quæ ſunt templa Chriſtianorum, & loca ſacra, facilè patet. Sunt autem pro ijs Aſyla, vt ex verbis ſcripturæ patet, qui nolentes ſanguinem fuderint, ſiue quicumque animam percuſſerit neſcius. Deus ipſe exodi 21. ab altari auellere iubet eum, qui data opera & ex inſidijs proximum interfecerat. Laudanda à multis putatur conſtitutio Franciſci primi Galliarum Regis, vt delinquentes ad Eccleſias confugientes capiantur, ſaluo iure ſi reintegrari debeant, ſicque cognoſcatur, an immunitate Eccleſiæ gaudere debeant, vel non. Ita Rebuffus & Tholoſanus.

CA-

CAPVT XII.

Monita quædam pro Religionis incolumitate in Repub. ſeruanda.

I. ILlud ſibi perſuadeant Principes, quod quò plura Religioni dederint, eò ipſi maiora à Deo accipient, poteſtatem, honores, opes. Ideò quantum poſſunt, augeant & amplificent Religionis cultum, iuraque eius ſacroſancta nunquam ſuâ auctoritate violent. *Multum Religioni tribuere.*

II. Neminem ex ſacro Eccleſiaſticorum Ordine ad ſupplicium, quamuis meritum, abripiant. Suis illos Tribunalibus relinquant. Eorum verò immunitates & iura intacta ſemper ſeruent; nec quicquam de conceſſis Eccleſiæ bonis auferri patiantur. *Iura eius ſeruare.*

III. Cùm Religionis incolumitas à bonis Miniſtris pendeat, beneficiorum Eccleſiaſticorum patroni curare id debent, vt Eccleſiæ conſulant, non verò eorum commoditatibus, quos ipſi commendant. Valere Patronorum commendationes debent, ſi idoneos commendent; ſin minus, repudiandæ. Vti enim ſuo ipſi iure ad inſtruendam Eccleſiam debent, non ad deſtruendam. In beneficijs conferendis præter Doctrinam & mores nihil eſt ſpectandum. Hodie ambiuntur Sacerdotia, & reditus ſpectantur, non officij ratio habetur. Ijs quippè Eccleſiæ beneficia conferuntur, qui plures habent & potentiores amicos; parum aut nihil virtuti & meritis datur. Audent aliqui pro meritorum ſuorum aliqua mercede Sacerdotium aliquod vel nepoti vel amico poſtulare, quaſi aliena merita attendi, non virtus & doctrina candidatorum debeat. Hæc vna pernicies Eccleſiæ eſt, quam inuehunt commendationes. *Boni & idonei ſint Miniſtri*

IV. Nundinationes & lites quærendis Sacerdotijs nullæ omninò permittantur. Si quæ controuerſia ſit, confeſtim decidatur. Prodeſſe Eccleſiæ vix poſſunt, qui ſuum in ea officium aut dignitatem quaſi emunt. Turpe eſt mercari, quod mereri oportet. Impunita licentia audaciores quoſdam facit, dum ſciunt litis præmium aut beneficium eſſe, etſi nullo iure, aut non exiguam pecuniæ vim. *Nullæ fiant nundinationes beneficiorum.*

V. In conferendis Eccleſiæ beneficijs nihil ſanguini, amicitiæ, clientelæ detur. Multò minùs Sacerdotia vel pueris infantibus, vel profanis, nulloque Ordine ſacro initiandis aſſignentur. Dedecus eſt Eccleſiæ ſummum, cùm profani homines ſacrorum locorum gubernacula tenent, & Cœnobijs aliquando præſunt, eaque non regunt, ſed quotannis ſpoliant. Profectò Sacerdotia Aulicorum præmia eſſe non debent. *Non conferantur profanis.*

VI. Ad Eccleſiæ decus hoc ſpectat, vt ſinguli in Eccleſia tales ſe veſtitu, omnique actione profiteantur, quales ſunt; non faſtui ſeruiant, non ludis & commeſſationibus vacent. Qui ſecus agunt, coërceantur. *Vt Eccleſiaſticos decet, ità ſe gerant.*

VII. Magnum in eo poſitum eſt Religionis momentum, vt Parochiarum fructus laboribus non impares ſint. Curandum igitur, vt annuis reditibus Parochiæ ita ditentur, vt non minori deſiderio, quàm Canonicatus appetantur, & verò etiam ambiantur. Ita fiet, vt Parochi idonei habeantur, & quia fructus arrident, nequaquam onera fugiantur. Potentiſſimum eſt hoc Eccleſiæ hac in parte iuuandæ remedium, de modis redituum augendorum ipſi Epiſcopi cogitent. Turpe ſanè eſt vix vnum aliquando Parochum inueniri, cùm tanta ambientium Canonicatus multitudo ſit. *Augendæ reditus Parochiæ.*

VIII. Vtile admodum etiam eſt prima Religionis Chriſtianæ rudimenta pueris & adultioribus, qui rudes ſunt, viris ſollicitâ curâ tradi. Vix deficere à Religione poſſunt, qui vnà illam cum lacte quaſi ſuxerunt: nec quicquam verius rude vulgus credit, quàm quod primâ ætate didicit. Quippe primæ diſciplinæ tenaciſſimum eſt. Facilè nouas opiniones ſequuntur, qui nullam anteà rectam imbiberunt. Et penè tantùm vulgarium hominum inſcitiâ creuit Hæreſis: nam decipi ſe non ſentiunt, qui docti rectè non ſunt.

Nihil opus addere.

Monita hæc ſuggeſſiſſe hic ſatis erit. Multum oportet Religioni tribuere, iura eius ſeruare, bonos & idoneos miniſtros adhibere, nullas permittere beneficiorum nundinationes, beneficia profanis perſonis non conferre: omnes ſe vt Eccleſiaſticos decet, gerant, augeantur parochiæ opes, inſtruantur pueri & rudiores.

TITVLVS II.

De Legibus.

CAPVT I.

Quid Lex, quæ eius Materia, Forma, Finis, Effectus, Diuiſio, Neceſſitas.

Definitio. Lex eſt recta voluntas ſeu ordinatio eius, qui ſupremam poteſtatem habet, ad commune Reip. bonum promulgata. Seu Regula eſt, quæ ciues in actionibus ſuis dirigit & obligat. Vnde duo ſunt legis officia, dirigere & obligare. *Materia.* Materia ſunt ipſæ hominum actiones, circa quas lex ita verſatur, vt bonas præcipiat, malas prohibeat. *Forma.* Forma eſt ipſa recta ratio, quæ legem dictat, anima proinde legis. Hæc enim vbi deeſt, lex non eſt. *Finis.* Finis eſt commune bonum, ſeu Politica felicitas, ad quam leges per ſtudium virtutis ducunt, bonis præmia promittendo, & malis pœnas. Quæ ad bonum Reip. totius non ordinatur, lex eſſe non poteſt. *Effectus.* Effectus legis eſt, Ciues bonos facere, ſi legi pareant, & tranſgreſſores culpæ ac pœnæ obnoxios reddere. *Diuiſio.* Variè autem diuidi lex ſolet cùm à Theologis tum Iuriſperitis, In Naturalem & Poſitiuam; in Diuinam & Humanam; in Ius Naturale, Gentium, Ciuile. Quæ hîc explicare propoſitum non eſt nobis, vſum legum in Republica dumtaxat oſtenſuris. *Neceſſitas.* Neceſſitas porrò earum eſt ipſa Ciuium directio, publicæque tranquillitatis ac ſalutis conſeruatio. Ideò enim leges feruntur, vt quod iniuſtum eſt nemo agat, iiſque, qui ius violarint, punitis, cæteri meliores efficiantur. Quare lex eſt regula ipſius Iuſtitiæ, norma æquitatis, directrix iudicij.

Teſti-

Teſtimonia, & Authoritates.

CREDIDIT omnis ætas Deum Opt. Max. cauſam & fontem omnis boni in natura, adeoq́ue etiam remotam eſſe legum cauſam, quod diuinos mentibus hominum igniculos, ex quibus quid æquum & iuſtum, quidve iniquum ſit & iniuſtum perſpicere poſſint. Ideo crediderunt olim Legumlatores diuina prouidentiâ ad homines fuiſſe miſſos, quos ideo Prophetas & humani generis Duces diuinus Plato & Auicenna appellant. Et Poëtæ à Ioue fluxiſſe leges ſcribunt. Ariſtoteles *cum leges imperant Deum imperare* docet lib. 3. Polit. Hinc Minas Rex Ægyptiorum nominabat legum ſuarum authorem Mercurium, Minos Cretenſis Iouem, Lycurgus Apollinem, Zamolcis Veſtam, Numa Pompilius Ægeriam Deam, Zoroaſter Onomoſiam, Charondas Saturnum, Solon, Draco, Saleucus Mineruam, Mahometes Gabrielem Angelum. Cauſa propinqua ſunt ipſi homines, nimirum Imperatores, Reges, Principes, ſupremi Magiſtratus, ſeu quicumque Maieſtatis ius habet.

Cauſa propinqua ſupremi Magiſtratus.

Neceſſitatem & finem legum indicat in prœmio Inſtitutionum Iuſtinianus Imp. his verbis: *Imperatoriam Maieſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, vt vtrumque tempus & bellorum & pacis rectè poßit gubernari.* Vulgo dicitur, *quod clauus in rotâ, hoc lex eſt in Rep.* Horatius lib. 1. Saty. 5.

Neceſſitas & finis.

Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi faſtoſq́, voles euoluere mundi.
Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum,
Diuidit vt bona diuerſis, fugienda petendis.

Ouid. lib. 3. Faſtorum.

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet,
Cœptaq́, ſunt purè tradita ſacra coli.

Cicero 2. de Legibus. Ad ſalutem Ciuium, Ciuitatumq́ue incolumitatem, vitamq́ue hominum & quietam & beatam conditæ ſunt leges. Apud Perſas lex erat vt à morte Regis legum & Iuris intermiſſio per quinque dies fieret, nimirum vt intelligerent ſubditi quanto in pretio Regem & legem habere deberent.

Nota.

CAPVT II.

Quis Legiſlator, & quæ legis obligatio.

Legiſlatoris auctoritas & qualitas.

LEgiſlator eſt, qui legem fert. Ferendi autem ſeu condendi legem is poteſtatem habet, qui Reipub. ſummâ cum poteſtate præeſt, ſiue Rex ſit, ſiue Princeps, ſiue Magiſtratus aut Populus. Cùm enim ad commune bonum ordinari lex debeat, eius eſt illam condere, cuius eſt commune Reip. bonum curare. Ipſa etiam ſuprema auctoritas eſt, quæ dirigit & obligat, idq́ue per legem. Vnde Legiſlator vir eſſe prudens debet, qui multarum rerum experientiâ atque vſu, quid è re ciuilis tranquillitatis ſit, intelligat, & animum in commune bonum ſemper intendat, quâdamq́ue præſtantiſſimâ ingenij vi, & diuinæ mentis acie humana omnia prouideat, & omnem Reip. partem ipſe conſtituat. Porrò etſi lex ſupremæ poteſtatis recta ſit voluntas, obligare tamen ſubditos, niſi promulgata, non poteſt. Quippè tum leges inſtituuntur, cùm promulgantur. Nec dirigere ſubditos lex poteſt, niſi cognita ſit, & Legiſlatoris imperium adſit. Vtrumque fit promulgando. Ad promulgationem duo requiruntur. Primum eſt, vt Legiſlator ſigno aliquo externo voluntatem ſuam manifeſtet; Alterum, vt ſolemni ritu. Illud ad notitiam & directionem, hoc ad obligationem. Solemnis ille ritus ſeu publica cæremonia ſupremam Reip. poteſtatem ſuos ſubditos obligare velle teſtatur. Fieri autem ſolemnis illa promulgatio legis in ſupremi Principis Curia debet, tum in

Lex vt obliget promulgari debet.

Solemni ritu.

In Curia Regni.

Debet etiam acceptari.

omnes Regni partes tranſmitti. Si p'ura vni Principi Regna ſubſint, in ſingulorum ſuprema Curia fiet, niſi aliud fortaſſis lex aut mors patrius iubeat. Cæterùm promulgari legem, vt obliget, ſatis non eſt; acceptari etiam à ſubditis debet, ac tunc obligat, cùm populi iudicio recepta eſt. Nam non ea Principum eſt poteſtas, vt ferre legem, cui populus vniuerſus repugnet, vnquam poſſint. Tunc autem acceptata videtur, cùm populi maior pars conſenſit, vel qui populum recepto patriæ more repreſentat, aut vſu quodam vim ac robur obtinuit. Obligatio ipſa legis ſumma eſt. Vult enim naturæ ius, vt ſuperioribus obediamus; & qui Principum poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Oraculum hoc Apoſtoli eſt.

Obligantes quorundam rationes.

Authoritates cum Explicatione.

POteſtatem condendi leges habet Reſpubl. vel qui Reip. ſummâ cum poteſtate præeſt Rex aut Princeps. Vnde Baldus ait, *tantùm vnumquemque habere de authoritate condendi leges, quantum habet de Iuriſdictione*, Qualitates Legiſlatoris hic exprimuntur; & quid agendum ſit, vt leges obligent. Debet inprimis promulgari. Hinc illud Gratiani, *leges inſtituuntur cum promulgantur*. Nimirum vt conſtet voluntas & imperium Legiſlatoris. Hinc in diplomatibus Regum & Principum addi in fine ſolet, *Publicatum tali die*. Leges Imperatoriæ publicari in ſingulis prouincijs debent. Conſtat ex conſtitutione 66. inter Nouellas Iuſtiniani. Leges Regum & Principum publicantur ſolemni ritu in Curia Regis, poſtea per totum regnum mittuntur, niſi aliud mos patrius iubeat. Vt obligent, debent etiam à populo acceptari. Hinc Iuſtinianus ff. de Legibus l. 32. *Leges*, inquit, *nulla alia ex cauſa nos tenent, quam quod iudicio populi recepta ſint*. Nec dubium eſt, quin Reges poteſtatem habeant condendi leges in conſcientia ſubditos obligantes. Hinc Apoſtolus. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Ad Rom. c. 13. Et ibidem *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. Et D. Petrus Epiſtola 1. *ſubditi eſtote propter Deum ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam à Deo miſſis*.

CAPVT III.

An Principes legibus etiam obtemperare teneantur.

Negantes quorundam rationes.

ASſentatores quidam placendi ſtudio Principes maiorem legibus omnibus poteſtatem habere prædicant, Dominos illos eſſe omnium, & vniuerſa ab eorum arbitratu pendere, atque in hoc ius omne verſari, vt Principum voluntati ſeruiatur. Quaſi Regum vtilitate libidineque omnis æquitas ſit definita. Illis licere quicquid libet, ac ridiculum eſſe ſummum Reipub. Magiſtratum iure alijs exæquari. Imò ineptum videri, arma tenentes, & quos metu ſupplicij vel iudiciorum auctoritate coërcere non poſſis, eos legibus velle alligare. An eæ Principem leges obligabunt, quæ aut veſtium genus, aut cultus modeſtiam præſcribunt? Id verò eſt Maieſtatem ad infimorum hominum conditionem abijcere, & Dominum ſeruum facere. Hæc illorum hominum vox eſt.

Inprimis autem illud optandum eſt, fixum vt in animis Principum ſit, ita ſe populis imperare, vt tamen etiam ſeruiant, & Deo Regum Regi conſiliorum omnium & actionum ſuarum rationem ſint reddituri. Hæc

ri. Hæc modeſtia mirum quantum Maieſtatis dignitatem & opes confirmat. Ita enim fit, vt dum Principes Dei metum ſibi proponunt, ſimul etiam hominum de ſe opinioni ſeruiant, ac cogitent poſt annos quàm plurimos locuturam de ſe & actionibus ſuis famam; bene quidem ſi bene rexerint, ſecus, ſi malè. Deinde verò ſibi perſuadeant legum ſtabilitatem non meliùs, quàm Principis exemplo ſanciri.

Id cùm optandum ſit, tum illud tenendum, ſolutos legibus Principes non eſſe. *Rationes affirmantes.* Habere enim regulam in Ciuitate debent, per quam & alios dirigant, & ipſi in actionibus ſuis dirigantur, ac iudicent; quæ profectò non alia quàm lex eſt. Non eſt ſanè Principibus permiſſum, vt ab æquitate diſcedant, hæc verò legibus in omni vitæ parte continetur. Multò minùs, vt leges ſuo arbitratu inuertant, aut ad ſuam libidinem commodúmve referant, etſi interpretari nonnunquam & emollire veteres poſſint. Accedit, quod cùm obſequentes legibus habere ſubditos Principes velint, nequaquam eos deceat vitæ quâdam licentiâ improbitatem ſancire, cùm populi exemplo magis, quàm lege ducantur, & ad Principum imitationem libero obſequio ſeſe componant. Fruſtrà leges verbis figuntur, quæ factis conuelluntur. Digna verò regnantis Maieſtate vox eſt, legibus obligatum ſe Principem profiteri, cùm quiddam maius Imperio ſit, ſubmittere legibus Principatum. Et verò quis refragari legibus volet, cùm obtemperantem ijs Principem videbit? modus tamen hac in re, diſcrimen eſt. Quæ leges ſine Maieſtatis ſugillatione ſeruari non poſſunt, aut Regum functionem impediunt, eæ Reges non ligant: ligant illæ, quibus vitæ probitas conſtat, vt quæ de adulterijs, de vi, de rapinis, de dolo malo, & aliæ eiuſmodi feruntur, quibus dirigi Principes poſſunt, etſi non cogi. Homines ſunt, qui Reges ſunt, ideóque diuinis naturæque legibus obnoxij. Humanæ leges cùm iubendi & coërcendi vim habeant, alterâ tantùm parte ijs Principes obijciuntur, vt nimirum dirigantur, non coërceantur. Facere quod non licet miſerrimum eſt; leges deſpicere, profligati eſt animi; nec magis imminuitur Maieſtas, quàm cùm quâdam libertate violatur honeſtas.

Teſtimonia & Exempla:

NEgantes quorumdam ſunt rationes, affirmamus tamen. Auſonius in Pittaci ſententijs, *Pareto legi, quiſquis legem ſanxeris.* Et vt ait Sannaſarius ad Fredericum Regem

Publica nimirum res tunc ſibi conſtat, & æquum
Imperium cum Rex quod iubet, ipſe facit.

Theodoſij & Valentiniani Imperatorum lex eſt. *Digna vox Maieſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem profiteri, adeo de auctoritate Iuris noſtra pendet auctoritas; & reuera maius Imperio eſt, ſubmittere legibus Principatum.* Eodem ſenſu ſcripta lex eſt Alexandri Imperatoris. *Licet lex Imperij ſolemnibus Iuris ſoluerit Imperatorem, nihil tamen tam proprium eſt, quàm legibus viuere.* Hinc Anthiochus III. ad Ciuitates Imperij ſcripſit, *Quod ſi quid contra leges per litteras facere iuſſerit, ne ſibi tanquam ignaro parerent.* Et Ageſilaus ab Ephoris reuocatus ex Aſiâ ſoluit quamprimum dicens, *bonum Imperatorem oportere legibus parere; ac tum quidem verè iuſteq́, Ducem imperare, quando legibus paret.* Quare Xenophon de legibus Ageſilai, *Inter maximas patriæ vtilitates*, inquit, *hoc ego eum facinus poſuerim, quod perſpicuè oſtendebat, ſe nihil malle, quam legibus inſeruire.* Apud Ægyptios olim Reges legibus velut priuati tenebantur, neque id ægrè ferebant, exiſtimantes parendo ſe legibus beatos. D. Ambroſius Epiſtola 32. ad Imperatorem Valentinianum, *Cum leges*, inquit, *præſcripſiſti alijs, præſcripſiſti & tibi, leges enim Imp. fert, quas primus ipſe cuſtodiat.* Charondas Thurius legem à ſe conditam tranſgreſſus, vt eius reliquos obſeruantes redderet gladio ſeipſum

confecit. Tennes ille, qui Tenedijs legem tulit, quâ in adulterio deprehenſos ſecuri puniri iubebat, cum in hanc ipſam filius deliquiſſet, interrogatus quid faciendum videretur, *Lege vtendum eſſe*, reſpondit. Zaleucus Locrenſium Legiſlator ſibi vnum, filio alterum, oculum eruit, vt legi ſatisfaceret, qua ſub pœna priuationis oculorum prohibebatur ne quis armatus in forum prodiret, in quam legem filius impegerat.

Nota.

CAPVT IV.

An probanda ſit in Rep. Legum multitudo?

QVemadmodum multorum ſigna ſunt morborum Medici multi multaque pharmaca, ita vbi multæ ſunt leges, multa iniuſtitia eſt. Imò legum multitudo mali Reipub. ſtatus indicium eſt. Non igitur probanda. Et vtinam pro tot indigeſtis legum voluminibus vnum eſſet breue ac perſpicuum iuris compendium. Illa legum multitudo litium eſt ſeminarium, in quas multò plus quæuis Reſpublica, quàm in bellum impendit. Adeò leges, quæ finiendis inuentæ ſunt litibus, lites quotidie generant, dum quæ bona ſunt, ad iniuriam à prauis ingenijs detorquentur. Quis verò vel ingenio aſſequatur, vel memoriâ illas innumeras complectatur? impar eſt humana imbecillitas. Conſultum igitur videtur, vt quàm pauciſſimæ ſint in Rep. leges. Danda etiam eſſet opera, vt omnibus Prouincijs, quæ Principis vnius dicto ſunt audientes, vnæ atque eædem leges ſcriberentur. Monſtri ſimile eſt, eâdem in Repub. ac ſub eodem Principe viuentes diuerſis vti legibus. Eſt enim Reſp. vnum corpus, cuius membra eodem ſpiritu vegetari debent, & actiones omnes ab eodem vno fonte procedere. Eccleſia, quæ Chriſti Seruatoris Reſpublica eſt, iiſdem toto terrarum orbe legibus gubernatur. Et certè vna eſt iuſtitiæ ratio, ius ſuum cuique tribuens, cur non igitur eadem ſunt iura, quæ à Iuſtitia vnicuique tribuantur? Quot hodie Prouinciæ ſunt, quot Ciuitates, tot leges diuerſæ; & quod aliquæ permittunt, aliæ prohibent. Vna eſt Iuſtitiæ regula, quâ æquum & iniquum iudicatur, eaque perpetua & conſtans, ex quo fit etiam iura, quæ quidem recta ſunt, eadem eſſe oportere. Niſi fortè diuerſitas rerum diuerſitatem legum requirat; quanquam etiam tunc connitendum eſt, vt de rebus iiſdem eædem leges ferantur.

Non videtur probanda.

Sint pauca, & in vno regno eadem.

Teſtimonia & Authoritates.

DIcebat olim Archeſilaus, *ſicut vbi pharmaca multa multiq́ medici ſunt, ibidem & morbi abundant; ita vbi multa ſunt leges iniuſtia viget.* Stobæus ſermone de Rep. Veteres Athenienſes idcircò exiſtimabant multitudinem & nimis exquiſitam legum conſtitutionem ſignum eſſe mali ſtatus Reip. vt refert Iſocrates in Areopagitico. Et Gregorius Cedrenus in compendio Hiſtoriarum *Baſilius*, inquit Imp. *videns ciuiles leges multum habere confuſionis atque obſcuritatis, operam dedit, vt iis conuenientem faceret medicinam: itaque obrogare inutiles, iiſque amputatis multitudinem bonarum expurgare intendit. Sed mors eius hoc inſtitutum intercepit, res à filio deinde perfecta eſt.* De Iulio Cæſare, tradit Suetonius cap. 44. *quod ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immenſa diffuſaq́ legum copia optima quaque & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros deſtinabat.*

Multitudo legum ſignum mali ſtatus.

CA-

CAPVT V.

An facilè fieri debeant noua in Republica leges.

MAxima vis eſt vetuſtatis, & grauiſſimum ſanè conſuetudinis imperium. Quippè deſueſcere ab ijs, quæ longo vſu velut in ſanguinem tranſiuerunt, & ijs aſſueſcere, quæ vſui incognita ſunt, admodum eſt difficile. Cara illa vetuſtatis ſpecies ſe ipſam facilè ſine Magiſtratu tuetur; nouitas verò vix vlla præmiorum ſpe, metuque pœnarum, aut Magiſtratuum officijs conſiſtit. Et numquid mutationem legum ſequitur mutatio morum? inde ſubita nouitas, quæ Remp. conquaſſat. Nam etiam ipſa mutatio conſuetudinis, quæ adiuuare vtilitate videtur, nouitate perturbat. Experientia morborum nos docet, in quibus quemadmodum noua remedia tentanda non ſunt, ſi veteribus ſuccurri malo poſſit; ita nec nouæ condendæ ſunt leges, ſi veteres aliquid, quo malis Reip. medeamur, ſubminiſtrent. In omnibus rebus præterquam malis (Philoſophorum hæc vox eſt) periculoſiſſima mutatio eſt. At, inquies, quid ſi imperfectæ ſint leges? Certè legum imperfectionem aliquam tolerare, quam mutando Reip. ſtatum euertere longè præſtat, aut præiudicium omninò ſit magnum. Quid ſi antiquâ lege melior ſit noua? vix equidem id eſſe poteſt; vis enim præcipua legum conſuetudo eſt, quæ longo tempore confirmatur. Mutatio reuerentiam legibus debitam, & ſubditorum obedientiam tollit, mater ipſa temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis. Et verò quis leges tandem mutabit? auctoritatem illæ ſupra homines habent, non homines ſuprà leges. Non ſine conſilio cautum olim, vt qui condendæ nouæ legis occaſionem daret, inuiſus omnibus & execrabilis eſſet. Et ipſi legum Latores quâ potuerunt ratione ſuis legibus æternitatem quæſiuerunt. *Non facilè facienda noua ſunt leges.*

Enimverò hæc omnia temerariam, ac nullâ cogente neceſſitate ſuſceptam legum mutationem prohibent. Mutatis temporibus, & cùm ingens neceſſitas eſt, eas aliquando mutare, vel emendare nihil vetat. Cauſa vna ſit, vt perfectiores fiant & Reip. vtiliores. Altera, quia mutata ſubditorum conditio eſt. Fieri non poteſt, vt idem ſemper ac perpetuus rerum harum ſit ſtatus. Et homines enim, & humana negotia in continuo ſunt motu. Nec ipſæ leges artis cuiuſdam ſunt vel ſcientiæ, quæ nulli mutationi obnoxia conſideret, ſed prudentiæ, quæ circa mutabilia & particularia occupatur. *Aliquando tamen mutari poſſunt cùm neceſſitas eſt.*

Authoritates cum Exemplis.

SAnxit olim Zaleucus volens à legibus nouis deterrere, vt ſi quis ſancitas leges mutare vellet, aut nouam ſtatuere, is collo in laqueum immiſſo de lege verba faceret. Quod ſi per ſuffragia conſtaret legem veterem eſſe tollendam, aut nouam ferendam, indemnis maneret, & laqueo ſolueretur: ſin verò prior lex melior videretur, aut noua iniuſta, laqueo attracto moreretur. Id ſeueriſſimè apud Locrenſes ſeruabatur, qui cùm idcircò leges nouas rogare ferreque non auderent, veteribus religioſiſſimè vtebantur. Ita refert Demoſthenes contra Timocratem. D. Aug. Epiſtola 118. *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam qua adiuuat vtilitate, nouitate perturbat.* Laudantur Maſſilienſes, quod conſtan- *Mos ſeuerus Locrenſium.*

conſtantiſſimi in ſuis legibus ac conſuetudinibus fuerint. Eiuſdem conſtantiæ Romani & antiqui Franci fuerunt. Et Lycurgus iuramento adſtrinxit Lacedæmonios nihil eos ſuis in legibus, donec rediret, mutaturos; numquam autem rediit. Rationem reddunt Plato & Xenophon, *quod in omnibus rebus præterquam malis periculoſiſſima ſit mutatio. Imò*, inquit Ariſtoteles, *melius eſt tolerare quandam legum & Magiſtratuum imperfectionem, quam mutando Republicæ ſtatum omnem euertere, modo id ſine magno præiudicio fieri poſſit*. Plato etiam ait, *præcipuam vim legum eſſe conſuetudinem, quæ longo tempore confirmatur; proinde nouam aliquam legem non poſſe videri meliorem ea, quæ longo tempore recepta fuit*. Interrogatus Pauſanias quamobrem apud Spartanos licitum non eſſet mutare leges? *quia*, inquit, *leges auctoritatem habent ſupra homines, non homines ſupra leges*.

Apud Æginetas, teſte Alexandro ab Alex. lib. 6. cap. 14. cautum erat, vt qui nouæ condendæ legis occaſionem daret inuiſus & execrabilis fieret omnibus.

Mutari tamen aliquando poſſe cum neceſſitas eſt, & iuſta cauſa hic exiſtimamus. Hinc Reges Angliæ, refert Polydorus Virgilius in vita Henrici Primi, initio Principatus ſui, vel nouas leges ex vſu Reip. tuliſſe, vel veteres emendaſſe, vel in totum eas abrogaſſe, quas populus iniquas exiſtimaret, vel antiquatas in priſtinum vſum reuocaſſe. Veterum quidam dicebat. *Arietem ſocem vnam, homines verò plures habere, quia ſe tempori accommodant*. Liuius, ait, hominum leges ſecundum tempora mutari. Vnde eas Ariſtoteles comparat menſuris, Solon monetis, quæ vbicunque non ſunt eædem. Patet ex iure Ciuili & Canonico, multos Pontifices & Imperatores leges aliquas aboleuiſſe, aliquas abolitas reduxiſſe. Ageſilaus Rex ordinauit, vt propter caſum aliquem, qui eueniſſet, quieſcere & dormire leges permitterentur. Facete, ſed prudenter alius quidam Pericli dicebat, quod quoniam licitum non eſſet legum tabulas tollere, vertere illas oporteret. Antiqui Germani leges ſuas mutabant.

CAPVT VI.

Quomodo ſcribi leges debeant & quo idiomate.

Sint perſpicuæ.

ITa nimirum, vt perſpicuæ ſint, & quæ fieri poſſunt, tantùm contineant. Proba enim lex & multitudini profutura ſimpliciter & æquè omnibus apertè ſcribi debet, ne variâ pro cuiuſuis arbitratu interpretatione torqueatur. Deinde ea quæ iubet, fieri poſſe oportet; fruſtrà alioquin lex eſſet, & votum potiùs, quàm lex. Quæ ambiguæ ſunt leges forenſibus Rabulis litium infinitarum occaſionem præbent. Quod attinet ad idioma, cùm omnibus innoteſcere, & ab omnibus intelligi leges debeant, poſtulat ratio, vt communi idiomate proponantur. Placet tamen nonnullis, vt Principis linguâ tum leges ſcribantur, tum ius dicatur, niſi eæ fortè ſint Prouinciæ, quæ proprias ſuo idiomate leges habeant, quibus eodem idiomate, ſi quæ nouæ fuerint, addentur. Alterum Reip. vtilius.

Non impoſſibilia contineant.

Ferantur lingua communi.

Autho-

Authoritas cum Explicatione.

PErſpicuæ eſſe, non impoſſibilia continere, & communi linguâ ferri debent. Demoſthenes oratione contra Timocratem. *Arbitror*, inquit, *confitendum eſſe, omnibus probam legem & multitudini profuturam primum ſimpliciter & omnibus æquè apertè ſcriptam eſſe, ne eam aliter alius interpretetur. Deinde oportere fieri poſſe ea, quæ iubeat: nam ſi præclarè conſtituta ſit, ſed aliquid tamen, quod nequeat fieri, proponat, ad voti potius, quam legis fuerit officium.* Et Plato lib. 3. de legibus, *Poſſibilia volet ſundator legum, impoſſibilia nec volet; nam vana eſſet ea cupiditas.* Deus Deuteronomij 27. cap. *ſcribes omnia verba legis huius planè & lucidè.* Et ne impoſſibilia proponantur, dicitur Prouerb. 30. cap. *qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.*

CAPVT VII.

An Eccleſiaſtici ciuilibus Principum legibus obligentur.

IIs omninò obligantur, quæ ad bonam Reipublicæ adminiſtrationem ordinantur, & Eccleſiaſticæ libertati nequaquam derogant, cuiuſmodi ſunt de rerum venalium pretijs leges. Vbi verò in leges ciuiles Eccleſiaſtici deliquerunt, non ad tribunal Ciuilis Magiſtratus trahi, ab eoque puniri debent, ſed ab Eccleſiaſtico Iudice. Quippè nihil iuris Ciuilis Magiſtratus in Eccleſiaſticos obtinet, quos, vt honoret, par eſt. *Obligantur ſi non derogent Eccleſiaſticis.*

Nihil addendum videtur.

SI ciuiles leges Eccleſiaſticis nequaquam derogent, ijs Eccleſiaſtici obligantur. Tales ſunt Ciuiles leges, quæ ad Reip. adminiſtrationem ſpectant, vel ſunt de pretijs rerum venalium. Sola hic ratio ſufficit.

CAPVT VIII.

An Principes diſpenſare ſua in lege poſſint, & cuius eam ſit interpretari.

EIuſdem eſt poteſtatis obligare aliquos, & ab obligatione eoſdem eximere. Diſpenſare igitur Principes ſua in lege poſſunt, imò etiam in Prædeceſſorum, cum quibus parem habent poteſtatem, legibus. Quæ per votum aut iuramentum obligatio eſt, ſolui à Principe non poteſt. Diſpenſationis iuſta eſſe cauſa debet. Neque enim decet, vt ab ea lege, quæ omnes conſtringit, ſine cauſa vnus aliquis eximatur. Priuatæ vtilitatis gratiâ cum aliquo ſine cauſa diſpenſare, eſt contra commune bonum agere. *Omninò diſpenſare poſſunt.*

Quod attinet ad interpretationem, cùm eius ſit legem interpretari, cuius eſt condere, ad Principem ſeu Legiſlatorem interpretatio pertinet. Hic enim ſuam interpretari mentem probè poteſt. An verò ſubditi etiam quandoque ex æquitate id poſſint? Si dubius omninò ſit ſenſus, ad Principem recurrendum eſt; ſi autem aliquo in caſu legem ex mente Legiſlatoris nequaquam obligare ſit manifeſtum, interpretari eam ex æquitate ſubditi poſſunt. *Principum eſt legem interpretari.*

Autho-

Digitized by Google

Authoritas vna pro multis.

HOc dubium ſolà etiam ratione ſolutmus. Omnino ſua in lege diſpenſare Principes poſſunt, ſi iuſta ſubſit cauſa, vt v. g. eximere aliquem à tributi alicuius ſolutione propter ſingularia in Remp. merita. Non tantùm enim Maieſtas obligare poteſt, ſed etiam ab obligatione eximere. Poſſunt item Principes ſuam legem interpretari. Vulgatum illud iuris axioma confirmat. *Eiuſdem eſt legem interpretari cuius eſt condere.*

CAPVT IX.

An ſumptuaria, veſtiariaq́ue leges in Republica ſint ferenda.

Ferendæ ſunt leges ſumptuariæ.

COnuiuia, quæ ad fouendam ciuium concordiam & amicitiam ſunt, concedere in Republica Princeps debet; in omnibus verò conuiuijs luxum refrænare. Ideò ſumptuariæ leges in Rep. per quam ſunt neceſſariæ. Magnificus enim ille conuiuiorum apparatus egeſtatem & æs alienum parit; frugalitas autem & temperantia vitijs plurimis Rempub. liberat. Caſtiganda ebrietas eſt malorum infinitorum mater, & rerum ad luxum pertinentium importatio interdicenda. Illecebræ ſunt libidinum, & gulæ irritamenta quæcunque luxus inuexit. Multi, vt magnifici videantur, vltra ſortem ſuam ſeſe oſtentant. Turpiſſimum verò eſt tam ingentem quotannis pecuniæ vim in commeſſationes inſumi. Fiunt pauperes, qui videri diuites volunt.

Item Veſtiariæ.

Veſtiariæ quoque leges vel maximè in Rep. ſunt ſanciendæ. Quid enim eſt aliud veſtium ille luxus, quàm ſuperbiæ vexillum, laſciuiæ & luxuriæ indicium, leuitatis, otij, & ignauiæ ſignum? Vbi diſſecta veſtis, ibi diſſectus animus; & cui magna corporis cultus cura eſt, ei magna quoque virtutis eſt incuria. Aliquid in veſtitu noui hodie inuenire ſtudent quamplurimi, atque inde veſtitus patrij contemptus. Optandum eſſet, vt tria ſingulæ Gentes retinere contenderent, Puritatem Religionis, Patrium veſtitum, Idioma proprium. Peregrinæ veſtes peregrinos inducunt mores, & nouas ſemper ſumptuum occaſiones. Vbi familiares opes defecerunt, ad facinora iuuenes incenduntur; nam eadem in egeſtate permanet, quæ fuit in abundantia libido. Ægræ & malè conſtitutæ ciuitatis indicium eſt veſtium luxuria. Saltem Ordinum, Officiorum, Conditionum confuſionem inducit. Plebei enim Nobilium cultum imitantur, interque publicas ac priuatas perſonas nullum eſt diſcrimen. Laudanda vbique honeſtas, & amandus etiam ſine faſtu cultus; ſed modus ſit; & diſcrimen. Vtrumque conſideratio ſexus, ſtatus, conditionis, & officij dabit. Nam alia veſtis Eccleſiaſticum, alia Militem decet; item alia Illuſtrem, alia Nobilem, alia plebeium. Itaque ex vſu Reip. erit ſeuerâ lege luxum veſtium compeſcere, vt ſinguli modum obſeruent, & certos intra cancellos ſeſe contineant. Conſultum erit quoque veſtimentorum genera & pretia conſtituere; imò etiam pro ſingulorum ratione muneris, ſtatus & dignitatis aſſignare permittereque. Non ferendum eſt Regum purpuram iam ad cerdones veniſſe & byſſum vix ampliùs eſſe in honore.

Teſti-

Teſtimonia & Exempla.

FEtendæ omninò leges: Tiberius Cæſar, teſte Dione, ſericarum veſtium vſum interdixit. Ioannes Ducas Imp. Orientis decreto ſanxit, vt eſt apud Gregoram lib. 2. & Bonfid. lib. 3. Hiſt. Bizant. Nequis ſubditorum vteretur veſtibus ſericis, Aſſyrijs, Babylonicis, Italicis, vario atque ſolerti artificio confectis, niſi ipſe cum omni familiâ in ordinem cogi ac notari ignominia vellet, ſed ijs contenti eſſent, quæ Romanæ Prouinciæ atque manus præberent. Alexander Seuerus Imp. ne coniugem quidem pretioſioribus vti gemmis, quam cæteræ ſolerent Romanæ ciues, permiſit, teſte Fulgoſio lib. 4. cap. 1. Eum cum quidam viliore amictu contentum admirarentur, reſpondit *Imperatoriam Maieſtatem virtute conſtare, non corporis cultu.* Ludouicus Pius Imperator vſum auri ſericique præcipuè militibus ademit. Si quem ſericatum vel inauratum conſpiceret, *nunquid* inquiebat, *tibi ſatis eſt, vt ſolus pereas, niſi & res tuas hoſtibus tradas, atque eos locupletes, quo diutius faciliusq́; nobis reſiſtant?* Ita refert Auentinus lib. 4. Auguſtus Cæſar edicto prohibuit, ne quis niſi Senator aut Magiſtratus purpuram geſtaret, quam iam vulgo geſtari videbat, vt teſtis eſt Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 5. dicebat quippè, *Veſtitum inſignem ac mollem ſuperbiæ vexillum eſſe, nidumq́; luxuriæ.* Ioannes Comnenus Imp. luxum veſtium ac menſarum tanquam corruptelam ac vitæ peſtem à Palatio pepulit, vt refert Nicetas Choniates. Apud Spartanos non ſolùm in luxum veſtimentorum latæ leges erant, ſed Ephoris etiam mandatum, vt quotidie inſpectiones veſtimentorum obirent, & delinquentes punirent iuxta legis rigorem, teſte Æliano lib. 14. Var. Hiſt. c. 7. Hinc dicebat Geradas Spartanus, *nullum eſſe apud Spartanos adulterum ſubſtractis Veneris irritamentis, ſplendidis veſtimentis.* Marcus Cato Cenſor, vt habet Plutarchus in eius vita, voluit vt ſumptuosè veſtiti tributum penderent. Adrianus Imp. holoſericâ, veſte numquam eſt vſus, nec alium ſe Principe permiſit vti. Alphonſus Aragonum Rex admonitus vt regio incederet ornatu, *Malo*, inquit, *moribus & auctoritate meos excellere, quam diademate & purpurâ.* Henricus II. Imp. Siquando hominem veſtitu ſuperbientem aſpiceret, inquiebat, *Te vermes, veſtimenta verò tua tineæ comedent.* Theodoſius Arcadius, Honorius Impp. omnibus vſu veſtium ſericarum purpurearumque interdixerunt, Sancita in venditores pœna mortis & publicationis bonorum lib. 1. C. quæ res venire. Philippus Pulcher Galliæ Rex varias ſanciuit leges veſtiarias, ac inter eas, ne quis veſtes ſericas geſtaret, ſed tantùm veſte laneâ vteretur, cuius vlna non excederet valorem 25. ſolidorum; vt refert Rebuffus ad Conſt. Reg. Carolus IX. Henricus II. Henricus IV. Franciæ Reges edictum promulgauere, vt qui mercatores pannos ſericos fidem emptoris ſecuti, venderent, legis actione caterent. Ipſe Henricus II. nunquam biſſinis tibialibus eſt vſus. Videre licet Codicem Henrici III. & IV. Carolus V. Imp. tum in Germania, tum in Belgio vſum Sericæ veſtis certis tantùm perſonis habitâ cenſus & honorum ratione permiſit. Ipſe laneo & plebeio amiculo vtebatur, vt refert Guilielmus Zenocarus. In Aula Conſtantinopolitanâ Andronici Iunioris, cum non Græcorum amplius, ſed latinorum, Syrorum & aliorum eſſe veſtitus videretur, prudentiores quidam omina ſunt mutationem inſtare magnam, aut Imperij interitum; neque eos opinio fefellit, vt tradit Gregoras lib. 2. Quod attinet ad leges ſumptuarias. Philippus Pulcher Galliæ Rex, teſte Rebuffo, edixit, *Ne vltra duo fercula ſiue duos miſſus in prandio vel in cœna conſumantur, nene aſſæ carnes in prandio apponantur.* Carolus XI. & Henricus III. eiuſdem regni Reges edicto cauetunt, *Ne in nuptijs alijſve conuiuijs plus quam tria fercula apponantur*; ſub pœna ducentarum librarum Pariſienſium. Fabricius & Æmilius Cenſores Romæ, Cornelium Ruffum ſecundo Conſulem & dictatorem Senatu mouerunt, quod argenti facti decem pondo cœnæ gratia haberet, vt eſt apud Val. Max. lib. 2. cap. 9. Gellium lib. 16. cap. 1. Tiberius Cæſar edixit, ne caupones in vrbe Roma aliud, quam legumen atque herbas venderent, pœna pro delicatioribus cibis impoſita. Ipſe tamen poſtea eam legem violauit, & in exquiſitorum ciborum cauponas ſe contulit. Dolendum ſanè eſt ingentem pecuniæ vim

in commeſſationes hodie conſumi, quæ penes Remp. maneret, ſi immoderatus ille conuiuiorum luxus inhiberetur. Dicit Pythagoras apud Stobæum ſerm.41. primò luxuriam ciuitates ingredi; deinde ſaturitatem, poſtea contumeliam, poſtremò exitium.

CAPVT X.

Quænam ad formandos Ciuium mores legibus potiſſimùm probanda.

Otium. I. MOdo veſtibus & conuiuijs adhibito ſeuerâ lege prohibendum eſt otium. Expedit enim ignauos & otioſos homines è Rep. depelli, aut pœnis affici. Nam bonorum induſtriæ inuident, rebus nouandis ſemper ſtudent, aliena appetunt. Obuiam huic malo iretur, ſi viuendi modum profiteri quiſque ciuis apud Magiſtratum quotannis deberet, & temporis rerumque ſuarum rationem reddere.

Iniuria. II. Sanciendum lege latâ eſt, ne Nobiles aut diuites humilioris conditionis homines, plebeios & inopes vllâ iniuriâ afficiant, aut ea inulta impunitaque ne ſit. Nihil iniquius tenuiores homines ferunt, quàm ſe iniurijs & contemptui apud diuites obnoxios eſſe, quocirca odium in eos & furorem alunt; qui ne in Reip. perniciem inueteraſcat, iuſtis pœnis diuites ab iniurijs illis ſunt deterrendi.

Conuitia. III. Conuitia, quibus ordo aliquis totus proſcindatur, vel priuatus etiam quiſpiam, ſcriptæ leges indictâ pœnâ prohibeant. Si litteris ſint conſignata, inſtar famoſi libelli habeantur & puniantur.

Vis iniuſta. IV. De maledictis item, de pulſationibus, mutilationibus, atque omni turpitudine, quâ vita cuiuſpiam violatur, leges ſcribantur. Sicque vis iniuſta ſeu rebus ſeu perſonis illata prohibita ſit.

Adulteria. V. In benè conſtitutis Rebuſpublicis tolerari adulteria numquam debent. Itaque ſeueræ leges in adulteros promulgentur, & omnia fœdæ impudicitiæ genera coërceantur. Meretrices, lenones & lenæ exterminentur.

Aleatores. VI. Aleatores legibus damnentur; ſint infames, & ad Reip. officia inhabiles. Magnus in aleæ opere vitiorum eſt cumulus, quibus ad ſtudia pernicioſa iuuenes excitantur, & in varios incidunt exceſſus. Tempus & opes perdunt, & famam amittunt. Conſuetudo hîc altera fit natura; vix deſueſcere poſſunt, qui aſſueuerunt.

Ebrietas. VII. Funeſta Reipub. ebrietas eſt; conſtringenda igitur legibus eſt, & Ebrioſi notâ ignominiaque perſtringendi; vt nimirum indigni cenſeantur, qui honores & publica munera gerant.

Ambitio. VIII. Ambitio quoque & honorum conſequendorum nimia cupiditas reſtringenda legibus eſt. Quidam aureis & argenteis gradibus ad ſummos honores conſcendunt, ac tum in illis ſeſe viſendos diuitiarum operibus, auro, argento, auleis, veſte pretioſâ, numeroſâ familiâ præbent, quia induſtriæ & doctrinæ opera non habent. Ita fit, vt virtutum exercitatio ceſſet, interque fortes & ignauos, ſolertes & inertes nullum ſit diſcrimen. Indignus honore eſſe debet, qui ambiuiſſe deprehenditur.

Alia ſunt plura vel iure ipſo, vel publicis legibus prohibita. Debent leges vnumquemque in officio continere, facultatem nocendi præcidere,

dere, audaciam improborum coërcere innocentiam cuiuſque tutam omni ex parte reddere, diſcordias & controuerſias tollere, bonorum quieti & dignitati conſulere, ſtatum Reipublicæ tranquillum ſtabilire ac tueri.

Recenſentur ordine, & confirmantur ratione.

I. *Otium. Natura ſi quidem humana ſicut duris laboribus inſtruitur, ita per otia torpentia fatuatur*, vt inquit Caſſiodorus 1. Var. Epiſtola 39. Et verè dicebat Alcibiades, *Ciuitatem negotioſam, ſi negotium, cum otio commutet, ſtatim euerſionem, aut vt minimum, ſtatus mutationem paſſuram*, teſte Thucyd. lib. 6. Apud Athenienſes otium non ferebatur, & otioſi accuſabantur. Vnde Valerius Max. lib. 2. cap. 6. *Inertia*, inquit, *apud eos in forum perinde ac delictum aliquod trahebatur.*

II. *Iniuria*; ne nimirum potentiores opprimant alios. Balduinus ſeptimus Flandriæ Comes Petrum quendam virum Nobilem & Orſtampi Toparcham ob duos boues pauperculæ mulieri abductos, comprehendi iubet; & cùm fortè lebes aquæ feruentis in medio foro Brugenſi ad Monetarium puniendum deſtinatus eſſet, in eum conijci Nobilem illum, vt erat, veſtitum, ocreatum, gladio accinctum confeſtim iubet, vt refert Meierus in Annalibus Flandriæ. Saluſtius Præfectus prætorio vt refert Suidas Valentinianum deſignauit Imperatorem, qui cum Imperium ſuſcepiſſet edixit, vt ſi quis affectus eſſet iniuria, Imperatorem adiret; nemo tamen tum eſt conqueſtus. Et cum Præpoſitus Eunuchorum Rhodanus Berenicem quamdam viduam iniuria affeciſſet, condemnatus eſt à Saluſtio, cuius iudicium, cum nihili faceret, ab Imperatore crematus eſt, & eius omnia bona viduæ aſſignata. Quo exemplo territi mortales omni iniuriâ abſtinuerunt.

III. *Conuitia ſeu Contumeliæ.* Quia homines impatientes ſunt contumeliarum, & fama tenera eſt, quæ nec angi, nec tangi debet. Carolus VII. Galliæ Rex Ducem quemdam è ſuis rogabat, quomodo abduci à fidelitate Regi tam perſpecta poſſet, reſpondit ille, *Me quidem Sereniſſime Rex, vt fidem tibi datam violem, nulla vnquam vtilitas aut dignitas, imò nec centum quidem regna adegerint; quod ſi tamen vel ſemel contumelioſè aliquid in me dixeris, vltro ſum facturus.*

IV. *Adulteria.* Auguſtus Cæſar legem Papiam Poppæam tulit, quâ cœlibes ex aliorum teſtamentis capere nihil poterant, niſi infra centum dies à morte teſtatoris matrimonium contraherent, vt hoc modo libido exterminaretur. Suet. cap. 34. Dio lib. 56. Iulius Cæſar Libertum gratiſſimum ob adulteratam Romani Equitis vxorem capitali pœnâ affecit, teſte Suetonio. Apud Britannos olim ſancitum erat, vt virgo in fornicatione deprehenſa de rupe præcipitaretur, corruptor autem capite mulctaretur, vt habet Polydorus Virg. Sunt etiam conſtitutiones Regum Galliæ, quibus cauetur, ne lupanaria in vrbibus recipiantur, neue puellis meritorijs aut lenonibus occultè vel palam cœnacula elocentur, pœna in violatores ſtatuta 120. librarum Pariſienſium. Aurelianus Imp. militem, qui hoſpitis vxorem adulterauerat ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret eaſdemque ſubito dimitteret, vt ſciſſus ille vtrimque penderet.

V. *Aleatores.* Hi Iure Ciuili infames ſunt. Tandem quæcumque vitia alia legibus ſunt proſcribenda.

TITVLVS III.

De Conſuetudine, & Priuilegio.

CAPVT I.

Quid ſit conſuetudo, & quæ vis eius.

Definitio.

CONSVETVDO, eſt Ius quoddam moribus inſtitutum ac pro lege ſuſceptum; ſeu Ius non ſcriptum, quod ex longo ac continuo vſu eſt ortum. Dicta conſuetudo eſt, quod in communi ſit vſu. Eius cùm legitimè eſt introducta, vis eſt triplex, abrogare, inſtituere, interpretari legem. Atque hinc illud, Optima legum Interpres conſuetudo. Ea etiam, quæ longâ conſuetudine per annos quàm plurimos ſunt obſeruata, non minùs quàm quæ ſcripta ſunt Iura ſeruantur. Porrò vt vim habeat conſuetudo, iuſta & rationi conſentanea eſſe debet. Iuſta eſt, cùm Dei naturæque legi non aduerſatur, bonoque communi vtilis eſt, etſi contra legem humanam ſit introducta. Quæ talis non eſt, iniuſta eſt.

Iuſta eſſe debet.

Declaratur Authoritate.

CONSVETVDO hic definitur, & vim habere legis cum iuſta eſt, oſtenditur. Atque eius vis triplex eſt. Conſtat ex Gratiano & Iure Ciuili. Nam l. Sed & ea ff. de legibus. Ea quæ longâ conſuetudine comprobata ſunt, & per annos plurimos obſeruata velut tacita Ciuium conuentio non minus, quam ea quæ ſcripta ſunt, iura ſeruantur, l. 37. ff. de legibus Optima legum interpres conſuetudo.

CAPVT II.

Vnde vim ſuam accipiat conſuetudo.

A populi & Principis conſenſu.

A Populi conſenſu, ſed adſit Principis quoque conſenſus oportet. Cùm enim Principis conſenſum lex requirat, ſine eo conſuetudo eſſe non poteſt, cùm eiuſdem poteſtatis ſit legem condere, & conſuetudinem introducere. Poteſt autem conſentire Princeps vel expreſsè, dum ſciens conſuetudinem approbat, vel tacitè, dum etiam non ignarus diſſimulat; vel vtroque certè modo, cùm vt conſuetudo legitimè præſcripta vim obtineat legis, latâ lege conſtituit. Omnis princeps ſeu Legiſlator Reipublicæ ſuæ conſuetudines habere cordi debet.

CA-

CAPVT III.

Quomodo introduci conſuetudo debeat.

PEr vſum autem introduci conſuetudo debet, quem ita manifeſtum eſſe oportet, vt Principi ſeu ſupremo Magiſtratui innoteſcat. Si enim non innoteſcat, nec innoteſcere omninò poſſit, iam nullus eius, neceſſarius tamen, eſt conſenſus. Certum conſuetudinis introducendæ tempus Iuriſperiti præſcribunt; quod ſi Princeps conſentiat, opus non eſt. Eius enim voluntas conſuetudini vim legis adiungit. Quid ſi probata per legem ſit conſuetudo? Conſuetudo niſi iuſta ſit, ac ratione fulciatur, vim habere legis non poteſt. Quod ſi ergò, vt iniqua, à ſummo Magiſtratu reijciatur, vim omnem amittit; ſi iniqua non iudicetur, legem ipſa abrogat ac tollit. *Quæſtiuncula.*

Explicatio cum authoritate.

A Populi & Principis conſenſu vim habet. Introducitur autem per vſum; vſus certo tempore conſtat, de quo Iuriſperiti variè agunt. Porrò cùm Principum ſit ſuæ Reip. conſuetudines ſeruare, tum iniquas & iniuſtas pati non debent, Nam, vt inquit Cyprianus Epiſtola ad Pompeium. *Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.* Et vt Gratianus diſtictione IX. *Mala conſuetudo non minus quam pernitioſa corruptela abijcienda eſt & vitanda.* Prauas conſuetudines oportet iuſtis & ſeueris legibus corrigere. *Nam conſuetudo peccandi, maleficij ſuſcipiendi remouet dubitationem,* vt ait Cic. lib. 2. ad Herennium. Pulchrè Plautus in Trinummo:

Nunc mores nihili faciunt, quod licet, niſi quod lubet
Ambitio iã more ſacta eſt, libera eſt à legibus,
Petere honorem pro flagitio, more fit;
Mores leges perduxerũt in poteſtatem ſuam.
Ea miſera etiam ad parietem ſunt affixa clauis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Sen. lib. 3. de Beneſ. *Pudorem tollit multitudo peccantium, & deſinit eſſe probri loco commune delictum.* Vt non immeritò Græcus quidam dixerit, *Tempus multo eſſe potentius legibus.*

CAPVT IV.

Quid priuilegium, & quæ circa illud obſeruanda.

PRiuilegium eſt poteſtas vni alicui vel pluribus agendi aut non agendi vltra ius commune lege conceſſa. Dicitur quaſi priuata lex, ſeu priuato conceſſa. Varia autem priuilegiorum ſunt genera. Vel enim aliquo onere liberant, vel agendi facultatem concedunt, vel meritorum intuitu, vel beneuolentiã ſolã dantur; vel iterùm cum pacto aliquo ſunt, vel ſine pacto. Porrò concedere priuilegia ſupremæ eſt poteſtatis, atque eius, qui condere legem poteſt; ſunt enim contra legem. Quia verò accipere per ea non exiguum detrimentum Reſpublica poteſt, concedi non niſi bene de Repub. meritis debent. Vt nimirum honore ac præmio virtus excitetur, & aliorum ad bene de Patria merendum induſtria prouocetur. Cauendum ne quæ aliquibus conceduntur, alijs plurimùm obſint. Odioſa tunc enim ſunt, & onerosa. *Definitio priuilegij.* *Princeps concedit.* *Cautè concedendum.*

roſa. Et quia legum auctoritas imminuitur, magna omninò eorum cauſa ſit oportet. Quippe contemptus hinc legum. Multarum ſeditionum ac bellorum cauſæ originem omni ætate à priuilegijs duxêre; & cùm multis de cauſis vim omnem amittant, tum facillimè reuocantur, cùm Reip. detrimentum adferre videntur. Quod ſi mutato rerum ac temporum ſtatu, quod antea iuſtum erat, iniuſtum fiat, tollendum tunc omninò eſt. Videant Principes vt Priuilegia quàm rariſſimè concedant. Nihil pulchrius, quàm vna lege Rempub. gubernari; nihil vtilius, quàm à legum obſeruatione neminem eximi, vt vno omnes ſpiritu regantur & ducantur.

Textus per ſe patet.

DEfinitio Priuilegij, variaque euis genera ponuntur. Princeps eſt, qui priuilegium concedit; cautè tamen concedere debet, ac tantùm benemeritis. Nihil hic vero addendum eſt.

TITVLVS IV.

De Iudicijs.

CAPVT I.

Quid Iudicium, quis Iudex, quæ partes & perſonæ.

Definitio Iudicij. FRVSTRA ſanè in Repub. leges figerentur; niſi qui ex earum præſcripto iudicarent, Iudices eſſent. Itaque iudicijs eſt opus & Iudicibus. Iudicium eſt tota illa actio, quæ inter actorem & Reum de re aliqua controuerſa coram Iudice eſt conſtituta, cùm rei ipſius controuerſæ cognitionem, tum Iudicis ſententiam continens. Quanquam pro Iudicis ſententia aliquando iudicium accipitur, ac tunc nihil aliud eſt, quàm legitima Iudicis poteſtatem habentis definitio, quâ mota lis finem accipit. Aut certè Iudicium eſt ipſa Iuſtitiæ in cauſa per Iudicem cognita adminiſtratio. *Partes.* Partes Iudicij præcipuæ ſunt duæ, cognitio cauſæ ſeu controuerſiæ, & ſententiæ pronuntiatio. *Perſonæ.* Perſonæ verò neceſſariæ tres, duo litigatores & Iudex. *Actor.* Is qui agit ſeu litem intendit Actor; *Reus.* in quem agitur, ſeu in quem lis mouetur, Reus appellatur. *Iudex.* Iudex is eſt, qui legitimam habens poteſtatem auditâ ac cognitâ vtrimque causâ ſententiâ ſuâ liti finem imponit. Sententia autem eſt ipſa Iudicis pronuntiatio liti finem imponens. Accedunt & aliæ perſonæ, non neceſſariæ quidem, adiuuantes tamen, quarum aliquæ Iudicibus vtiles *Aſſeſſores Apparitores.* ſunt, vt Aſſeſſores, & Apparitores; aliquæ ſuâ operâ litigatoribus adſunt, vt Patroni ſeu Aduocati, Procuratores, Syndici, & quicumque *Aduocati, Procuratores.* auxilium ferre poſſunt. De omnibus multiplex apud Iuriſperitos diſputatio eſt, nos, qui de Republica agimus, Politicas de Iudicibus ac Iudicijs conſiderationes proponemus.

Clarus ipſe textus eſt.

IVDICIVM eſt ipſa iuſtitiæ cognita cauſa adminiſtratio. Partes cognitio cauſæ, & ſententia perſonæ, Actor, Reus, Iudex. Sunt præterea. Aſſeſſores, Apparitores, Aduocati, Procuratores. Hæc omnia hic definiuntur, & ex Iuriſperitis conſtant.

CAPVT II.

De electione Iudicum, & eorum virtutibus.

Electio Iudicum ad Principes ſpectat.

CVm Principes ac Reges publici Iuris Adminiſtri ſint, legumque cuſtodes (quippè Iuſtitiæ causâ inter mortales conſtituti) eorum eſt iuſtitiam ſubditis adminiſtrare, iudiciaque exercere. Quoniam verò maioribus plerumque intenti curis adeſſe Tribunalibus ac potiſſimùm diuerſis in ciuitatibus Prouincijſque ſuis non poſſunt, eorum eſt etiam Iudices eligere, ac eos ſubſtituere, qui legitimâ cum poteſtate ſubditorum controuerſias ſummâ æquitate decidant. Porrò ad ius dicendum eligent ſummâ grauitate integritateque viros, qui in audiendo faciles ſint, in decernendo lenes, in ſatisfaciendo diligentes. *Eorum virtutes.* Eorum virtutes hæ potiſſimùm eſſe debent, & quædam quaſi conditiones. *Dei timor.* Prima Dei timor. Quippè Dei timor quâdam Religione conſcientiam obſtringens, eas libidines remouet, quæ mentem tenebris offuſis, ne verum iuſtumque cernat, impediunt. Facit etiam vt intelligant, non hominum ſe, ſed Dei immortalis iudicium exercere, ad quod munus Regum miniſterio ſunt vocati, ſed ſummo omnium Iudici Deo, non de iniurijs tantùm & iniquitatibus, verùm etiam de ipſa iuſtitia & æquitate rationem aliquando reddituri. Hoc fundamento Iudiciorum omnium æquitas ſuſtinetur. *Potentia.* Secunda Potentia. Vt nimirum audaciæ ac temeritati reſiſtant. Decet enim Iudices magno & forti eſſe animo, vt cùm opus eſt nobilem virum, copioſum, ac cæteris dominantem aggredi audeant, comprehendere, in carcerem detrudere; ſupplicio coërcere. Deinde conſtantiâ inſigni armatos eſſe, vt nec à legitimo iure diſcedere nec à vero abduci, nec in contrarium flecti quouis commodo vel incommodo poſſint. *Fides.* Tertia Fides. Quia qui fidem negligit, demandato ſibi munere fungi rectè non poteſt. Hæc vna eſt officij cuſtodia, nec ſimulatio hîc eſſe debet, quia nihil inconſtantius, aut fœdius. *Contemptus pecuniarum.* Quarta Contemptus pecuniarum ſeu Odium auaritiæ. Nam qui pecunijs ſtudent, non rarò ad iniquitatem tranſuerſi rapiuntur, & excæcati dum veritatis allatæ lumen non vident, aliud pro alio ſubſtituunt. *Iuriſprudentia.* Quinta Iuriſprudentia ſeu Peritia legum, cùm communium, tum propriarum, Ciuilium ſanctionum, Iurium municipalium, publicorum & receptorum Morum, omnium Reipublicæ Conſuetudinum. Debent enim ſecundum leges ſententiam ferre, quarum ſi rudes ſint, ſimiles erunt Medico legum medicinæ ignaro, qui ægroto, quem curandum ſuſcepit, necem adfert. *Experientiâ & prudentiâ.* Sexta Experientia ſeu Prudentia. Vt nimirum à magno rerum vſu parati, & prudentiâ inſtructi, quod lex generatim ſtatuit, ſingularibus ipſi ac priuatis cauſis, quæ agitari

in Tribunalibus ſolent, poſſint applicare. Omninò enim neceſſarium eſt, vt generales legum Sanctiones, quæ ſingulare aliquod factum in iudicio diſcuſſum circumſtant, nouerint accommodare. Quam ad rem acri iudicio, prudentiâ, & exprimentis longis ac multis eſt opus.

Teſtimonia & Authoritates.

ELectio Iudicum ad Principes ſpectat. Eorum virtutes ſunt, Dei timor, potentia, fides contemptus pecuniarum iuriſprudentia, experientia & prudentia. Iſidorus lib. 5. Sent. cap. 54. *Ad delictum pertinet Principum*, inquit, *qui prauos Iudices contra Dei voluntatem, populis fidelibus præficiunt. Nam ſicut populi delictum eſt, quando Principes mali ſunt, ſic Principis eſt peccatum, quando Iudices iniqui exiſtunt.* Ideo monebat Agapitus Diaconus Imperatorem Iuſtinianum his verbis. *Terrarum orbis à Deo cum concreditum tibi ſit regnum, caue ne aliquo vtaris ex prauis ad rerum adminiſtrationem: quæ enim perperam fecerint, eorum rationem reddes Deo, qui peccandi facultatem illis indulgeris.* Diocletianus Imp. iam priuatus dicebat, teſte Vopiſco in Aurelio. *In paucorum eſt poteſtate, niſi ſint quales oportet, Principem fraude circumuenire & irretire.* Notum illud, *Bonus, cantus, aptus venditur Imperator.* Exodi 18. cap. Iethro Moyſis ſocer ita illum alloquitur. *Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex ijs, qui iudicent populum omni tempore.* Rex Ioſaphat, vt eſt 2. Paralip. cap. 19. Iudicibus à ſe conſtitutis hoc dicebat. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini; & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite; non eſt enim apud Dominum Deum veſtrum iniquitas, neque perſonarum acceptio, nec cupido nummorum.* Eccleſ. 17. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Baldus in l. 2. C. de Sent. ex breui recit. dicit debere Iudices habere *duplicem ſalem; ſcientiæ ſine quo ſunt inſipidi, & conſcientiæ, ſine quo ſunt Diabolici.* Et ſicut his vident, qui litteras ſciunt, ait Menander; *& ignorantia iudicis plerumque eſt calamitas innocentis; ita ſcientiam & experientiam aliquam habere debent, qui ad tribunal vocantur.*

CAPVT III.

Quâ ætate eligendi ſint Iudices.

Eligendi Senes non Iuuenes.

CErtum eſt diuinum oraculum, ſpecioſum eſſe canitiei iudicium. Itaque non Iuuenes, ſed ſenes ad Iudicum munus obeundum ſunt eligendi, atque eâ ætate, quâ prudentiam iam collegiſſe, & cupiditatibus ſuis modum poſuiſſe potuerint. In iuuenibus corporis robur & animi magnitudo non deeſt, at deeſt experientiâ, ſine qua vix Iudices in ſingularibus plerumque caſibus propoſitum ſibi finem conſequuntur. Nec in Iudicibus ſola ſufficit prudentia, adſit etiam oportet quædam iudicij ipſius ſubiectio, quâ ſapere non nimium velint, ſed legibus ſeſe ſubmittant.

Authoritates confirmant.

SEnes & prouectâ ætate iudices hic probamus. Eccleſiaſtici c. 25. *Quam ſpecioſum canitiei iudicium, & ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus & conſilium.* Iob. cap. 2. & 32. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia: annorum multitudo docet ſapientiam.* Ariſtoteles lib. 5. Polit. cap. 16. *Mens & intellectus in pleriſque maximè viget circa quinquageſimum annum.* Plato lib. 3. de Rep. *Non iuuenem, ſed ſenem iudicem bonum eſſe oportet, qui ſero quale quid iuſtitia ſit, didicerit: tanquam qui non propriam in animo ſuo eam ſenſerit, ſed alienam in*

alijs

alijs animo longo tempore nouerit: atque idcircò cuiuſmodi ſit malum diſcernat, ſcientiæ potius, quam propria experientia iudicans; generoſiſſimus ſanè Iudex huiuſmodi eſſe videatur. Poëta quidam Græcus. *Sententiæ*, inquit, *meliores ſunt ſeniorum.* Accedit quod ſenes affectus & animi perturbationes domitas habeant. Vnde D. Hieronymus. *Senectus*, inquit, *nos ab imprudentiſſimis Dominis liberat voluptatibus: gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget ſapientiam, dat maturiora conſilia.* Adeò ſenes etiam dicenda ſcientia valent, etiamſi ſint indocti; vſu enim & experientia tertium quemdam oculum ſunt adepti, quo rerum principia & euentus facilè perſpiciunt, vt ait Laurentius Grimaldus lib. 1. de optimo Senatore. Vide lib. 2. Titulum 2. cap. 2.

CAPVT IV.

Quænam iudicum animos à vero Iudicio abducant.

HÆc quatuor potiſſimùm, Timor, Cupiditas, Amor, Odium. Et ſanè timor ita Iudicum quandoque animos concutit, vt condemnare ſuâ ſententiâ eum non audeant, qui opibus affluit, & magnâ in Repub. poteſtate præditus eſt; aut cuius amittere beneuolentiam, quod gratiâ plurimùm apud Principem valeat, non velint. Ita fit, vt nonnunquam innocens à Iudice, qui offendere timet, condemnetur. *Timor.* Cupiditas verò, ſeu illa lucri & commodorum auiditas ita Iudicum mentis oculos perſtringit, vt iudicij veritatem non cernant. *Cupiditas.* Poſtquam enim munera in manus irrepſerunt, aliter, quàm anteà, de lite iudicatur & pronuntiatur. Nimirum qui donum accipit, debitor eſt, & dum obligari ſe putat, aliquid, ne ſit ingratus, etſi contra iuſtitiam, reponit. Si & Actor & Reus muneribus Iudicem deliniat, is vincet ac triumphabit, qui plura maioraque attulerit. Sic legum Religionem munera perfringunt, & Iudicem à verò ſenſu detorquent, ad libidinemque & iniuſtitiam inflectunt. Planè donorum acceptatio Iuſtitiæ fundamentum euertit. Amor, quo Iudices conſanguineos ſuos, affines, & aliquâ neceſſitudine coniunctos complectuntur, iudicium ſanè inquinat ac corrumpit. Statuere enim de Iure partium non poſſunt, qui omni affectu liberi non ſunt. Quippè iuſti Iudicis perſonam exuit, qui in iudicio perſonam amici nouit. Cùm ſtateræ examen in neutram propendere partem debeat, tum illud amor non rarò in amicos inflectit. Cæca eſſe iuſtitia debet, nec amicum, aut hoſtem, nec Nobilem aut pauperem videre. Odium autem Iudicum animos exulcerat, *Odium.* & dum malè alicui volunt, rectè pro eo iudicare non poſſunt. Hæc maleuolentia Iudices à veritatis conſideratione abducit. Cùm ergò in æquitate ſanciendâ publica ſtet ſalus, illam vt Reip. Iudices præſtent, magno ſint & excelſo animo, nihil timentes, auaritiæ labem oderint, nec à quoquam munera accipiant. Non ament, non oderint, ſed omni affectu ac perturbatione perpurgatum habentes animum, ſolum Deum intueantur, ac vna ſit Tribunalis lex Iuſtitia.

Autho-

Authoritates cum Teſtimonijs.

TImor, cupiditas, amor, odium. ita Iſidorus lib. 3. de ſummo bono *Iudicium humanum peruertitur timore, cupiditate, amore, odio.* Debent igitur inprimis iudices intrepido eſſe animo, & ſine metu potentum exercere iuſtitiam. Hinc Diotes cum eſſet à Medis vocatus, vt iudicaret, arcem ſibi tutam conſtrui, addique cuſtodes voluit, vt tutus & ſine metu iudicare poſſet, vt refert Herodotus lib. 1. Nam quemadmodum metus violentiæ clientes à foro excuſat, ita iudices à iudicando; vt ſi armis circumſepti iudicent, iudicium illorum nequaquam liberum cenſeatur. Clement. V. Paſtoralis 2. de re Iudic. Illuſtre exemplum intrepidi Iudicis referunt Annales Angliæ, in vita Henrici V. Huius Regis filius cum videret ſeruum raptum ad Tribunal propter indignum facinus aliquod, irruit furens & eripere illum contendit, cumque omnes circumſtantes timerent ſurrexit Iudex, & clara voce, *Accelera*, inquit, *huc, furioſè iuuenis, gladio quo cadem iam minitaris, ſenile pectus hoc meum percute, percute, inquam, ſi velis; nam potius moriar, quam hoc exemplum patiar. Locus quo nunc abuteris, eſt tui patris tribunal: Iudex, quem inuadis, tui patris perſonam gerit; lex quam violas, te reum ſceleris, non filium Principis, accuſat. Ego igitur tui patris nomine, totiuſq; regni auctoritate propter hoc facinus in carcerem detrudi te iubeo. Perculſus ea voce regius iuuenis gladium abiecit, & ſententiæ parens in carcerem vltro abiuit, admirante vniuerſo populo.* Quod cum Rex ſenex & ſapiens intellexiſſet, effuſus in lachrymas, *O me beatum*, inquit, *qui tam iuſtum & ſincerum iudicem, qui tam pium & obedientem filium ante ſepulchrum video.*

Illuſtre exemplum intrepidi iudicis.

Debent deinde iudices cupiditate ſeu auaritiâ carere vt munera non accipiant. Deuteronomij cap. 27. *Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam ſanguinis innocentis & dicet omnis populus amen*, id eſt fiat. Et Iſaiæ cap. 5. *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo, propter hoc ſicut deuorat ſtipulam & lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germen eorum, vt puluis aſcendet.* Alibi iam diximus ex Deut. cap. 16. *Munera excæcant oculos Sapientum & mutant verba iuſtorum.* Similes ſunt eiuſmodi iudices arundini piſcatoris, quæ capto piſciculo manet recta, capto autem magno piſce flectitur & contorquetur. Verè Horatius lib. 2. ſermonum:

—— Male verum examinat omnis
Corruptus Iudex.

Et ſanè turpe eſt Iudicum manus auro delinitas eſſe, & perunctas. Quod cum veteres non ignorarent, teſte Iſidoro lib. 3. de ſummo bono, iuſtitiæ effigiem mancâ manu pingebant, vt muneribus accipiendis non eſſe porrigendam ſignificarent. Et Plato de Legibus morti addicendum cenſet Iudicem, qui munus aliquod accepit, non ſolùm vt ius corrumpat, ſed etiam vt illud adminiſtret & reddat. Lepidi ſunt ſed veri plerumque hi vulgò ſparſi verſus.

Iudices mancâ manu.

Accuſatiuus ſi venerit ante tribunal,
Atque vocatiuus, quamuis fuerit peregrinus
Proficit in nihilum ſi venerit abſque datiuo.

Item

Dum diues loquitur, verbum Salomonis habetur
Dum pauper loquitur, tum barbarus eſſe videtur.

Deniq́ue debent Iudices nec amore ferri nec odio, ita vt in iudicio non attendant an amicus quis ſit, vel conſanguineus, an verò inimicus; adeoq́ue nullam perſonarum acceptionem habere. Lex Dei eſt, Leuitici 19. cap. *Non conſideres perſonam pauperis, neque honores vultum potentis; iuſte iudica proximo tuo.* Et Deuteron. 1. cap. *Quod iuſtum eſt iudicate ſiue ciuis ille ſit, ſiue peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum; ita paruum audietis, vt magnum; nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt.* Demoſthenes in orat. contra Timocratem refert nobile iuramentum Heliaſtarum tale. *Audiam accuſatorem & reum æquo animo ſine affectibus & perſonarum ratione.* Ideo Carolus V. *Quemadmodum*, inquit, *ſol tam egenis, quam diuitibus æquali menſurâ lumen diſpenſat, ita Principum eſt ſine vllo perſonarum reſpectu ſubditorum cauſas examinare, & æquali iuſtitiæ temperatione iudicare.* Referri huc eorum exempla poſſunt, qui ſepoſito omni affectu propinquos ſibi & conſanguineos iudicauerunt. Ottho III. Imp. teſte Cranzio vxorem ſuam Aragoniæ Regis filiam publicè cremandam iudicauit, quod rea eſſet necis cuiuſdam innocentiſſimi Comitis, à quo paſſa repulſam erat mulier

Exempla verè iudicantium.

lier impudica. Eodem modo Andreas Hungariæ Rex vxorem ſuam Gertrudem iuſtè cæſam pronuntiauit à Bancbano Præfecto, cuius vxorem Reginâ fratri ſuo proſtituerat, vt videre eſt apud Lipſium in Monitis Politicis. Canutus etiam Vandalorum Rex, cum latrones quoſdam extremo ſupplicio addixiſſet, & inter eos quidam ſe Regis cognatum eſſe proclamaret, iureque ſanguinis impunitatem & vitam depoſceret, *Cognato noſtro*, inquit Rex, *vt honoratior ſit locus ſublimiorem parate crucem.* Teſtis eſt Cranzius lib. 3. Wand. cap. 32.

CAPVT V.

An ſecundùm leges iudicare Iudices debeant.

IVdiciorum vna & certa regula lex eſt. In hanc intueri Iudices, & quod illa dicit, eloqui debent. Loqui illa quia non poteſt, ideò eius Interpretes ſunt Iudices, vt ex eius præſcripto innocentes ſeruentur, nocentes è Republica, vel è vita exturbentur. Iudicare igitur ſecundùm leges Iudices debent, & aberrant ij, qui vt propriam opinionem ſequantur, à legibus diſcedunt. Stare quippe legum decreto, quàm hominum arbitrio melius eſt. Illæ longâ animaduerſione laborantéque multorum in Conſilium adhibitorum prudentiâ ſunt ſcriptæ; hi verò homines, qui tribunalibus præſunt, prudentiâ non rarò ſunt deſtituti, aut certè temporis anguſtijs, quo minùs rem omnem maturè verſent & examinent, excluduntur. Nec mutantur, vt homines, tam ſæpè leges; eædem ſemper ſunt, affectuum expertes, & nullam perſonarum rationem habentes, Qui pro arbitrio ſuo iudicat, multorum querelis objicitur; qui legem ſequitur querimonias & ſuſpiciones euitat. Iure conqueri de iniuria is non poteſt, quem non tam Iudex, quàm lex condemnauit. *Iudices ſequi legem iudicando debent.*

Abſit verò à Iudicijs nimia ſubtilitas. Hæc ſapientiæ, ſimplicitati inimica eſt, & in legibus interpretandis omnem iuris rationem & æquitatem euertit. Quare ij inepti Iudices ſunt, qui non legùm Interpretes, ſed Domini eſſe volunt, vt nimirum ad libidinem ſuam eas interpretentur, & iuſtitiam ipſam perfringant. Suis illi acutis & ſubtilibus, vt putant, interpretationibus verum legum ſenſum & Legumlatorum mentem peruertunt. Docti ij non ſunt, & nihil minùs, quàm Iuriſconſulti, qui neſcio quo nouitatis ſplendore, ſed fallaci, audientium mentes perſtringunt, & omninò non intelliguntur. *Nec ſint nimis ſubtiles.*

Explicatio & authoritas.

OMninò Iudices ſequi legem iudicando debent, ne ſint tamen nimis ſubtiles. Boterus lib. 1. de Polit. *Iudicum eſt ex iuris præſcripto & ſententia legum decidere; Principum autem iuris rigorem æquitate mitigare.* Vnde non debet Princeps Iudicibus dare poteſtatem pro lubito pronuntiandi, ſed quoad fieri poteſt, præſcripto legum ſubijciat, ſententiâ definitiua libera ſibi reſeruata. Leges enim & ſtatuta faciunt, vt rarò, qui ea verè attendunt, errent. Iudices etiam plena ſibi iudicandi copia facta minorem adhibent diligentiam, quam præſens cauſa legumque præſcripta requirunt.

CA-

CAPVT VI.

Quomodo Principes continere in officio Iudices debeant.

Si Iudicijs aliquando interſint.

DVplex hîc modus eſt. Vnus ſi iudicijs & tribunalibus non rarò ipſi, aut qui eorum ſummi ſunt Vicarij interſint. Cùm nimirum grauiores ſunt controuerſiæ, & ferenda de re magni momenti ſententia eſt. Aut ſi quandoque cùm Iudices pronuntiauerunt, & qui litigant, iniuriam ſibi factam conqueruntur, cauſam ipſi iterùm audiant, & ſententiæ latæ rationes intelligant. Coërcitis hoc fræno Iudicibus, integra ſtabit & inuiolata Iuſtitia. Alter eſt, ſi in eum Iudicem qui à iuris & æquitatis ratione diſceſſerit, grauiſſimè animaduertant. Nec ſatis ſemper eſt Magiſtratu Iudicem iniquum priuare; grauior enim pœna ſit oportet, & hoc exemplum ſeueritatis, in alijs ſeruandæ Iuſtitiæ ſit documentum. Abditi ſunt humanorum animorum receſſus, & fraudes in ijs multæ. Igitur in Iudices diligenter eſt inquirendum. Vtile verò erit permiſſum vnicuique eſſe de fraude & prauitate Iudicum, probare ſi modò poſſit, conqueri. Nec deeſſe tunc pœna debet. Nihil enim maiorem Reipublicæ pernitiem adfert, quàm ſi iudicandi poteſtate ad iniurias Iudices abutantur

Et Iudices iniquos puniant.

Exempla cum Teſtimonijs.

NImirum ſi iudicijs aliquando interſint, & ſi Iudices iniquos puniant. De primo modo dictum lib. 1. Tit. 11. cap. 8. vbi quæritur, An Reges præeſſe iudicijs & tribunalibus debeant. Aliqui aliquando Principes hoc aggreſſi ſunt, vt ipſimet Prouincias ſuas perluſtrarent, cauſiſque ſubditorum auditis, vita moribuſque inferiorum Magiſtratuum cognitis intereſſent negotijs, aut reuiſerent, vt ſcribit loco citato Boterus. Hos autem præ cæteris maximè imitatus eſt Imp. Traianus, qui maximam Imperij Romani partem præſens inuiſit. Arithbertus Longobardorum Rex alieno aſſumpto habitu ſæpiùs in concionem prodibat, vt quid de Iudicibus vulgus ſentiret, ipſe intelligeret. Tiberius Imp. vbicumque ſedebat aut præteribat Iudices ſui officij commonefaciebat, tuerentur leges, conſcientiam ſuam non onerarent, litigantium actiones anxiè perpenderent. Idipſum hodie quoque faciunt Duces Venetiani, teſte Botero. Auguſtus Cæſar collectas è varijs auctoribus ſententias de Rep. aut Iuſtitiâ ad Iudices & Præfectos tranſmittebat, prout quemque indigere inſtructione aliquâ cognoſcebat. Alter modus conſiſtit in punitione Iudicum iniquè iudicantium. Quippè vnius iniuſti pœna infinitos ſæpè officij ſui admonet. Cambyſes Perſarum Rex Siſamni, qui pecuniâ corruptus iniuſtam tulerat ſententiam, cutem detrahi, eamque Tribunali inſterni iuſſit. Poſtea trucidati filio Otani in eandem ſedem collocato mandauit vt Patris exuuias intuens rectè iudicaret. Proculdubio multi huius ſupplicij atrocitate perterriti cauerunt, ne & ipſi iniqui Iudices deprehenderentur. Refert Herodotus lib. 5. Tiberius eodem modo P. Suillum, quod iniquè iudicauiſſet, in Inſulam amandauit. Boterus ſuggerit hunc etiam modum, nimirum vt Iudicibus ſalaria promptè ſoluantur, addita hâc comminatione, ne largitionibus dementari ſe ſinant. Ita Rex Chinæ Iudices ſuos omnibus rebus ad dignitatem neceſſarijs inſtruit, vt ſecuri curarum domeſticarum toti ad iuſtitiam ſeruandam ſint intenti.

Exempla regum ad iuſtitiam attendentium.

Seuera punitio Iudicis iniqui.

Nota.

CA-

CAPVT VII.

Principum eſſe, quantum fieri poteſt, lites è Republica tollere.

CVm boni publici defenſores ſint Principes, eorum hoc munus eſt, quâ fieri viâ poteſt, finire lites, & litigantium ſumptibus ecn-ſulere. Stare aliter Reip. pax non poteſt. Graue verò, perniciosum, imò nefas eſt lites ex litibus quotidie gigni, nec finem vllum ſperari. Lis litem parit, tribunalia onerantur, maxima Reip. pars circa negotioſum hoc litium malum occupatur, omnium ferè opes conſumuntur. Cogitent igitur Principes Iuſtitiæ gratiâ conſtitutos ſe eſſe in illo faſtigio, proindeque obſtare debere hominum quorundam malitiæ, quæ litium eſt procreatrix, nec differre Iudicium oportere, ne nimijs laboribus ac ſumptibus, qui litigant, afflicti, ius ſuum deſerere compellantur. Vbi Iuſtitia non adminiſtratur, ibi Regnum vacat. Nec Rex eſt, qui Iuſtitiam non facit. Illam qui differt, Remp. perdit. Nam litibus Ciuium potentia diminuitur, odia & diſſenſiones aluntur. Prouidâ ſeueritate cauendum eſt, ne fundata legibus Reſp. litibus euertatur. *Hoc poſtulat boni publici & pacis ratio.*

Nihil hic addendum.

PRo hac re videndum eſt in lib. 1. Tituli 12. cap. 9. de conſtituenda inter litigantes æquitate.

CAPVT VIII.

Monita quædam pro litibus extinguendis, & Iudicijs emendandis.

I. CVm ſummæ imprudentiæ ſit dubio litis euentui ac quaſi fortunæ arbitrio id committere, quod componi per Concordiam poteſt, expedit conſtitutum eſſe in omni Repub. vt litigaturi non prius ad tribunal admittantur, quàm rem omnem controuerſam componere interſe, aut viri alicuius boni æquo iudicio tentarint. Ita fiet, vt nulli ſint litis ſumptus, nulla temporis iactura, nullæ moleſtiæ; calumniæ & diffidia ceſſent, iuramentum à neutra præſtetur parte, nulla denique de litis euentu ſit cura & anxietas. Moneant Iudices igitur ad concordiam litigantes, & verò etiam vltrò offerant. Veriſſimum quippe eſt, quod vulgò iactatur: Macra concordia melior eſt pingui ſententia. At quia non rarò fit, vt ex innata quadam arrogantia, vel, ne de cauſa deſperare videantur, nec Reus, nec Actor poſtulare concordiam velit, ideò publicâ auctoritate conſtituendi ſunt aliqui publici Arbitri, litiumque compoſitores. Nec fas eſſe vlli debet cuiquam litem mouere, niſi prius coram publicis Arbitris de re controuerſa cum aduerſario contenderit. Vt tum prius Iudices conueniantur, cùm nulla concordiæ ſpes eſt. *Prius concordiam quam Iudicium tentare.*

II. Cùm cauſarum Patroni controuerſias ſuas quâdam commentario-

rum multitudine nutriant, nec vlla tam iniuſta lis ſit, quàm tueri euulgatis Iuris miſterijs non poſſint, vt litibus quotidie naſcentibus occurratur, abrogandum eſſe videtur Ius illud ſubtilius, & quod verum eſt, ad fori rationem accommodandum.

Superuacanea in iure tollenda, & leges tantùm ſequenda.

Multa profectò ſuperuacanea in Iure ſunt & inutilia, ſi mutatam Reipublicæ formam hiſce temporibus conſideremus. Aut igitur reiectis ijs Ius in artem redigendum eſt, aut omninò immutandum. Quod ſi fieri non poteſt, legibus ſemel receptis ac probatis inſiſtatur, nec illa tanta tot commentariorum moles admittatur. Ius vnum tantùm eſt, illud tot commentarij onerant, diſtrahunt, obſcurant, & nihil minus, quàm Ius eſſe efficiunt.

Punienda litigantium Malitia.

III. Multarum litium origo quorumdam litigantium malitia eſt. Hæc igitur coërcenda eſt, & conſtituenda pœna. Inprimis verò iuramentum calumniæ omni Actori proponendum eſt, nec vmquam omittendum, vt hoc Sacramenti timore contentioſa iſta malitia compeſcatur. Deterrebuntur non pauci hoc iuramento, præſertim ſi publicè & ſolemni ritu præſtetur, & litem deſerere malint, quàm illud præſtare. Verendum tamen ne periurium potius introducatur, quàm calumnia excludatur. Malitioſi ſæculi hoc vitium eſt. Sed inculcetur vis iuramenti, & periurij periculum ac pœna oſtendatur. In multis Dei timor, & Religionis reuerentia animum percellet. Addatur, vt fieri ſolet, nec vmquam omittatur, in expenſas condemnatio; imò etiam mulcta aliqua & pœna, quâ victus puniatur. Vinci numquam improbus debet illæſus, & temeraria litis ſuſceptio hoc remedio impedienda eſt. Nullus hîc nimius eſſe rigor poteſt. Et prodeſſe multum poteſt, ſi litigantes deponere in Iudicio pecuniæ vim aliquam cogantur, quam victor recipiat, victus amittat. Adiungi infamia ſolet, vt huius quoque metu temeritas & malitia quorundam refrænetur.

Litigantes ſub pœna teneantur veritatem dicere.

IV. Cùm Iudicium veritatis indagandæ gratiâ conſtitutum ſit, vt æquitas ex veritate poſteà ſtatuatur, Iudices litigantibus dicendæ veritatis neceſſitatem propoſitâ pœnâ imponent, eamque tunc ſeuerè exigent, cùm vel falſo narrauiſſe, vel aliquid contra veritatem allegauiſſe deprehendent. Ita fiet vt litigare non audeant, qui cauillationibus aliàs ſe tantùm tuerentur; & Aduocati à ſuperfluis, & nimis aliquando audacibus ſcriptis abſtineant.

Sint pro pauperibus Aduocati.

V. Ea verò cùm quorundam diuitum ſit malitia, vt vel idcircò tantùm cum pauperibus aut tenuioris fortunæ hominibus lite contendant, quia eos pares eſſe ſumptibus non poſſe ſciunt, expedit, vt in Rep. certi ſint Aduocati, qui pauperioribus patrocinentur, atque ijs ex publico ærario ſtipendium conſignetur. Quod Curijs deberi poteſt, pauperibus remittatur. Probandus ille quarundam Rerumpublicarum mos, apud quas pauperum eſt Fiſcus, quem mulctæ Procuratorum exceſſibus aut defectibus irrogatæ replent. Si pauperes litem vincant, teneantur irrogatos in litem ſumptus Fiſco reſtituere; aut certè cùm opimam nacti vitæ conditionem aliquando fuerint. Magnum hoc erit pauperum præſidium, & aduerſus copioſos homines potens remedium. Non facilè pauperes lite aggredietur, qui eos Reipublicæ ſumptibus defendendos intelliget.

Tollantur dilationes ſuperuacaneæ.

VI. Longiſſimarum propemodum æternarum litium cauſa Dilationes ſunt, quæ tam multæ, tamque ſuperuacaneæ litigantibus hodie paſſim conceduntur, & quarum ſpatia & interualla longiſſima ſunt. Itaque curandum eſt, vt nullæ omninò, aut certè quàm rariſſimæ ac breuiſſimi temporis dilationes concedantur. Qui lite contendunt, paratum ius ſuum habere debent,

debent, nec tot diuerticulis, & inutilibus dilationibus controuerſias prolongare. Ferè accidit ſemper, vt qui differre cupit, iudicium reformidet. Profectò re ſuâ ſatius eſt carere, quàm poſt tot annos victoriam expectare. Non omnibus ſufficere ſumptus poſſunt; ideoque propter eiuſmodi moras juri ſuo non paucis eſt renuntiandum. Seuerâ proinde lege ſanciendum eſt, vt ſublatis dilationum ambagibus, quàm breuiſſimè Ius partis vtriuſque cognoſcatur, ac ſtatim etiam pronuntietur. Non ferendum eſt alios alijs minari, litis finem numquam illos viſuros.

Vitia quamprimùm, & delinquentes puniantur.

VII. Quoniam autem omnium ferè litium origo ab aliquo vitio eſt, vt ab ebrietate, calumnia, nimia audacia, vi illata, & alijs eiuſmodi, optimum ad lites impediendas remedium erit, ſummâ ſeueritate vitia omnia prohibere, & delinquentes nullâ morâ, cùm factum conſtat, non ſeruato etiam Iudiciorum ordine, grauiſſimè punire.

Coërcenda eſt prouocandi licentia.

VIII. Nimia illa ad ſuperiorem Iudicem prouocandi licentia, quæ plerumque eſt ingeniorum Iuſtitiæ non parentium, omninò & legibus & pœnis eſt coërcenda. Nemini permiſſum ſit ab ea ſententia, quæ modum liti præſcribit, non finem ponit, (interlocutoriam appellant) prouocare. Citiùs enim finiri lis poteſt, quàm prouocationis cauſa cognoſci Si prouocandum quandoque eſt, iterùm calumniæ iuramentum præſtetur, ad Iudicem ſuperiorem cauſa inſtructiſſima quàm primùm tranſmittatur. Renuntiare prouocationi ſine pœna non liceat. Et ſi lite prouocans cadat, præter damnum pœnam etiam ſentiat. Multi, vt Iuſtitiam fugiant, & prouocatione vtuntur; & non raro, vt Reum fatigent, ac nimijs ſumptibus ad jus ſuum deſerendum cogant.

In inferioribus tribunalibus pauci, in ſuperioribus multi ſint Iudices.

IX. Conſultum eſt & Reip. vtile, vt in Tribunalibus inferioribus, à quibus prouocatio conceditur, vel pauciſſimi ſint Iudices, vel vnus tantùm, cui aſſideant viri aliquot alij famæ integræ, exiſtimationis probæ, litium oſores. Sit is autem legum conſuetudinumque peritus, & vſu prudens. In ſuperioribus Tribunalibus plures ſint Iudices, vt æquitas in tanta litium multitudine, plurium prudentium conſilio ſanciatur.

Teſtimonia & Exempla.

Tentanda primo concordia.

PRimum eſt, Vt priùs concordia, quàm iudicium tentetur, idque coram publicis arbitris. Nam vt vulgo dicitur, *Macra concordia vtilior eſt pingui ſententia. Non eſt*, inquit Geuara, *viri ſapientis fortuna arbitrio committere, quod per concordiam poteſt componi.* Facilè etiam eſt componere; quippè, vt ait Fronto, *Lis naſcitur, pertinacia efficit controuerſiam.* Agathcelus II. Sueonum & Gothorum Rex ſtatuit, vt omnes controuerſiæ prius ad arbitrium virorum bonorum, qui in diſſidentium territorio inueniebantur, componerentur quam ad aliquod iudicium deueniretur, vt refert Ioan. Magnus lib. 8. c. 28. Exiſtimabat ipſe ſummum ius ſæpè ſummam eſſe iniuriam, niſi bonorum virorum arbitrio præueniatur. Apud Patauinos, vt teſtis eſt M. Anton. Blancus I.C. Patauinus ſtatutum eſt, ne coniuncti vel affines in controuerſijs adeant alios Iudices, quam arbitros, coram quibus vadimonio citati, ex æquo & bono res terminetur. Olim ſtatutis Romanis duo *Pacerij* adhibebantur, qui poterant aſſumere tertium. Cuiuſmodi ſtatutum, vt refert Fulgoſius, in multis Italiæ Ciuitatibus viget. Conſtitutionibus etiam Gallicis diſtrictè obſeruari iubetur, vt habet Antonius Faber lib. 9. Cod. Archidamus Rex Lacedæmoniorum duos ex amicis ſuis litigantes in templum conuocatos rogauit, *Ecquem ſuarum litium arbitrum capere vellent*, cumque ipſum nominaſſent, *Vos igitur*, inquit, *veto hinc diſcedere, quoad in amicitiam redeatis.*

Superuacua in Iure tollenda.

Secundum eſt, Vt ſuperuacua multa in Iure tollantur, & Aduocati Iudiceſque leges tantùm ſequantur. Vnde quod plurimi voluerunt, ius in artem redigendum eſt, omiſſis ſuperuacaneis. Ni-

mirum de Magiſtratibus antiquis, de eorum officijs, de formâ iudiciorum antiquorum, de mancipijs, manumiſſionibus & alijs innumeris, quæ à ſcriptoribus litterarijs ſunt petenda. Tollendi etiam penè infiniti, qui hodie ſunt commentarij, vera, vt dicebat Metrocles Maronita de ſuis libris, quos in ignem conijciebat, *vera*, inquam, *imaginacula ſomniorum, nugæ & deliramenta*. Fit enim per eiuſmodi opera, vt nulla lis ſit, tam ſcabioſa, quæ non in vtramque partem poſſit diſputari. Ipſa iniuſtitia iuris myſterijs hodie à pleriſque, quod indignum eſt, defenditur. Galeaceus Mediolanenſium Dux, cum aliquoties audiuiſſet de vafro quodam Cauſidico, qui lites ſerere, producere, alereque etiam in liquido iure poſſet, hominem ad ſe accerſitum ita alloquitur. *Debeo Paſtori meo centum aureos, debeo, ſoluere non lubet, tu ecquid tueri me in iure & rem protelare potes?* Annuit ipſe largiter, tum Dux fraudis prius increpitum laqueo publicè iuſſit necari. Prouerbium eſt *Nimium altercando veritas amittitur.* Optimum eſt adhærere legibus & legum textui. Vnde Lycurgus prohibuit, *ne de legibus ſemel receptis diſputare liceret.*

Litigantium malitia punienda.

Tertium remedium eſt, vt litigantium malitia puniatur. Nimirum condemnatione in expenſas, de qua Reg. circumfertur, *victum victori in expenſas litis condemnandum eſſe.* Hoc verò eſt ex edicto Theodorici Gothorum Regis. *Si poſſeſſor pulſa in legibus non reddiderit rem petitam, & ſub cognitionis euentu aduerſus eum ſententia ſit lata, à die qua per auctoritatem conuentus eſt, & dedit reſponſum, expenſas litis vel ſumptus victus exſoluat.* Iuramentum etiam proponitur, de veritate dicendâ, vnde ſunt vulgares hi verſus

Iuro meam litem mihi fultam iure videri,
Nec delaturum, ſiqua rogatus ero.
Nec promiſſurum, neque cauſa falſa leuanda
Dicere, nec litem ducere velle meam.

Nota.

Operæpretium etiam hic videtur, vt litigantes magnam vim pecuniæ in iudicio deponant, idque ſecundum antiquum Athenienſium & Romanorum inſtitutum. In Galliâ anno 1563. edictum fuit, vt litigantes deponerent Sex obolos pro libra, vſque ad 25. libras: quod ſi maior ſit ſumma, ſolidum pro libra, vſque ad centum ſolidos.

Conſtituantur pauperibus aduocati.

Quartum remedium, vt pro pauperibus Aduocati conſtituantur. In Italiæ Ciuitatibus annuatim duo Aduocati conſtituuntur, qui pauperum lites gratis agant. In Germania Spiræ eſt Fiſcus pauperum, in quem pœnæ Procuratorum propter exceſſum vel defectum mittuntur; quod ſi pauperes in pinguiorem fortunam peruenjant, aut litem vincant expenſas Fiſco reſtituunt. Si Aduocati, Procuratores, Notarij gratis ſeruire Pauperibus nolint, putat Menochius eos ab officio remoueri poſſe. Nota.

Quintum remedium eſt, vt tollantur ſuperuacaneæ dilationes. In Angliâ, Scotiâ, Turciâ, Sueciâ ſummariè procedunt, & poſt prandium ad teſtimonia hominum lites determinant. Imò in Sueciâ Iudici pœna imponitur, ſi ſecundo requiſitus ad ferendam ſententiam, differat illam nec finem liti imponat. Non licet etiam ſecundum antiquas Regni conſtitutiones habere Aduocatum vel Procuratorem, ſed per ſeipſum dicere cauſam quis debet, aut ſi ineptus ſit, per amicum aliquem propinquum. Tollantur dilationes.

Sextum remedium eſt, vt vitia quamprimum & delinquentes puniantur. Optat Bodinus, vt adſit Manlius aliquis, qui eminentia in Rep. vitia ſtatim tollat. Ratio eſt, quod à vitijs lites initium capiunt, potiſſimùm ab ebrietate, calumnia, iniuria, &c. Vitia cito punienda.

Septimum remedium eſt, vt modus aliquis appellationibus ponatur. Rebuffus & Contarenus teſtantur Procuratorem quemdam Pariſienſem pro causâ 60. ſolidorum ad Iudices ſeptuageſies & vltra appellaſſe. Iudices ergo ſupremi non facilè quaſuis recipere appellationes debent, vt monet Cuſanus, aut certè ſi receperint, friuolè appellantes non ſolùm in expenſas, ſed & in mulctam pecuniariam condemnent. D. Bernardus, *Qui non grauatus appellat*, inquit, *certum eſt quod aut grauare intendit aut tempus redimere; non debet autem eſſe appellatio ſuffugium cauillantium, ſed refugium grauatorum: multi enim pendente appellatione fruuntur aliquâ re, quæ ſemper fuit iniuſtè poſſeſſa.* Statuatur modus appellationibus.

Octauum remedium optimum eſſe videtur, ſi ad vſum reuocetur Lex Cincia apud Tacitum lib. 2. quæ prohibebat pro cauſis agendis pecuniam aut donum accipere. *Lucro etiam ſapientia capitur*, inquit Pindarus. Reuocetur lex Cincia.

Quod ſi conſtitutum eſſet Aduocatis & Procuratoribus de publico ſalarium, fieret,

fieret, vt cito lites expedirent, nec litigantes excuterent, nec lites ita dilatarent & proferrent. Ludouicus XII. Galliæ Rex dicebat Aduocatos ſutoris officium impudenter ſibi vendicare. Nam quod ſutoris eſt proprium dentibus alutam producere, hoc ipſi faciunt in dilatandis prudentum reſponſis, & Cæſarum legibus.

CAPVT IX.

De Aduocatis & Procuratoribus.

Habeant ex publico ſalarium.

OPtandum hoc Reip. eſt, vt de publico ſalarium Aduocatis, Procuratoribuſque ex Iudicis arbitrio conſtituatur, ipſi verò in publicum litigantes aliquid conferant. Ita enim fiet, vt breuiſſimo tempore lites expediant, nec vlla eis miſeros litigantes excutiendi & exſugendi occaſio detur. Præterea illud expedit, vt in Collegium Aduocatorum nemo niſi rigoroſo prius examine probatus, admittatur, præſtito etiam iuramento nunquam ſe improbæ liti patrocinaturum, & quicquid Iuſtitia exiget, ad omnem cauſam allaturum. Atque hoc iuramentum flexis genibus tactiſque Sacroſanctis Euangelijs præſtandum eſt. Inſuper verò non omittendum ſingulis in cauſis calumniæ iuramentum, quod & Aduocati præſtare teneantur, &. vnà litigantes, nec antè ſunt audiendi. Vt autem eorum officium certo ordine ac modo conſtet, ſancienda hæc ſunt.

Examinentur & iurent.

Non poſſint cauillari vel conuitiari.

I. Nemini permiſſum ſit proteruâ libidine ac temeritate, vel ſcripto, vel verbo conuitiari, cauillari, iniuriam vllo modo alteri inferre. Qui ſecus fecerit, Iudicis arbitrio puniatur.

Cauſam iniuſtam deſerere teneantur.

II. Aduocatus vbi primùm iniquam eſſe litem animaduertit, eandem deſerere, & clientem admonere teneatur. Si patrocinetur, expenſarum ſolutione mulctetur. Naturam enim & leges oppugnat, qui in ſcelere patrocinium alicui præſtat. Nec poteſt iniuſta lis niſi malitioſâ cauillatione defendi. Si dubia lis eſſe videatur, ad concordiam litigantes adducat.

Factum in lite exponendum, non iura multa allleganda.

III. Aduocati factum exponere diſputareque teneantur, non Iura & innumeras Interpretum ac Commentariorum citationes allegare. Ius quod ex facto oritur, ſcire Iudices debent. Et quemadmodum ridiculum eſt ægrotum Medico curandi modum præſcribere, ita litigantem Iudici ius ipſum dicere. Breuiores hoc remedio lites erunt, & cùm de facto conſtiterit, faciliùs pronuntiabitur. Tot allegationum plauſtra lites impediunt, & nauſeam excitant. Si admittere hoc remedium corrupta hæc tempora non poſſint, ſit tamen aliquis allegandi modus; & vbi concordes ſunt multæ leges, vna ſufficiat. Idem eſto de interpretibus Iudicium. Qui falſo allegarit, puniatur. Satis occupati erunt Aduocati, ſi factum proponere cum omnibus circumſtantijs, probareque contendant. Hoc verò difficiliùs eſt, quàm allegatorum farraginem obtrudere.

Qualis eſſe Aduocatus debeat.

IV. Aduocatus nemo ſit, niſi qui litterarum & Iuris notitiam habeat, ſitque aut Doctor, aut Licenciatus, qui in conſilio ſit cautus, in patrocinio fidelis, in judicio iuſtus, in veſtitu honeſtus, in oratione diſertus. Apud eum plus boni mores, quàm diuitiæ valeant, ideóque, ſi è publico ſalarium non præſtetur, non immoderatum à litigantibus extorqueat. Iudicis hac in re legem & præſcriptum ſequatur.

Aduocati certo numero.

V. Numerus Aduocatorum, Procuratorum, Notariorum ſit certus, nimirum pro litium multitudine. Multi enim Aduocati & Procuratores multas faciunt lites, & cùm plærique tantùm ſint mancipia, lites alunt vt ſua repleant marſupia. Horum multitudo hominum non eſt ſanitas Orbis terrarum. Nimis multi hodie ad calamum ſudant. Nec ſanè opus eſt tot Sollicitatoribus, Saccularijs, Scribis, Accenſis, Oſtiarijs, Rabulis, & id genus hominibus, quorum labor in verbis, longo foliorum apparatu, ſtrepitu.

Authoritates & Exempla.

HOc hominum genus malè paſſim audit. Procuratores Plato vocat *accipitres pecuniæ, & mures aliena rodentes.* Bartholus *Canes Curiarum & deuoratores.* Sen. *venale genus clamoſi rabioſa fori iurgia vendens.* Apuleius *togatos vultures & forenſia pecora*; Lipſius *coruos fori.*

Minuatur numerus Procuratorum.

Vulgo ferunt *Aduocatorum ſicut & Medicorum tres eſſe facies, vnam Angeli neceſſitatis tempore, alteram hominis remiſſius agente morbo vel lite, tertiam Cacodæmonis finitâ lite vel reſtitutâ ſanitate.* Quare vnum etiam remedium eſt pro litibus finiendis, ſi Aduocatorum Procuratorumque numerus diminuatur. Ferdinandus Hiſpaniarum Rex prohibuit, *ne vlli Cauſidici in Indiam Orientalem ducerentur, ne litium ſemina ſecum portarent.* Matthias Coruinus *illos ex Hungariâ expulit, vbi ſine Iuriſperitis viuebant, non tamen ſine iure.* Nam ex antiquis moribus & paucis quibuſdam legibus omnes ſuas controuerſias componebant. Venerant autem illi cum Beatrice Ferdinandi Regis Neapolitani filia ac breui tempore effecerant, vt vbi nullæ erant antea lites, ibi omnia litibus feruerent, cuius rei per Nobiles admonitus Rex illos expulit. Hodie tamen tam multi iuuenes & ſine experientia in forum protruduntur, confuſores ſanè litium, qui in ipſo portu litium impingunt, ſimiles nauigantibus Athenas, qui primo anno Sapientes, 2. Philoſophi, 3. Rhetores, 4. nihil ſciebant, vt Meridanius ait. Cruda nimirum ingenia & ſtudia protunduntur in forum. Hi ſunt comptuli illi iuuenes de quibus hi verſus circumferuntur:

Vir benè veſtibus pro veſtitus eſſe peritus
Creditur à mille, quamuis idiota ſit ille
Si careat veſte, nec ſit veſtibus honeſtè,
Nullius eſt laudis, quamuis ſciat omne quod audit.

Detur ſalarium e publico.

Operæ pretium eſt, vt è publico ſalarium accipiant, quemadmodum ſupra diximus, nec niſi doctiſſimi ab Academijs ad forum accedant:

Ouidius

Turpe reos emptâ miſeros defendere linguâ,
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

Franciſcus Patritius lib. 3. de Iuſtit. Reip. *Agant cauſas patroni viri optimi, iuriſque periti, qui nihil aſturè, nihil dolo committant, ſed omnia verè loquantur, ſitque illis mendacium non impunitum.* Quintil. lib. 12. Inſtit. Or. cap. 7. *Paciſcendi quidem ille piraticus mos, & imponentium periculis pretia, procul abominanda negotiatio etiam mediocriter improbis aberit: cum præſertim bonos homines bonasq́; cauſas tuenti non ſit metuendus ingratus; qui ſi futurus eſt malo tamen ille peccet.*

Ne iura allegentur quæ ſcire Iudices debent.

Benè autem ſuadetur hic, & quoddam eſt remedium contra prolongationem litium, vt Aduocatis omninò interdicatur ne iura allegare poſſint, cum ea ignorare Iudex non debeat. Nam allegationes iuris non ſunt pars actorum; Vnde in Camerâ Spirenſi aliquando denegatum fuit ad acta poni vt refert Kellerus lib. 2. In Galliæ autem Curijs cum Aduocati iura allegant, illis dicitur, *Venite ad factum, Curia ſatis intelligit iura.*

CA-

CAPVT X.

An Iudex ſententiæ à ſe latæ cauſam addere debeat.

IVdex qui ſententiæ à ſe latæ cauſam ſcit, etſi illam reticeat, ſibi ſatisfacit; qui autem manifeſtat, alijs quoque ſatisfacit. Nemo eſt, qui ſententiæ cauſam ſcire non velit; hæc vbi declaratur, tum intelligunt omnes rectè Iudicem controuerſiæ ſtatum percepiſſe, animumque ſuum ad iuſtitiæ normam certamque regulam direxiſſe. Qui lite cadit æquo animo ſententiam fert, cuius legitimam aduertit cauſam. Hanc qui ignorat, de iniuria facta conqueritur, & ad prouocandum commouetur. *Cauſa addita omnibus ſatis fit.*

Quorundam Authoritas perſuadet.

QVando ſententiæ cauſa additur omnibus ſatisfit. Ratio hic poſita id facue perſuadet. In Curiâ Romanâ rationes vtrimque allegatæ proferuntur, & cum pro parte vna ſententia pronunciatur, partis alterius rationes in ipſa ſententia ſoluuntur. In plurimis alijs Curijs cum extenſam habere ſententiam litigantes volunt, ſententiæ ratio non obſcurè additur.

CAPVT XI.

Quibuſnam in litibus dubijs potiſſimùm ſit fauendum.

FAuendum ſanè pauperibus, viduis, pupillis. Horum enim in Iuris æqualitate vel ambiguitate procul dubio æquior eſt cauſa. Supremus ille Iudicum Iudex, qui nullam perſonarum habendam eſſe rationem vult, idem paruam haberi viduarum, pupillorum, pauperum, aduenarum curam non rarò conqueritur. Quid ſi verò Principi cum ſubdito lis ſit? In dubijs cauſis contra Principem ac Fiſcum eſt iudicandum. Quippe cauſæ æquitas pro ſubdito præſumenda eſt. Benè feret bonus Princeps, ſub quo Fiſci ferè ſemper mala cauſa eſt. Hæc de iudicijs. *Pauperibus, pupillis, viduis.* *Quæſtiuncula.*

Teſtimonia & Authoritates.

PAuperibus, viduis, pupillis; imò etiam contra Principis Fiſcum, cum dubia eſt cauſa, pronuntiandum eſt. Eccleſiaſt. 4. In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum; & eris tu velut filius altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis, quam mater. Modeſtinus l. Non puto ff. de iure Fiſci. Non puto delinquere eum, qui in dubijs quæſtionibus contra Fiſcum facile iudicauerit. Plinius in Panegyrico Traiani, quæ præcipua gloria tua eſt, *ſæpius vincitur Fiſcus, cuius mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub bono Principe.* Semper proniores ad miſericordiam eſſe Iudices debent, quam ad ſeueritatem.

TITVLVS V.

De Vectigalibus.

CAPVT I.

Quid Vectigal, qua inſtituendi & exigendi poteſtas.

CVM Regum ac Reipublicæ Maieſtas potentiâ retineatur, potentia verò in cenſu Regum & Vectigalibus conſeruetur, atque ex vtriſque Ærarium exſtat, quod Reip. neruus eſt, de his rebus ſuſcipienda quoque Politicò conſideratio eſt.

Definitio Vectigalis.

Vectigal, vt paſſim accipitur, eſt illa omnis pecunia, quæ à populo ad bellum aut ſubſidium Principis vel Reip. penditur. Vel, vt alij, eſt id quod ex his, quæ inuehuntur aut euehuntur, rebus præſtatur. Cenſus autem Regius eſt ipſum Regis patrimonium. Vulgò Domanium Coronæ vel Regni appellant.

Cenſus. Tributum.

Tributum eſt pecunia populo imperata, quæ à ſingulis pro ratione cenſus exigitur. Poteſtas inſtituendi Vectigalia vel imperandi tributa ſupremi Principis eſt, aut Reipublicæ. Eiuſdem eſt exigendi poteſtas.

Inſtituere & exigere Principis eſt aut Reip.

Vtraque inter Regalia ſeu Iura Maieſtatis numeratur. Vnde qui ſuâ in Ditione ſuperiorem agnoſcunt poteſtatem, inſtituere Vectigalia noua, vel antiqua augere ſine ſupremi Magiſtratus conſenſu non poſſunt. Porrò Vectigalium cauſa eſt publica vtilitas & neceſſitas. Quippe defendere Remp. Principes debent; id quia ſine ſumptibus magnis & præſidijs non poſſunt, Vectigalia & tributa imperant, quæ præſtare omni iure populus tenetur.

Teſtimonia & Exempla.

VECTIGAL inſtituere exigereque in Rep. Principis eſt aut Reip. Vectigalium verò neceſſitas tanta eſt, vt quemadmodum ait Iuſtinianus Nouellâ Conſtit. 149. *Impoſſibile ſit ſine ijs Remp. conſeruari.* Rationem dat Tacitus lib. 4. Hiſt. *Neque enim quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* In vectigalibus quippè & tributis Reip. ſunt nerui. Auguſtus Cæſar, teſte Suetonio in eius vita, *vt perpetuo ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos proſequendoſq; milites præſertim emeritos, ſuppeterent, ærarium militare cum nouis Vectigalibus conſtituit.* Æmylius Probus de Hannibale refert, cum Vectigalia noua inſtituiſſe, nec antiqua aboleuiſſe, nec tantùm, vt eſſet pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, verum etiam vt ſupereſſet, quæ in ærario poneretur. Nam, vt eſt in Nouell. ibi. Non aliter conſeruare licet Remp. niſi præſtationes importentur in publicum. Romani Senatores non immerito reprehenderunt Neronem Imp. initio Principatus ſui, quod Vectigalia negligeret. *Dicebant Imperij diſſolutionem eſſe, ſi fructus, quibus Reſp. ſuſtinetur, diminuerentur.* Quippè ſecundùm Thucydidem, *ita demum cuiuſque Ciuitatis libertas firmè retinetur, ſi adſit potentia, quæ hoſtibus finitimiſq; populis reſiſtere poſſit.* Porrò lib. 1. tit. XIX. cap. 2. inter iura Maieſtatis ſeu Regalia retulimus, Vectigalia inſtituere ſeu tributa imperare. Vnde ſolius eſt Maieſtatis.

CAPVT II.

Quæ res & perſonæ Vectigalium oneri ſint obnoxiæ.

Omnes, aliquæ tamen excipiuntur.

RES omnes ſanè, niſi, quæ excipiat ſit ratio. Vel inprimis verò liberandæ hoc onere ſunt eæ res, quæ ad victum ſpectant. Quippè iniquum videtur earum ratione rerum vectigalis onus ſuſtineri; quibus ad vitam ſuſtentandam carere nemo poteſt. Nec pro ijs pendendum vectigal videtur, quæ pro exercitu parantur, aut ad rus exercendum deſtinantur. Æquum autem eſt, vt Vectigalium onus ea omnia ferant, ex quibus quæſtus eſt aliquis & lucrum. Illicita illa, inhoneſta, & nugatoria olim Vectigalia pro aëre, vmbra, vrina, concubitu meretricum, hodie ne audiantur quidem.

Perſonæ quæ negotiantur.

Quod attinet ad perſonas, eæ pendere Vectigal tenentur, quæ priuata in vita negotiantur, & mercium transferendarum curam habent. Eximuntur ab hoc onere nonnulli. Fiſcus inprimis; Illi deinde Nautæ, qui Annonæ Reip. ſeruiunt: tum Legati earum ratione rerum, quas ſecum ex prouincia ſua deportant; non verò earum, quas in patriam reuehunt. Seruandus hîc tamen Gentium ſingularum mos eſt. Porrò ante omnes Vectigalium immunitate gaudere Eccleſiaſtici debent in rebus ijs omnibus, in quibus nulla exercetur negotiatio. Studioſi quoque, qui Artibus ac ſcientiis operam nauant, nullum de rebus ijs, quas ſtudiorum causâ habent, ſoluere vectigal teneantur. Quod Priuilegium Academiarum Priuilegijs adſcribitur. Ab his perſonis, qui Vectigalia exigunt, pœnæ obnoxij ſunt, & cùm alijs ſua Priuilegia diminuant, ſuis priuari ſunt digni. Certa etiam eorum eſt pœna, qui præſtare tenentur, nec præſtant. Cæterùm quemadmodum Vectigalia penduntur pro rebus venalibus, pro viæ publicæ vſu; ita Tributa præſtantur tanquam onera fructuum, & quædam penſitationes Soli ipſius & immobilium bonorum ratione. Quilibet nimirum pro patrimonij & cenſus magnitudine. Grauia illa nimium, & non ferenda, quæ in caput cuiuſque imperata.

Exempti Eccleſiaſtici & Studioſi.

Moribus patriæ acquieſcendum.

RES imprimis omnes, exceptis tamen paucis: deinde perſonæ quæ negotiantur. Non Eccleſiaſtici, non ſtudioſi, non Legati, & qui Principibus priuilegio ſunt exempti. Attendere hic ad iura oportet, & ad Patriæ cuiuſque mores.

CAPVT III.

Quæ conſideranda ſint viro Politico circa Vectigalium impoſitionem.

Conſideranda ſingulorum opes.

QVi in Republica de ratione conficiendæ pecuniæ ſeu Vectigalibus imponendis eſt acturus, cognoſcere eum inprimis oportet ſingulorum opes ac facultates, ne nimirum eas Vectigalia excedant.

dant. Quippe detrahendus eſt ramus, non arbor radicitiùs euellenda. Nec tam conſiderandum, quid Principes vel Aulici velint, quàm quid ſubditi poſſint. Inſana quorundam eſt cupiditas, qui ſuâ voluntate aut luxu Vectigal metiuntur.

Videndum ne ſubditi premantur.

Conſiderare deinde oportet, quomodò ſine ſubditorum oppreſſione conſtitui Vectigal, præſtarique poſſit, idque cum ſubditis quod cum ouibus agendum, quæ tondentur, non raduntur. Qui tam facilè Vectigalia augent, ſanguiſugæ ſunt, & quædam hirundines. Perdiſcendæ quoque & indagandæ ſunt impenſæ omnes cùm Aulæ Regiæ, tum ipſius Reipublicæ, vt qui ſuperuacanei

Sumptus ſuperuacanei tollendi.

ſunt ſumptus tollantur; qui æquo ſunt maiores, minuantur. Nam etiam diminutio ſumptuum vna implendi Ærarij ratio eſt: nec tantùm qui partæ rei addunt aliquid, ditiores fiunt, verùm etiam qui ſumptibus aliquid detrahunt.

Ne praui homines Vectigalia exerceãt.

Aliarum Gentium hac in re mores docere poſſunt. Curandum verò inprimis ne à prauis quibuſdam hominibus, qui omnes pecuniæ vias & fraudes norunt, Vectigalia tractentur. Non pauci ſæpè ſine vllo cenſu ad Vectigalium procurationem accedunt, qui intra paucos annos copioſiſſimi & ditiſſimi fiunt. Exigenda ab illis eſt quæſitarum opum ratio, & eæ illis auferendæ, quarum origo non certa.

Nec otioſi ſalaria habeant.

Ac valdè etiam conducit prouidere diligenter, ne multi otioſi homines propter neſcio quæ inania officiorum nomina annuis ſalarijs Remp. quaſi prædæ habeant; & ne Proceres auidas manus in publicas opes inijciant. Id vbi

Nec proceres Vectigalia inuadant.

fit, Principes miſeram egeſtatem patiuntur, ipſi autem lautè & beatè viuunt. Suſcipienda hæc quoque conſideratio eſt. Cùm aliquæ res ad vitam ſuſtentandam neceſſariæ ſint, vt frumentum, vinum, carnes, lanæ, veſtes, & id genus; aliæ verò ſint eiuſmodi, quibus carere poſſumus, vt ſaccarum, bombix, aromata, vinum generoſum, auium

Rebus neceſſarijs modicum, curioſis magnum Vectigal, imponatur.

ferarumque carnes, & ſimiles, quæ ad emollienda corpora animoſque debilitandos magnam vim habent, neceſſarijs illis rebus modicum, curioſis hiſce mercibus maius Vectigal eſt imponendum. Sic fiet, vt luxui potentium modus imponatur, & egenorum inopiæ conſulatur. Hi cùm exhauriuntur, graues excitant in Republica motus; illi aucto earum rerum, quibus potiſſimùm vtuntur, pretio, tantopere creſcere opibus & potentiâ non poſſunt.

Teſtimonia & Authoritates.

Conſiderandæ ſunt inprimis ſingulorum ſubditorum opes, ne ipſi nimium grauentur. Huc facit inprimis illud Tiberij Cæſaris, qui ad Æmilium Rectum Ægypti Prætorem, grauiſſima tributa, non conſideratis ſubditorum opibus, imperantem ſcripſit, *Boni Paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.* Princeps autem Paſtor eſt, qui debet ſubditos gubernare & protegere. Vnde ſicut Paſtor non deglubit aut lanam extrahit, ſed quotannis noua tonſura fructum accipit, quo priuaretur, ſi pellem detraheret, & oues examinaret, ita boni Principis eſt, cum neceſſitas exigit, ſic onerare plebem, vt modicè abradat, ſed non expilet. Idem aliquando reſpondit Cyrus, teſte Xenophonte, ijs, qui ſuadebant, vt maiora Vectigalia exigeret. Salomon Prouerb. 27. cap. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.* Idem, *Qui lac premit butyrum; qui naſum, ſanguinem, qui rixas litem.* Greg. Nazianzenus, *Mulgere & hircos ſi velit pater poteſt*

Sed ſanguis pro lacte ſaliens fluet.

Pomponius Lætus: *Qui totum lac ex vberibus ouium emulſerit agnos fraudans cibus, prædo eſt, non paſtor.*

Phocilides vetat omnes vnà pullos ex nido auferri, nulla aue cum matre relicta. Cic. ad Atticum: *Neque laudandus eſt is Princeps, qui pennas ſubditis ita incidit, vt nolit eaſdem renaſci.* Nimirum peſtis Reip. Princeps ille eſt, cui ærarium, vt Plinius

nius loquitur, *eſt ſpoliarium Ciuium & cruentarum prædarum receptaculum*, quique adeo, vt Plautus ait, *rem aufert cum puluiſculo*. Alexander Magnus cum eſſet in neceſſitate propter ſumptus militares, dona frequentiſſima, & rara ex hoſtibus ſpolia, quidam aſſentator grauandum tributis populum ſua ſit, cui Rex, *Odi*, inquit, *olitorem, qui radicitus herbas excidat*. Quamdiu enim radix viuit, colligi fructus poſſunt, vbi exſecta eſt, mox planta exareſcit. Dixit, aliquando Alexandro Ariſtoteles. *Optimum Regis theſaurum & qui tardiſſimè perdatur, eſſe populum cum diligentiſſimè cuſtoditur*. Nimirum vt inquiebat Iuſtinianus Imp. Tunc Regnum & Imperatoris & Regis Fiſcus, & ærarium opibus affluit, cum populus ei commiſſus diuitijs abundat, telluſque fœcunda eſt ac ferax. Similitudine putei res hæc pulchrè declaratur. Cùm puteus plenus eſt facilè hauritur, imò etiam exhauritur; at ſi venæ & occulti meatus, per quos humor influit, exſiccentur, & fons ex quo dimanat exareſcat, nullâ arte aut induſtriâ reſtituetur. Conſtantinus Conſtantini Magni pater dicere ſolebat, melius opes à priuatis poſſideri. Nam apud illos fructum reddunt, in cæteris Principum ſteriles ſunt & infructuoſæ. Cùm populus eſt egens & inops, & velut abſtractâ pelle nudus, nec lanam dat, quâ Princeps veſtiatur, nec cætera ad depellendam neceſſitatem profert. D. Ludouicus ita filium ſuum in teſtamento monet. *Ne ſubditis tuis tributa imperes aut imponas onera niſi neceſſitas vrgeat, teq; manifeſta vtilitas regni compellat, idq; non vltro ſed grani de cauſa facias: ſi ſecus faxis, non Rex ſed Tyrannus habeberis.*

Addimus ſecundò ad quandam vectigalium exonerationem ſuperuacaneos tollendos eſſe ſumptus. Vnde Cic. ex meo, inquit, vectigali tenui aliquid etiam redundabit detractis ſumptibus cupiditatis. Curandum præterea, ne aut praui homines vectigalia exerceant, aut regni Proceres inuadant. Illuſtre exemplum refert Mariana. Henricus III. Caſtellæ Rex cum à venatione reuerſus nihil obſonij paratum reperiret, audiuit à Regio obſonatore pecuniam & fidem ſimul eſſe conſumptam, adeo vt oppignorato pallio carnes arietinas parare debuerit. Verum cum inter prandendum audiiſſet, meliori conditione Proceres agere, & ſplendore conuiuiorum inter ſe certare, cùm fortè eodem die apud Archiepiſcopum Toletanum Tenorum cœnaretur, venit eo Rex inuoluto capite, & omnia vidit lætitia delitijſque redundare peractaque cœna narrantes ſingulos audiuit, quantum redituum ex paternis oppidis, quantum ex vectigalibus regijs quotannis perciperent. Quare poſtera die ægrum ſe finxit, Proceres aduocat, veniunt, & in arcem excluſis famulis admittuntur. Tum Rex ad eos ferro cinctus ingreditur, rogatque quot ſinguli Reges in prouincia ſua vidiſſent, cumque vel duos vel tres pro diuerſa ætate reſpondiſſent. Ego vero, inquit, viginti, & vos omnes illi Reges eſtis, qui diuitijs regni occupatis inane nomen & egeſtatem mihi relinquitis, ſed ne ampliùs faciatis, veſtrum omnium capitibus ſanciam. Mox euocat littores & ſexcentos milites armatos, quos arcano paratos habebat. Tunc omnes in genua procubuerunt veniam deprecati, ſed ad menſem alterum in arce eos detinuit, & interim vectigalia tradere ſibi regi compulit.

Documenta.

CAPVT IV.

Alia in Vectigalibus imponendis attendenda.

I. NE grauia & intollerabilia imponantur Vectigalia. Modus ſit pro rerum copia vel inopia. Qui nimium petit, vt dici ſolet, à paucis accipit; & ille graues Vectigalium exactiones nihil aliud in Repub. quàm ſeditiones pariunt & rebelliones. Quippè qui molli potentiæ manu ſubditos tractat, lætos habet & obſequentis; qui fortiter premit, ingratos & rebelles. *Ne ſint grauia.*

II. Ne noua & crebra imperentur. Odioſa hæc nouitas eſt, & ad oppri- *Ne noua.*

opprimendos inducta ſubditos putatur. Cùm noua placere ſoleant, tum quæ grauia ſunt, diſplicent. Crebra populi animos & manus irritant.

Seruetur æqualitas. III. Cùm imponuntur, æqualitas, quantum fieri poteſt, ſeruetur. Hæc vt conſtet, ſint publicâ auctoritate Cenſores & Inſpectores; qui ſingulorum bona ſtatis temporibus inſpiciant, ac tum ex æquo onera partiantur, ita vt tenuiores ciues minùs, quàm opulenti pendant. Secus vbi fit, querelæ vndique ſunt, & turbæ, dumque liuor obrepit pari dolore aliena commoda & ſuas iniurias, qui læſos ſe putant, metiuntur. Publica Vectigalium vtilitas hanc poſtulat æqualitatem.

Exigantur ſine tumultu. IV. Exigantur ſine tumultu. Vt nullus ſit, nota ſit cauſa, & Reip. neceſſitas, ac citra damnum ſolutio fiat. Vbi Vectigalia tributaque ſubditi ſoluerunt, Principum eſt quietos eos & ſecuros ſeruare, nimiamque Militum inſolentiam frænare. Nimis quippe durum eſt præſtare Principibus quod petunt, & pro eo quod ſupereſt, militibus eſſe prædæ.

Remittantur neceſſitate ceſſante. V. Cùm Vectigalium extraordinariorum cauſa ceſſat, facienda quamprimùm eſt eorum remiſſio. Poſtulat æquitas, vt qui onus in neceſſitate ferunt, ea vbi ſublata eſt, exonerentur; & vt minora pacis, quàm belli tempore ſint onera. Bene etiam ſubditis conſulunt Principes, cùm ob calamitatem aliquam, aut Patriæ depopulationem Tributa ad tempus tollunt.

Teſtimonia & Exempla.

PRimum eſt, *ne ſint grauia & intolerabilia vectigalia.* Peccauit hac in re Caligula, qui nullum rerum vel hominum genus omiſit, cui non tributi aliquid imponeret, adeoque edulijs, quæ tota vrbe vendebantur. Vnde in tantam inuidiam adductus eſt, vt XXX. vulneribus confoſſus impreſſione à coniuratis facta interierit. *Exempla.* Eandem ob cauſam Athæus Lydiæ Rex populi concurſu cum tota familia trucidatus eſt, & regia incenſa cadauer eius vnco tractum & in flumen abiectum eſt. Quod populi odium vt fugeret Darius Rex Perſarum, priuſquam tributa taxaret, Præſides Prouinciarum rogauit, num populi grauati eſſent, reſpondentibuſque illis mediocriter ſe habere, ſtatuit vt dimidium tantùm ſoluerent. Dicitur vulgo; A paucis accipit; qui nimium quærit. Decem tribus Iſraël à Roboamo defecerunt, quia nimium eas onerabat, vt habetur 1. Regum. Hungari Matthiam Regem in medio Regni curſu deſtituerunt, cum exhauſto per longa bella ærario ad noua Vectigalia & tributa confugere cogeretur. Franci Theodorum Regem, quod populum tributis premeret de Regno deiecerunt, vt refert Bodinus lib. 6. de Rep. Idem in Ludouicum XI. graue bellum excitarunt, vt exactiones auerterent. Seruandus hac in re eſt modus. Id exemplo Ludouici Sfortiæ Ducis Mediolanenſis confirmatur. Miſerat hic ad Genuenſes Legatum, vt pecuniæ vim ingentem extorqueret. Exceptus eſt hoſpitio à quodam primario Ciue, qui ab accubatione epulari cum Legatum in hortum duxiſſet animaduerſam baſilici herbam accepit, & dans Legato, *Cape*, inquit, *& leniter tracta*, fecit, & ſuauiſſimum odorem deprehendit. *Nota.* Tum ille rurſum, *preme herbam*, preſſit Legatus, & odorem inſuauiſſimum afflari ſenſit. Mox, *Domine*, inquit, *Si Dux Ludouicus molli ſua potentia manu hanc vrbem tractet, lætam & obſequentem inueniet*, at ſi fortiter premat, ingratum rebellionis & impatientiæ odorem percipiet. Licinius Cæſaris libertus cum Galli menſibus ſingulis darent certum tributum, fecit quatuordecim menſes. Accuſatus & adductus in periculum vitæ, dedit Auguſto omnia, vt vitam deprecaretur.

Secundum eſt, *ne ſint noua & crebra.* Cum frequentibus bellis exhauſto ærario ſeu Fiſco tributum nouum Ciuitatibus impoſuiſſet, populus Antbiochenus Vectigal illud nouum non tulit, *Exemplum proſum.* & cum exactores quoſdam è ciuibus in carcerem conijcerent, crudeliter traherent, ſuſpenderent, mouit ſeditionem,

nem, & Placillæ Vxoris Theodoſij ſtatuam deiecit, & fune ad pedes alligato per ciuitatem cum opprobrijs traxit, vt teſtis eſt Nicephorus. Procleres lapidatus fuit à populo Treuirenſi, quod conſilium dediſſet Theodoberto Regi pro imponendis nouis exactionibus. Maluerunt nonnulli Imperatores ſua vendere, quam nouis tributis populum onerare. Sic Nerua & Tacitus Imperatores cum vrgeret neceſſitas pecuniarum, bona ſua patrimonialia, vel ea quæ delitijs proprijs inſeruiebant, potius vendebant, quàm populum grauarent, teſte Dione in Nerua & Vopiſco in Tacito, Marcus Antoninus cùm bello parando pecuniæ deficerent, vaſa omnia aurea, argentea, criſtallina, gemmas etiam plurimas in theſauro Adriani Imperatoris repertas cum præcipua ſuppellectile mundoque coniugis publicè vendidit, ne noua tributa imperando ciuitatibus aut Prouincijs grauis eſſet. Erythrius autem Præfectus Imperij ſub Zenone Imp. maluit ſe abdicare Magiſtratu & officio ſuo, quàm maius onus præter tributa ordinaria populo imponere, cum tamen Fiſcum exhauſtum largitionibus & profuſionibus Cæſarum, nec eſſe ſufficientem ferendis publicis impenſis videret, vt teſtis eſt Suidas. Expedit ſemper diligenter inquirere, num populus ferendo ſit, antequam tributum imponatur. Deinde quomodo exactores ſeſe erga populum gerant. Ludouicus primus Hungariæ Rex, ne plebs & ruſtica multitudo grauioribus, quam par eſt, tributis ac portorijs à Quæſtoribus & Præfectis oneraretur, neue iniquis iudicijs grauaretur, diſſimulato ſemper habitu vicos & oppida luſtrauit perſcrutaturus mores Publicanorum & Præfectorum, vt non minus Optimatum quam plebis curam geſſiſſe videretur. Sæpè etiam de moribus Regijs percunctabatur, & è ſimplicium hominum reſponſis ſeſe ipſe quandoque notabat, vt refert Bonfinius lib. X. decadis ſecundæ.

Tertium eſt, *vt ſeruetur æqualitas. Inæqualitas enim tributorum* ſæpè cauſa eſt rebellionum. Id patuit tempore Coſini Medicæi apud Florentinos, vbi exorta bella ciuilia ſunt propter pecuniarum exactiones, quibus tenuiores Ciues magis, quàm opulenti premebantur. At Coſini iuſſu & conſilio ſinguli facultates ſuas in cenſum detulêre, quo factum eſt, vt æqualitas vbique ſeruaretur. Quando omnes onus aliquod ferunt, & ſinguli pro viribus ſuis, leuius eſſe ſolet malum. Vnde Seneca:

Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat.

Quartum eſt, *vt exigantur ſine tumultu; ac deinde ceſſante neceſſitate remittantur*, alioqui periculum eſt ne ſubditi fidem & obſequium exuant. Sic plebs Romana ſeceſſit in montem Auentinum deſerto Senatu cum aſſidua eſſent, & non remitterentur tributa. Vnde prudenter Q. Metelli nepos Prætor cùm noua tributa paſſim Italiam offenderent, legem tulit, vt tollerentur. Marcus Antoninus Imp. cum nulla neceſſitas cogeret, Vectigalia in Imperio remittebat. Eodem modo fecerunt Adrianus & Marcus, qui viceſimam hæreditatum, quæ bellorum temporibus introducta fuerat, ſuſtulerunt. Conſtantinus Magnus, vbi Tyrannidem ab orbe Chriſtiano expulit, tributa penitus relaxauit. Henricus IV. Galliæ Rex pace cum Hiſpano firmata, ſubditis Vectigalia extraordinaria remiſit, & quæ reſtabant ex antiquis expunxit. Idem faciendum eſt, cùm ſunt publicæ calamitates. Sic Tiberius Sardinianis in quinquennium Vectigalia remiſit, propter aſperrimam luem. Et Theodoricus Gothorum Rex Gallis propter damna ab hoſtibus accepta.

CAPVT V.

An Rex ſeu Princeps bonorum omnium, quæ ſubditi poſſident, Dominus ſit.

Regni caput ac Dominus Rex eſt, ei obedientia & obſequium debetur. Eius eſt Regnum procurare ac tueri, atque ideò patrimonium ſuum, ſua Vectigalia, ſuos reditus habet. Non verò fortunarum, quas ſubditi poſſident, Dominus eſt, nec auferre pro arbitrio *Rex non eſt Dominus bonorum vniuſcuiuſque.*

In neceſſitate tamen æquum eſt illi aliquid contribuere.

trio poteſt. Cùm verò in Regio cenſu publiciſque Vectigalibus ad neceſſarios pro Regni adminiſtratione vel Religionis defenſione ſumptus ſubſidij ſatis non eſt, æquum eſt, vt qui ſub eius ſunt poteſtate, ſuis opibus illi opitulentur. In publicum enim Regni bonum hoc omne auxilium redundat. Vnde cùm neceſſitas eſt, Tributa imponere noua fas illi eſt, eo qui ante dictus eſt, modo, & quem ſeruare, qui bonus eſt Princeps, ſemper debet. Qui de Republica bene meriti ſunt, eximi hoc onere ab eo debent, aut certè poſſunt. Fauorem etiam hunc homines ærumnoſi merentur. Nam eorum tutor eſt, quicunque Princeps.

Sola hic ratio ſufficit.

NEgamus hic, & hoc dubium ſolâ ratione ſoluimus. Neceſſitatis tempus aliquid Regi amplius permittit.

TITVLVS VI.

De Ærario.

CAPVT I.

An expediat in Repub. Ærarium eſſe.

Ærarium omninò neceſſarium eſt.

VT diues in Republica Ærarium ſit, danda eſt opera. Illud publica neceſſitas tum bellorum gerendorum, tum procurandorum pacis ornamentorum exigit. Hodiè voluntarijs vti militibus Principes coguntur, quibus cùm feuda rarò, aut non omnibus, vt olim, dare poſſint, Ærario egent locupletiori, vt ſtipendia perſoluant. Benè ſanè Reipublicæ conſultum eſt, cùm patrimonium velut quoddam habet, agros, nemora, & id genus poſſeſſiones, quæ ad ſubſidium Reip. certâ ciuibus mercede locantur, & ad tempus. Optimè verò cum ea agitur, quæ paratam pecuniæ vim non exiguam poſſidet. Sine ea nec occurri hoſtibus poteſt, nec Regnum propugnari, nec neceſſitatibus ſubueniri. Cùm periculum impendet, & occaſio potentiam requirit, ſerò de Vectigalibus & Ærario cogitatur. Veterum olim Rerumpublicarum exempla hodiè ſunt hac in re documenta. Reipublicæ vis & neruus Ærarium eſt.

Authoritates & Exempla.

DEVTERONOMII 17. cap. prohibetur ne Rex multiplicet aurum. Sic & Iulianus Imp. nunquam pecuniæ augendæ cupidus fuit, quam cautius apud priuatos ſeruari exiſtimabat. Alphonſus Rex Neapolitanus dicere ſolebat *Regum inprimus ſtudium & officium eſſe populares ſuos locupletes efficere; popularibus enim ditioribus factis nec vtique Reges pauperes futuros.* Traiani Cæſaris Apophthegma fuit *Fiſcus lien eſt*, quod eo creſcente reliqua membra tabeſcant, adeò etiam vt aucto Fiſco ciuium paupertas arguatur. Lycurgus Lacedæmonios Ærarium habere noluit. Athenienſes tempore Themiſtochis Ærario caruerunt. Iudicamus tamen expedire Æra-

rium

rium in Rep. eſſe. Atque ea omnium ferè olim Reip. alicuius conditorum opinio fuit, qui agros, nemora, aliaſque poſſeſſiones, & quoddam quaſi Reip. patrimonium eſſe voluerunt. Sic olim ager Campanus relictus fuit vectigalis ad ſubſidium Reip. eumque Cæſar inter ciues diuiſit. Sic Ioſephus effecit, vt Ægyptij perpetui eſſent Coloni, & quintam fructuum partem Regi darent. In Turcia Ærarium eſt, & ferè conſtat ex donarijs, quæ ab alijs Principibus, potiſſimùm Chriſtianis, dantur, tum & à ſubditis & ſeruis eum nemini vacuis manibus in eius conſpectum venire concedatur: Magnificentiæ quippè tribuunt, immenſam ſecum trahere vtilitatem. In Turcia itidem qui habitant Chriſtiani, vel Iudæi omnes tributa ſoluunt, & lege Mahometana cautum eſt, ne à Turcis tributum vllum exigatur. Sic & Ærarium Romanum ex hoſtium ſpolijs & deuictorum tributis conſtabat, vt nulla extraordinaria collatione opus fuerit.

CAPVT II.

Quanam ſit Ærarij augendi ratio.

DVplex Ærarij augendi ratio eſt: vna quâ ſemper vti Principes & Reſp. poſſunt; altera quâ ſummæ tantùm neceſſitatis tempore. In priori illa ratione nihil à ſubditis exigatur, niſi quod præſtare facilè poſſint, & Iure debeant. In altera neceſſitatis habenda ratio eſt, quæ minor aliquando eſt, aliàs maior. Pro eius exigentia contribuendum eſt. Mala extrema, extrema etiam remedia poſcunt. Vbi hæc neceſſitas abeſt, abeſſe quoque ab Ærarij puritate debent compendia omnia, nimiumque ſubtiles & turpiter ingenioſæ pecuniarum accumulandarum rationes. Præſtat ſanè Remp. inopem habere, quàm ad diuitiarum cumulum per diſcriminum & dedecorum veſtigia peruenire. Nec audiendi ſunt à Principibus illi, qui ad excogitandas pecuniarum captiunculas promptiſſimi ſunt & exercitatiſſimi. Eiuſmodi homines ſubtilibus illis rationibus ſuis lentè torquent ſubditos, & ad extremam miſeriam paulatim deducunt. An non omnia ſatius eſſet ſimul & ſemel auferre? Miſerrimum eſt toties fieri miſerum.

Duplex eſt, vna ordinaria, altera in neceſſitate.

Porrò augendi Ærarij modos aliquos Politici ſuggerunt, aliquos ſubiungemus.

I. Videant Principes num aliqua Regionis pars ſit deſerta, aut rebus minùs vtilibus deſtinata. Hanc excoli quàm diligentiſſimè curent & ingentem inde fructum percipient.

II. Exigantur pecuniariæ mulctæ à Fœneratoribus, Blaſphemis, Calumniatoribus, temerè lites ſuſcipientibus, atque alijs eiuſmodi. Caueant tamen Principes, ne plus pecuniam, quàm delictorum punitionem amare videantur.

III. Placet nonnullis, vt ad Ius Gentium Principes ferarum vſum reuocent, ſaluo Regali ſemper Iure, & in ſingula capita Vectigal conſtituant. Multùm id ſanè publicè prodeſſet.

IV. Curent Principes, quantum fieri poteſt, metallorum, ac potiſſimùm auri argentique fodinas. Hoc profectò lucrum vera eſt Principum mercatura, cui præter Principes manum admouere nemo poteſt.

V. Pecuniæ quoque publicæ parandæ ratio vna eſt (vt aliqui volunt) Mons Pietatis, vt appellant, ſi iuſto ac debito modo inſtituatur. Eſſe tamen ad lucrum non debet. Improbanda verò illa Fortunæ olla, ex qua publicè ſortes extrahuntur. Omninò etiam reijciendus Alchymię vſus.

Ab hac quippe abſtinere non tantùm Principes debent, verùm etiam, ne quis ſubditorum vtatur, ſeuerâ lege ſancire. Quamquam his omnibus in modis antè dictis maturo opus eſt iudicio, & attendi Religionis populorumque conditio debet.

Modi nonnulli cum ſuis authoribus.

Varij hic modi ſuggeruntur, abſint tamen omnia compendia & nimium ſubtiles turpiterque ingenioſæ pecuniarum accumulandarum rationes. Dicebat Pertinax Imp. *præſtat Remp. inopem habere, quam ad diuitiarum cumulum per diſcriminum atque decorum veſtigia peruenire.* Suadebat quidam Aulicus Ferdinando Aragoniæ Regi Neapolitano mandaret ipſe, vt quicumque ſtipendium de Regio Ærario acciperet, pro ſingulis centenis aureis quatuor annuos in ærarium referret. Subtilem hanc inuentionem admodum Rex commendabat, cum fortè, tum aſtans quidam Eques, *O Rex*, inquit, *vt multo tibi ſim commendatior, id tibi conſily dederim, vt nobis omnibus, quos paſcu & veſtu victum & veſtitum eripias.* Quo audito Rex tacitè rationem eius agnoſceos, ſiluit. Maſſiniſſa Rex Numidiæ, Numidiam ex inculta & deſerta omnium fructuum abundantiſſimam reddidit. Qua de re Boterus lib. 7. Politiæ ſuæ. Bornitius lib. 1. de Ærario cap. 4. ſuadet, vt Principes vſum ferarum ad ius gentium reuocent, iure tamen regali illibato ſibique vectigali in ſingula capita referuato. Idem Bornitius ſuggerit imitandum exemplum Philippi Macedoniæ Regis, & Perſei patris, qui vectigalia regni non tantum fructibus agrorum auxit, ſed metalla vetera iam intermiſſa recoluit, & noua multis locis inſtituit. Modus etiam eſt quidam Ærarij augendi per Montes Pietatis, de quibus infra. Item per Alchimiam, de qua hi rythmi per Andream de Valentia ſunt editi.

Illa eſt ars ſine arte Cuius ſũma pars ſine parte,

Cuius mater otiari,	*Cuius verba ſunt mugari.*
Cuius votum denigrari,	*Cuius fama annotari.*
Cuius proba eſt mentiri,	*Cuius via impediri.*
Cuius labor eſt inflare,	*Cuius fructus mendicare.*
Cuius finis deſperare,	*Cuius merces nuſquam ſtare.*
Cuius pœna eſt perire,	*Et in cruce interire.*

CAPVT III.

An deceat vt Principes per Agriculturam vel Mercaturam Ærarium augeant.

Neutro modo decere videtur. INdigna Principum perſonis res eſt Agricultura. Nam cùm in eorum poteſtate ſint Oppida, Ciuitates, fluuij, lacus, Exercitus, omneſque illis obediant, ac Maieſtatem reuereantur conſentaneum omninò rationi eſt, vt ſubditos cæteris vti fruique rebus permittant, ac ipſi ſuis Vectigalibus gaudeant. Quod ſi tamen ea ſint loca, quæ ſine Principum ope reduci ad culturam non poſſint, opem Principes ac ſubſidium primò ferant, tum ſubditis locent, quorum tota ſit cura. Nec mercatura decere Principes poteſt, & indecorus illis eiuſmodi quæſtus videtur, niſi fortè per alios exerceant. Ad eos tamen Annonæ cura ſpectat, cùm belli, tum pacis tempore, ex cuius copia ſuis omnibus, ac deinde vicinis opitulentur, nec exiguam pecuniæ vim parent. Quorundam olim Principum ſordida ac penè crudelis negotiatio fuit.

Varia Exempla.

NEutro modo decere videtur. Ratio hic eſt, & de ea re iam diximus alibi. Apud Romanos *omnu queſtus Patribus indecorus eſt viſus*, vt ait Liuius. Aliqui tamen aliquando Principes negotiatione & mercatura aliqua Ærarium auxerunt. Rodolphus Bohemiæ Rex Alberti Cæſaris filius ex Auſtria aduehi curabat hordeum, triticum, ſalem, vinum, & pretia pro arbitrio ſuo conſtituebat, vindicando ſibi in eo genere monopolium, vt diſſolueret debita per vtrumque Wenceſlaum contracta. Idem fecit Laurentius Medices Florentiæ Princeps ad diſſoluendum æs alienum. Alphonſus Rex Neapolitanus porcos ſuos alendos & cuſtodiendos dedit ſubditis, & demortuos ſibi exſoluere cogebat. Inſtituit etiam monopolium emendo omne oleum Regni & triticum adhuc in herba modico pretio, quod ipſe poſtea ſummo pretio reuendebat. Antonius Leua Mediolanenſis Præfectus à Carolo V. conſtitutus lege prohibuit, nequis triticum moleret aut panem penes ſe faceret, ſed emere in tabernis cogeretur, & ad hoc addidit ſignum imperatorium. Sic pro arbitrio pluris panem vendebat. Fuit tamen iſta ſordida, & penè crudelis negotiatio.

CAPVT IV.

Quibus modis conquiri pecunia in neceſſitate poſſit.

VAria variorum temporum neceſſitas nouos conquirendæ pecuniæ modos inuenit. Ecce aliquos Politico noſtro proponimus. *Varij modi conquirendæ pecuniæ.*

I. Rerum in foro venalium pretium augeri ad tempus poteſt, & quod plus ſolito eſt in Ærarium referri.

II. Ea quibus carere patria poteſt, omnia emere, & in hoſtium terras inuehere; vt ex ipſis hoſtibus aduerſus hoſtes pecunia comparetur.

III. Quantum vno die in cibos ſinguli expendunt, conferre tantum poſſunt, ac ſibi quaſi ieiunium indicere. Parua moleſtia eſt, & magna vtilitas.

IV. Certæ Præfecturæ, adminiſtrationes Regiæ, & dominiorum tituli vendi aliquando ad tempus poſſunt, vt pecunia ſit prompta.

V. Auctum monetæ pretium ad tempus, etiam in duplum, magnum eſt habendæ pecuniæ compendium; potiſſimùm ſi ad Principem omnium nummi deferantur, poſtea reſtituendi.

VI. Imminuere libræ pondus vſitata quoque habendæ pecuniæ ratio eſt. Pars enim aliqua in lucrum venit.

VII. Statuere vt mediam vel aliquam ſtipendiorum aut honorariorum partem Magiſtratus omnes atque alij etiam remittant.

VIII. Curare, vt aurum ſuum argentumque omnes in medium conferant, cuiſque inde nummis cum partis alicuius lucro reſtituere.

IX. Proponere Principes beneuolentiam ſuam ac fauorem ijs omnibus poſſunt, qui pro neceſſitate aliquid erogauerint. Et illis ampliùs faueatur, qui plus attulerint.

Alij innumeri ſunt modi, quos perſequi propoſitum non eſt; nunquam verò ijs, niſi extrema ſit neceſſitas, vtendum.

Bb 3 *Varij*

Varij populorum antiquorum modi.

SVggeruntur hic varij modi, quos hiſtorijs & quibuſdam Rerump. inſtitutis confirmabimus.

Romani pro obſidione Mutinenſi contra Marcum Antonium, vt quatuor obolos ſoluerent in ſingulas quaſque tabulas ædificiorum, quæ Romæ habent, viris Senatorijs indixerunt.

Bizantini pecunia egentes, omnia publica fructifera ad tempus vendiderunt; infructifera in perpetuum; tum ex venditione rerum omnium tertiam partem acceperunt.

Heraclienſes pro belli apparatu omnia acceperunt in foro ad victum venalia conſtituto ſolutionis tempore, tum ea onerarijs nauibus impoſita hoſtibus diuendenda miſerunt, ſicque pecuniam ante bellum acceperunt & aduerſus hoſtes vſi ſunt.

Tamerlanes eodem ferè modo cum Ciuitatem aliquam inuadere vellet tecto conſilio mercatores cum pellibus pretioſis & rebus alijs ad eam mittebat, curabatque vili pretio vendi, vt ſic illi pecunias non defoderent vel aſſeruarent, tum Ciuitatem de repente inuadebat, & ſuas pelles recipiebat.

Selibriani ſtatuerunt, vt ſinguli Ciues dempto annuo victu frumentum omne in publicum deferrent, quod cum factum eſſet, aliqua data parte poteſtatem referendi conceſſerunt.

Lacedæmonij decreto ſanxerunt nihil ſe guſtaturos, nec ſeruos, nec iumenta vno die, & quantum quis ſolitus eſſet in cibum vno die impendere, tantum contribuere debebat.

In Lotharingia quoque anno 1594. indictum fuit pro neceſſitate belli, vt quantum quiſque ſoleret vno die cum familia in victu conſumere, tantundem contribueret.

Nota. Mauſolus Rex Cariæ prætextu quod alius Rex ab eo tributum poſtularet, pecuniam ſibi à ciuibus contribui curauit. Sic plerumque Reges prætexunt neceſſitatem vel belli, vel publici ædificij vel munitionum.

Hippias Athenienſis vendidit omnes Præfecturas, Magiſtratus, & adminiſtrationes. Multi etiam hodie Principes ſuorum dominiorum titulos vendunt certa aliqua pecunia ad tempus.

Leucon promulgauit ſe aliam monetam percuſſurum, proinde quilibet ſuos nummos adferret, vt alia forma excuſi valerent. Id cum omnes feciſſent aliud ſignum impreſſit dupliciqúe pretio vnumquemque nummum eſſe iuſſit, ſicque dimidiam partem eorum, quæ collegerat, lucratus eſt.

Romani bello punico 1. libræ pondus imminuerunt, ſicque quinque partes lucrifecère, & æs alienum diſſoluerunt. Poſtea Hannibale vrgente Q. Fabius Max. pondus iterum imminuit & dimidium lucrata eſt Reſp.

Clazemenij preſſi ære alieno ferreum nummum pro argenteo excuderunt.

Enicus Lupides Comes Tendillanus in bello Granatenſi in ſummâ rei pecuniariæ deſperatione dum expectaret pecunias à Rege Ferdinando & Iſabella Regina, fecit ſcedulas ex pergameno ſua manu & nomine ſignatas, quaſdam vocauit aureos, quaſdam aſſes, ſemiſſes, &c. iuſſitque vt his chartis emptiones & commercia fierent, ſe pro fictitijs illis veras pecunias poſt receptionem daturum.

Dominicus Michaël Dux Venetorum in expeditione Aſiaticâ & obſidione Tyri, cum defectu pecuniæ ſtipendium remigibus, & ſocijs naualibus ſoluere non poſſet, ex loro pecuniam publica forma ſignauit, & pro aurea argenteaque certis diſtinctam characteribus in ſtipendium numerauit, pollicitus ſe domi pari numero veros nummos daturum, quod & factum eſt.

Epheſij mutuo à fœminis aurum quod portabant, acceperunt.

Edouardus IV. Angliæ Rex certum genus exactionis excogitauit, quod *beneuolentiam* appellauit, vt nimirum omnes amici pecuniam ad belli ſumptus erogarent, & qui plus daret, plus à Rege amari cenſeretur.

Anno 1456. Caſimirus Poloniæ Rex pro bello Pruſſico imperauit hoc tributum, vt Rex ordoque Eccleſiaſticus & Equeſter vniuerſus dimidium annuorum cenſuum, & ex honoribus fructuum conferrent; oppidani factâ bonorum mobilium æſtimatione binos groſſos ex ſingulis marcis, agreſtes ſingulos groſſos in capita marium & fœminarum.

Piſiſtratus Athenienſis omnium rerum decimas exigebat. Veneti in bello contra Maximilianum, præter ea, quæ ex

ex officiorum venalitate collegerant, ſanciuerunt vt omnes inquilini in ærarium inferrent mediam partem fructuum ex locatione domorum prouenientium. Et in bello contra Iulium II. Pontificem ſtatuerunt, vt intra 25. dies omne aurum argentumue cælatum ad duumuiros deferrent nummis cudendis, id eis aurum argentumue cum lucro partis decimæ accepto ferendum; qui non tuliſſent eorum bona venderentur.

CAPVT V.

An expediat, vt æs alienum ad vſuram Principes contrahant.

VSitatus hic quidem modus, ſed qui Regna non rarò exhaurit. Quippe vt vſuræ ſolutio fiat, Vectigalia Regni & reditus oppignorantur: vnde nouis & extraordinarijs tributis opus eſt, atque inde turbæ ac tumultus. Nam vbi ſemel inualuêre, numquam abrogantur, in legem ac conſuetudinem abeunt. Sic fit, vt nec mala malis tollantur, & certiſſima Rebuſpublicis ruina impendeat. *Non videtur expedire.*

Sufficit hic ratio.

EXpedire non videtur, & ratio hic allegata ſufficit.

CAPVT VI.

An Montes pietatis in Rebuſpublicis ſint recipiendi.

IMprobare nemo poteſt, ſi his conditionibus conſtituantur. Egenis tantùm & indigenis mutuum detur, nec infra annum vnum. Pro mutuo pignus relinquatur. Vltra ſortem aliquid ſoluatur, modicum tamen, nec mutui ratione, verùm pro domo, Miniſtris, pignorum cuſtodiâ, rationum libris, & id genus neceſſitatibus. Stato tempore ſi pignus non referatur, vendatur; detracto, quod ſupereſt, pretio, reſtituatur. Horum Montium per oppida paſſim vſum eſſe ſanè expediret. Iuuant illi plebem, non, vt vſurarij, exhauriunt. Æſtimari pretio aliquo laborem, nemo iniuſtum æſtimabit. *Recipiendi ſunt certis conditionibus.*

Authoritas Eccleſiæ allegatur.

AB annis iam 160. recipiuntur in Rebuſp. montes Pietatis, quo tempore multi pij viri ingentes pecuniæ ſummas ad pauperibus mutuandum deputarunt. Inſtituti autem ſunt his conditionibus 1. vt pauperibus tantum & indigenis detur mutuum. 2. vt ad certum tempus, v. g. annum vnum aut paulo amplius. 3. vt qui mutuum accipiunt, dent pignus, ne montes intereant. 4. vt minutum quid ſoluant pro conductione domus, ſtipendio miniſtrorum, cuſtodia pignorum, libris rationum & ſimilibus neceſſitatibus. 5. vt ſi tempore præſcripto non ſoluerint, pignus vendatur, & detracto pretio neceſſarijſque, reliquum illis reſtituatur. Hos montes Pietatis approbauit Leo X. in Concilio Lateranenſi vna cum ipſo Concilio. Concilium Tridentinum vult eiuſmodi montes tanquam pia opera per Epiſcopos viſitari.

CAPVT VII.

An Principes neceſſitatis tempore ad iuuandum Ærarium ſuum exigere aliquid ab Eccleſiaſticis poſſint.

Sine Pontificis auctoritate non poſſunt.

EXigere omninò fas eſt, ſi ſummi Sacrorum Principis auctoritas iubeat. Sine ea infringi Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum immunitas non poteſt. Honorandæ enim ſunt, non grauandæ ſacræ illæ Perſonæ. In eos nulla Principibus conceſſa poteſtas eſt. Sunt Eccleſiaſticis ſua munia & onera, à quibus cùm alij eximantur, inuidere illis ſuam immunitatem non oportet. Eorum res dicatæ ſunt Deo, ac propterea in vſus alios non transferendæ. Ex ijs, quod debent, Eccleſiaſtici Præſulibus ac Pontificibus ſuis præſtant, diuinum cultum procurant, templa reſtaurant, pauperibus & Religioni, vbi neceſſitas exigit, auxilio ſunt. Indignum ſanè eſſet ſacrum Ordinem cum alijs confundere, & Vectigalium ſolutione quaſi proſtituere. Quod ſi verò ingens Rempub. oppreſſura neceſſitas videatur, & pro foribus ſit bellum, decet equidem vt ſacer Ordo Reipub. laboranti non deſit, ſed iubeat ſummum illud Eccleſiæ caput. Si haberi tam citò eius mandatum non poteſt, & in mora periculum eſt, ipſi conſentiant Eccleſiaſtici, & verò etiam vltrò offerant. Eorum conſenſum approbet deinde, qui ſacri Ordinis, & omnium eius bonorum ſupremus eſt Dominus. Nunquam felici exitu aut negotia ſua, aut vitam clauſerunt, qui religioſa Eccleſiaſticorum bona temerè violauerunt. Nec vnquam claudent, qui violabunt.

Authoritates & Extempla.

SIne auctoritate ſummi Pontificis nihil exigi ab Eccleſiaſticis poteſt. Id confirmatur auctoritate Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. Pontifice cap. 19. Et Concilij Lateranenſis ſub Leone X. ſeſſione 9. Et Concilij Toletani tertij cap. 21. Deinde conſtitutionibus Alexandri IV. Bonifacij VIII. Clementis V. quibus omnibus locis ſtatuitur & confirmatur immunitas Eccleſiaſticorum. Druidæ Sacerdotes olim in Gallia, & Ægyptij Sacerdotes omni immunitate gaudebant. Et Rex Aſſyriorum ſubditis omnibus ſuis ne tributum vllum imponerent Sacerdotibus & Leuitis neue imponendi poteſtatem haberent, mandauit. Nicolaus III. Pontifex reprehendit Ludouicum & Carolum Reges, quod oneribus militaribus detinerent & onerarent Epiſcopos & perſonas Eccleſiaſticas. Excommunicantur etiam nominatim in Bulla Cœnæ Domini Romæ pronuntiata, qui tributa, collectas & onera Eccleſiæ & Eccleſiaſticis imponunt. Sunt tamen qui exiſtimant dari caſus, quibus res & perſonæ Eccleſiaſticæ onerari tributis per Principes poſſint.

Primò in caſu vrgentis neceſſitatis. Sic Ioas Rex Iſraël tulit omne aurum & argentum vaſaque, quæ erant in domo Domini. Idem fecit Rex Ezechias. Addunt omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam, per ſolutionem autem tributi probari ſubiectionem. Hinc D. Ambroſius. *Si tributum petit Imp. non negamus, agri Eccleſiæ ſoluunt tributum.* Produci poſſent variæ ſententiæ variorum Conſiliorum & Senatuum, quibus vrgente neceſſitate aliqua bonis Eccleſiaſticorum impoſita ſunt vectigalia, & extortæ contributiones, & perſonæ Eccleſiaſticæ ad militares vigilias euocatæ. Porrò in caſu neceſſitatis Pontificem Maximum conſulere oportet, & eius conſenſum obtinere. Sic Alexander VI. Maximilia-

noI.

no I. Imp. pro bello Turcico ſubſidium ex bonis Eccleſiaſticis conceſſit. Sic Dauidi Pruſio Scotorum Regi, magna vi auri redempto à ſuis & in Scotiam reuerſo ſummi Pontificis & Prælatorum conſenſu Eccleſiaſticorum redituum decima pars liberaliter donata eſt. Tempore quo Veneti bellum geſſerunt aduerſus Baiazetem Alexander 6. Pontifex omnium prouentuum, quibus Sacerdotes in Imperio Reip. Venetæ fruerentur, partem plus tertiam Venetis conceſſit, Cardinalium Sacerdotijs exceptis. Leo X. permiſit Francisco I. eius nominis Gallorum Regi Florentiæ congreſſus, vt in Gallia citeriore & vlteriore, ſacerdotiorum reditibus binis decumationibus decumaret. Paulus III. in bello Germanico contra Proteſtantes anno 1546. permiſit Carolo V. Imp. dimidiam partem bonorum Eccleſiæ ſumere per Hiſpaniam, & ex annuis prouentibus Monaſteriorum Hiſpaniæ diuendere, donec aureorum millia quingenta conficeret, ea lege tamen, vt de ſuis bonis tantundem illis inuicem oppignoraret. Alexander Sextus in vſum belli Gallici pecuniam omnem belli ſacri nomine coactam (quam cruciatam appellauerunt) Neapolitano Regi conceſſit, quam tamen pecuniam niſi contra Religionis Chriſtianæ hoſtes nefas erat conſumere. Plures fuerunt eiuſmodi caſus alij ſummæ neceſſitatis.

CAPVT VIII.

De Conſeruatione & adminiſtratione Ærarij.

COnſtituto in Repub. Ærario, hæc Principis prudentis ſit cura, eo parcè pureque vti. Remoueantur otioſi quidam & inutiles homines, qui ſalarijs ſuis Ærarium arrodunt, nihil in illud ſuo labore conferunt. Quoniam etiam bella Ærarium euertunt, hæc temerè non ſuſcipiantur. Ac nihil inde ad luxum aut probra hauriatur; abſintque Scurræ, Lenones, Mimi, Scorta, & eiuſmodi plura virtutum dehoneſtamenta. Publicus Ærarij diſpenſator conuertere illud in oblectationes ſuas ſolus non debet, quod omnes dederunt. Nihil niſi optimè merito largiatur, ſemperque menſuram teneat, & finem reſpiciat. Magnæ opes non multa capiendo, ſed multa non perdendo quæruntur. Vbi nullus erogandi modus eſt, ibi perditio eſt. Nec dedecet Principem ſuo ſe pede metiri, vt expenſæ reditus non excedant. In omnibus frugalitas, parſimonia, & rationis ſeruanda regula eſt. Expedit à peregrinationibus crebris ac longinquis abſtinere; opera, quæ ad oſtentationem tantùm ſint, non moliri; luxum, & inutilem equorum, canum, & ſimilium apparatum tollere. Facit etiam ad Ærarij conſeruationem diligenter aduertere, ne reditus perdantur, & ea, quæ cenſum debent bona, non alienentur. Sit Principum hoc axioma. Contra Principes præſcribi non poſſe. Regiæ Coronæ bona nullâ auctoritate alienari. Aut extrema ſanè ſit neceſſitas. Præterea id prouidendum omni curâ, vt Præfecti Ærarij ſummæ probitatis ſint viri, & à cupiditatis ſordibus puri. Horum probitas magna opulentiæ Regiæ pars eſt.

Vtendum parcè.

Nihil inutiliter expendendum.

Nihil perire permittendum.

Exemplis Confirmatur.

HÆc conſeruatio adminiſtratioque in eo conſiſtit, vt Ærario parcè Principes vtantur, nihil inutiliter expendant, nihil perire permittant. Imitari debent Antoninum Pium Imp. qui ſalaria ab otioſis & inutilibus auferebat, *nihil ſtolidius eſſe*, inquiens, *imò crudelius nihil, quam ſi Remp. ij arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent.* Septimius Seuerus ita parcè & moderatè vſus fuit ærario,

Nota,

ærario, vt Romam longè ditiſſimam reliquerit. Alexander Imp. rarò cuiquam niſi militi pecuniam diuiſit, *nefas eſſe dicens, vt diſpenſator publicus in delectationes ſuas ſuorumq; converteret id, quod prouinciales dediſſent.* Maximilianus Primus Imp. nihil cuiquam niſi opimè merito largiebatur illud identidem dictitans, *Tene menſuram & reſpice finem.*

CAPVT IX.

Monita quædam de Quæſtoribus, & Ærarijs.

Sint pauci Ærarij. I. CVm Quæſtores, Ærarij, Coactores & Exactores, vt vocant, neceſſarium ſint malum, expedit vt huius mali quàm minimum in Rep. ſit. Sint igitur eiuſmodi homines quàm pauciſſimi. Conficiunt enim & abſumunt Regum bona, maiorque Vectigalium & tributorum pars in eorum manibus manet, quàm in Ærarium inferatur. Grauius eſt populo tot Coactorum ſumptibus ſatisfacere, quàm petitam à Principe pecuniæ vim perſoluere.

Ipſæ Prouinciæ vectigalia adferant. II. Conſiderent diligenter Principes, an non ipſis & Reip. vtilius eſſet, ſi Ciuitates ſingulæ aut Prouinciæ ad præſtitutum diem ſuis ſumptibus & integrâ fide Vectigalia ſua ad Regiam vrbem, vel in locum alium adferrent; non verò tot Coactores & Quæſtores eſſent, qui miſero populo tantam moleſtiam infligunt.

Cogantur Quæſtores ad rationes dandas. III. Conſultum videtur, vt Quæſtores & Ærarij omnes ad acceptorum rationes ſeuerâ lege cogantur, & depeculatores, nullâ ſpe veniæ, grauiſſimè caſtigentur. Dent etiam ſuorum bonorum ab officio Quæſturæ ſuſcepto quæſitorum rationem. Multi quippe, vt veterum quidam dixit, Publici fures in auro & purpura viſuntur, cùm interim priuatorum fures in neruo & compedibus ætatem agant.

In vna Prouincia, vnus ſit Quæſtor. IV. Singulis in Prouincijs veterum exemplo vnum eſſe Quæſtorem fortaſſe præſtat, qui Vectigalium ſoluendorum curam habeat, & apud quem coacta pecunia deponatur. Huius officium non longi ſit temporis. Si ſuam integritatem induſtriamque caſtè & ſincerè agendo probarit, honore altiore donetur: ſin ſecus, ignominiâ notatus, de alio Magiſtratu deſperet.

Multi alij ſunt modi, quibus Fiſco & Ærario poteſt caueri; at plures ſanè, quibus cum præda Quæſtores diſcedunt. Nullibi faciliùs quàm in tractanda Reipublicæ pecunia peccatur. Sine macula vix quiſquam eſt inuentus.

Exempla & Authoritates.

NImirum, vt pauci ſint Quæſtores & Ærarij, deinde vt ipſæ Prouinciæ, ſi ita fieri poſſit, Vectigalia ad Principem adferant, tum vt cogantur Quæſtores ad rationem reddendam, & vt vna in Prouincia vnus tantum ſit Quæſtor. Conqueſtus eſt aliquando Galliæ populus apud Sanctum Ludouicum Regem, quod grauius ſentiret damnum ex collectione & exactione Quæſtorum, quàm ex ſolutione ſortis; nam pro decem millibus cogebantur ſoluere triginta. Vnde Bodinus lib. 3. de Rep. refert ſe interfuiſſe Comitijs anno 1556. apud Tectoſages, vbi illi ſupplicabant Henrico Secundo Regi, vt Depeculatores illos à Prouincia remoueret, ſe laturos ei, quod peteret, ſicque fore, vt maioribus impenſis parceret, & totum quod peteret, acciperet. Sanctus Ludouicus ita in teſtamento ſuo filium ſuum Philippum monet. *Ne ſubditis tuis tributa imperes aut imponas onera, niſi neceſſitas vrgeat; & vide vt probi viri ſint Quæſtores tui.*

TITVLVS VII.

De Moneta.

CAPVT I.

Quid Moneta, quæ eius materia & forma?

MONETA eſt bractea quædam metallica ſupremi Principis auctoritate pro commodiore rerum permutatione ſignata æſtimataque. Dicta eſt à monendo, quod Principis, vel pretij, vel alterius rei homines ipsâ ſigni impreſſione admoneat. Dicitur & Nummus. Eius materia communiter hodiè Æs, Argentum, Aurum. Forma eſt character ille, quo moneta ſignatur, & à quo pretij valoriſque iudicium eſt. Is plerumque eſt eius Principis imago, vel inſignia, cuius auctoritate cuditur. Vel aliud certè ad eius arbitrium. Priuati alicuius imaginem inſculpi nefas eſt. *Definitio Monetæ.* *Materia & Forma.*

Aliqua conſideranda cum Authoritatibus.

POLITICI omnes & Iuriſconſulti monent tria conſideranda eſſe in omni moneta, Materiam, formam, pondus l. I.C. de Vetuſt. Numiſ. Nicolaus Oreſmius cap. 2. libri ſui, probat aurum & argentum metalla eſſe ad monetam aptiſſima, quia pretioſa ſunt, & facilius portari, atque adeo ad mercaturam maiorem habilia eſſe poſſunt, vt refert Kekermannus in Curſu Philoſophico diſp. 31. q. 20. Bodinus lib. 1. de Rep. cap. 10. ſcribit nihil poſt legem magis in Rep. neceſſarium eſſe, quàm nummorum pretium, pondus & imaginem. Quid enim eſt nummus, *niſi menſura commutandarum rerum*, inquit Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 6. De nummo Plato lib. 5. de Legibus, *Primus eſt*, inquit, *& vltimus in commutatione, adeoq; maximè neceſſarius ad quotidiana commercia & omnes vitæ vſus.*

CAPVT II.

Cuius ſit Monetam cudere.

MOnetam cudere ſolius eſt ſupremi Principis, aut Reip. quæ Iura Maieſtatis habet; aut eius, cui id à ſuprema poteſtate Priuilegio conceſſum eſt, vel conſuetudine præſcripſit. Eiuſdem eſt publicam monetæ æſtimationem ſeu valorem addere ſub pœna Maieſtatis læſæ à ſubditis ſeruandum. Quare Maieſtatis læſæ fit reus, qui ſuo nomine monetam fabricat, vel Principis iniuſſu cudit, aut adulterat, aut radit, aut reſcindit. Qui reus eſt, recepto iam more exurendus eſt. Pro re nummaria hæ præcipuæ ſunt leges. *Supremi Principis eſt.*

Legitimos Nummos reprobare nulli fas eſto.

Numiſma publicè ſignatum nullus violato.

Pro vſu & ratione temporum ſanciri aliæ poſſunt.

Autho-

Authoritatibus confirmatur.

SVpremi Principis eſſe reſpondemus. Qua de re diximus inter iura Maieſtatis ſeu Regalia lib. 1. de ea re etiam agitur in tit. quæ ſint Regal. l. penult. & vlt. C. de falſis Monet. Item l. 1. Cod. de Vetuſt. muniſin. Bodinus lib. 1. de Rep. cap. 10. Tanto olim in pretio fuit hæc poteſtas, vt certum Maieſtatis argumentum cum purpuræ veſtitu fuerit. Vnde Vopiſcus in Firmo. *Cum diceret Firmum latrunculum fuiſſe, non Principem; contra ego illum & purpura vſum & percuſſa moneta Auguſtum eſſe vocitatum.* Ante tempora Germanorum Cæſarum, non reperiebatur moneta, niſi Imperatorum auctoritate & effigie cuſa, nec quiſquam inferior exercere hoc ius poterat, lib. 2. C. de falſ. monetis *In monetis tantummodo noſtris cudendæ pecuniæ ſtudium frequentari volumus.* Et C. fin. eod. generaliter prohibetur, ne quiſquam ſuper cudendo ære vel ex reſcripto, vel annotatione Imperatoris ſibi arripiat facultatem. Vnde Iudæi offerentes Chriſto denarium, & rogati cuius eſſet nummus, reſponderunt eſſe Cæſaris. Temporibus etiam Caroli Magni eodem in ſtatu poteſtas cudendæ monetæ fuit; poſteà verò communicata eſt in Germania Principibus, Comitibus, Ciuitatibus. Vnde fit, vt tam diuerſæ hodiè ſint inſcriptiones & imagines monetarum.

CAPVT III.

An Princeps non mutato monetæ valore de eius pondere, vel bonitate adulterato metallo detrahere aliquid poſſit.

Non poteſt populo inconſulto.

PRinceps populo inconſulto adulterare monetam ſanè non poteſt. Nam aurum argento, val argentum ferro pari pondere mutare nemo concedat; quod tamen accidere nemo neſcit, cùm auro argentum maiori ex parte, vel argento æs immiſcetur, vel alio quouis modo adulterato metallo moneta cuditur. Non audiendi proinde illi, qui in Aulis, & apud Principes ad ſupplendam publicam inopiam, vt aiunt, id fieri ſuadent, quod quicquid monetæ detrahitur, id Principibus cedat. Imò etiam occultas quaſdam mutandi argenti aurive rationes pollicentur. Quorundam quoque id conſilium eſt, vt Principes ſubditorum nummos accipiant, ex ijs aliquid detrahant, vel immutent, atque ita diminutos vel immutatos æquali prorſus valore reſtituant. Qua ex re ingens ſanè ad Principes lucrum redundat. Videant autem Principes an non Æquitas reclamet.

Teſtimonia & Exempla.

NOn poſſe inconſulto populo exiſtimamus, quia rei tum publicæ tum priuatæ maximopere intereſt ne legitima moneta reprobetur aut mutetur. Bodinus lib. 6. cap. 3. *Non modo,* inquit, *corrumpi moneta, ſed ne mutari quidem poteſt ſine incommodo Ciuitatis, quoniam mutatio pretij ac materiæ numiſmatum, cenſus etiam ac bonorum cuiuſque dubitationem adfert, quo fit, vt nemo quantum in bonis habeat conſtituere poſſit.* Incerta ſunt etiam pacta, conuenta, quæ verſantur in ſocietatibus, tutelis, fiducijs, mandatis, rebus emptis. Idem ait, *Principi non magis licere, improba numiſmata cudere, quàm occidere, quàm graſſari, nec à Iure Gentium, quo quidem auri & argenti pretium conſtitutum eſt, diſcedere, niſi Regis nomen ac ſplendorem amittere, & falſa moneta fabricator,* quam Princeps appellari

pellari mal:t. Dantes Poëta Philippo bello Franciæ Regi probro dedit, *quod numiſmata corrupiſſet, ac dimidiam æru partem argento miſcuiſſet, vnde frequentes in Gallia tumultus fuerunt.* Cuius facti cum Regem pœnituiſſet, ac nummos priſtinæ bonitati reſtituiſſet, Ludouicum filium admonuit, ne deinceps adulterari numiſmata pateretur. Kirchnerus de Rep. diſput. 20. *In moneta*, inquit, *adulterina nomen & imago Principis non modo in præſentis aui, verum etiam in poſteritatu manu erubeſcere cogitur.* Sed nec falſificare monetam Princeps ex hac cauſa debet, quod nimis turpe & deteſtabile ipſi ſit fraudem committere, & in eo reperiri, quod in alio turpiſſima morte deberet punire, vt ait Keckermannus luco ſupra citato. Plerumque cùm Princeps adulterat pecuniam ſequitur mercium & annonæ caritas. Henricus VIII. Angliæ Rex, poſtquam ab Eccleſia receſſit, inter mala alia argenteam pecuniam deprauauit. Nam quæ vndecimam æris partem admixtam habebat, eo ſenſim redacta eſt, vt ſextam argenti modo partem retineret. Veterem ipſe pecuniam à prouincialibus curraſit nouâ & praua pari numerò & pondere mutatam. Sfluit populus tantiſper hominis ſæuitiam veritus, cui luſus erat Ciuium ſanguis. Eo tamen extincto ab Edouardo filio impetratum eſt, vt valor monetæ ad ſemiſſem decreſceret. Elizabetha poſtmodum Regina ſemiſſem iterum reliqui valoris detraxit, vt refert Nicolaus Sanderus lib. de Schiſmate Anglicano.

CAPVT IV.

Vnde conſiderandus ſit Monetæ valor.

MOnetæ valor, qui per Principis legem imponitur, à naturali eius valore diſcrepare non debet. Hic igitur conſiderandus eſt. Et quamquam monetæ formam mutare Princeps poſſit, eius tamen ſancire valorem iuxta metalli bonitatem, pretium eius legitimum ac pondus conſiderando, debet. Addatur ſanè aliquid ad metalli valorem pro cudendi labore, neque enim eſt nefas. *Ex naturali eius valore.*

Explicatio cum Authoritatibus & Exemplis.

QVi accuratius rem monetariam diſcutiunt duplicem conſtituunt monetæ bonitatem, vnam intrinſecam, quæ eſt bonitas ipſius metalli, alteram extrinſecam, quæ in valore impoſititio eſt. Bonitas metalli in liga eſt. Liga apud monetarios eſt ſpecies mixturæ, vel gradus metalli propter admixtionem vilioris materiæ. Galli appellant Alloy. Duplex verò eſt Liga auri & argenti. Auri bonitas ſeu æſtimatio aſcendit ad 24. gradus, nec fieri humanâ induſtriâ perfectius poteſt. Gradus vulgò appellantur caracta, vel ceratia: vnum caractum diuiditur in 12. grana Argenti ſumma bonitas ad 12. denarios exſurgit, quorum vnus in 24. grana diuiditur. Quæ diuiſionis ratio eadem eſt, ſiue aurum ſiue argentum ſit puriſſimum. Aliqui monetales computant per lotones & grana, & tunc ſumma tam auri quàm argenti bonitas eſt ſexdecim lotonum. Intrinſecam monetæ bonitatem metiuntur pede monetariorum, qui cuique monetæ generi præſtitutus eſt habitâ ratione metallorum, quorum in Europa & plerſque alijs mundi locis pretioſiſſimum aurum eſt, poſtea argentum, denique æs ſiue cuprum. Hic pes monetariorum nihil aliud eſt, quàm præſcripta miſcendorum metallorum proportio. Eſtque duplex vnus aurifabrorum, ſecundum quem tenentur ſua aurea vaſa & argentea conficere, de quo in omnibus Regnis ſunt Principum conſtitutiones. Alter eſt monetariorum. Sic pes ducatorum eſt 23. caractorum & 8. granorum; pes aureorum florenorum eſt 18. caractorum & 6. granorum. Ita de alijs nummis iuxta Regnorum conſtitutiones. Videri Chaſſanæus poteſt pro præſtantia auri cognoſcenda in catalogo Gloriæ mundi p. 1. Conſ. 61. & ſeqq. Item parte 5. Conſ. 31. & parte 12. Conſ. 95. Franciſcus Picus Mirandula in libello de auro æſti-

mando. Darius Perſarum Rex vnum auri talentum 13. argenti talentis æſtimauit, vt eſt apud Herodotum. Hipparchus apud Platonem aſſeuerat vnam auri portionem eſſe duodecim portionum argenti. Romani cum Ætolis paciſcentes, vt eſt apud Liuium lib. 38. pro decem argenteis aureum vnum recipiebant. Imperante Sergio Galba vnam auri partem duodecim & dimidia argenteis valuiſſe colligitur ex Suetonio. Tempore Plinij quindecim argenti libræ æquiualebant vni libræ auri, ſicut ex eius libro 33. cap. 3. colligit Budæus lib. 3. de Aſſe. Arcadij & Honorij temporibus vna auri libra quatuordecim argenti libris æſtimabatur, ſicut accipiunt l. vnic. C. de argenti pretioſ. Georgius Agricola lib. de pretioſitate metallorum tradit ſuo, hoc eſt, noſtro fermè æuo, auri partem vnam vndecim & tertia vndecimæ argenti partibus emi.

CAPVT V.

An cùm neceßitas eſt extrema, immutare monetam vel ei aliquid detrahere Princeps poßit.

NEmo Sapiens neceſſitati legem ponit, & ne publica ſalus in periculum veniat, tentandum eſt omne remedium. Quando igitur extrema neceſſitas eſt, Principi metalla miſcere, vel de pondere partem aliquam detrahere omninò fas eſt. At verò, vbi neceſſitas tranſiuit, praua iſta moneta antiquanda eſt, adulterandi licentia tollenda. Quippe propter pecuniæ prauitatem plerumque commercia ceſſant, & odio populus in Principem conſurgit. Ipſa etiam Annonæ & mercium caritas creſcit, cùm ita comparatum ſit, vt, quod de pecuniæ bonitate detractum eſt, recuperare cariùs vendendo Mercatores velint. *Poteſt in neceſſitate non vltra.*

Teſtimonia & Authoritates.

POteſt in neceſſitate, non vltra. Quippè neceſſitas ſemper excepta intelligitur l. 13. & 49. ff. famil. Herciſc. Fieri ergò in neceſſitate poſſunt ærei nummi, vt olim apud Romanos, teſte Alexand. ab Alex. lib. 4. vel ferrei, vt eſt apud Spartanos, teſte Plutarcho in Lycurgo: vel coriacei, vt apud eoſdem, teſte Sen. de Benef. lib. 5. cap. 14. vel papyracei, vt apud Siculos; vel Scortei, lignei, cartacei, vel cuiuſcumque generis alterius, cuiuſmodi fecerunt aliquando Romani in obſidionum, calamitatum, & bellorum difficillimis temporibus. Eâ tamen æquitatis lege, vt mutatis in priſtina temporibus diſpendia ſubditorum à Principe & Rep. reſarciantur. Exempla huc pertinentia ſuperiori titulo retulimus ad caput 4.

Quod attinet ad pœnam falſorum monetariorum, olim apud Ægyptios ſi qui monetam circumciderent, aut cuderent adulterinam, aut pondera aut ſigna mutarent, aut falſis litteris inſcriberent, illis manus ambæ amputabantur, vt quæ corporis pars peccaſſet, pœnas etiam lueret, per vniuerſam vitam, teſte Diodoro Siculo lib. 1. cap. 6. Sueci vt eſt apud Olaum lib. 6. cap. 13. adulterinam monetam colliquabant, & in ora falſariorum infundebant, vel ſublimiori in trabe circumligabant per totum corpus, moneta vndique ſplendente, iiſque gulam frangebant. Hoc tempore ferè viui ſemper calido in oleo comburuntur.

TITVLVS VIII.

De Annona.

CAPVT I.

Principum eſſe Annonæ prouidere.

VIVERE ſanè neceſſe eſt, & vltimum humanorum ſuppliciorum eſt fames, quâ mori miſerrimum eſt. Hæc verò cùm oriatur ex Annonæ caritate commeatuumq́ue defectu ac penuriâ, Principum eſt ſummâ curâ Annonæ prouidere, ne quâ neceſſititate populus laboret. Prouidebunt autem curando, vt & granaria omnia in ſuis Prouincijs aperiantur, & ex alijs ad vitam neceſſariæ res aduehantur. Inter arcana Regni ad obtinendam populi beneuolentiam, hoc quoque eſt, ne grauis Annonæ caritas ſit. Et ſanè nihil laudabilius eſt, ac bonis Principibus dignius, quàm in Annonæ caritate fameq́ue plebi miſeræ ad vitam ſuſtentandam pane & rebus alijs ſuccurrere, granariaq́ue ſua & Magiſtratus Ciuilis promptuaria aperire, leuiq́ue pretio cibaria populo exponere. Nihil profectò eſt famente plebe vehementius conciatiuſq́ue.

Curandum ne quâ neceſſitate populus laboret,

Teſtimonia & Authoritates.

ANNONÆ cura multum bello paceq́ue Reſp. iuuatur. Vnde monet Plato lib. 8. de Legibus, vt in Ciuitate ferantur accuratè leges de copia & ratione ſubuehendæ habendæve Annonæ. Exemplum præbet Ciuitas Romana, cui ſumma & ſeuera Annonæ cura ſemper fuit. Ex Africa & Ægypto alijſq́ue Prouincijs Romam vehebatur frumentum ad alimenta Ciuium, eoq́ue pacto plebeiorum impetum, qui in Annonæ defectu facilè erumpit, cohibebant. Nam vt ſcribit Keckermannus diſp. 30. *Nihil periculoſius famelico populo, quem non arma, non magiſtratus, non iura diuina aut humana, non leges, non pudor aliquis coërcere valet.*

Iuxta illud Lucani:

—— *Neſcit plebs ieiuna timere.*

At verum etiam eſt ſecundum eumdem lib. 2.

—— *Summa fauoris*
Annonæ momenta trahi.

Iulius Cæſar bellis Germanicis intentus ne populus fame laboraret, Romam reuerſus eſt, & frumentum in Annonæ difficultatibus leuiſſimo pretio, interdum nullo, viritim populo diſtribuit. Calognius de recta Principis inſtitut. cap. 78. Marcus Antonnius Philoſophus Italicis Ciuitatibus, famis tempore frumentum ex vrbe donauit, omniq́ue frumentariæ rei conſuluit, & grauiter prouidit, teſte Iulio Capitolino in eius vitâ. Horum exempla imitatus Caſimirus Rex Poloniæ, annonæ penuriam & famem inſignem anno 1362. copia frumenti prudenter mitigauit, vt habet Herbortus lib. 10. Hiſt. Polon. Idem quoque in Rep. Venetorum obſeruari, teſtis eſt Contarenus lib. 4. de Rep. Venet. Item in Norica, in cuius granario trecentotum annorum aceruos ſibi oſtenſos fuiſſe ſcribit Kircknerus de Rep. diſp. 21. Omnibus verò primùm exemplum dedit, vt habemus Geneſis cap. 41. 47. & 48. Ioſephus, qui frugum abundantiam in ſingulis Ægypti Ciuitatibus condidit.

CAPVT II.

Præfectos Annonæ eſſe debere, & quomodo illi prouideatur.

CVm multi ſint, qui Annonam flagellant, frumentorumque & rerum aliarum venditiones reddunt cariores, quibus irrogari ſeueriſſima omninò coërcitio debet, neceſſarium eſt, vt Annonæ Præfecti conſtituantur, qui Principum aut Magiſtratuum iuſſu granis publicè vendendis emendiſque præſint. Horum officium ſit curare, vt grana à fraude vel negligentia aduehentium incorrupta in horrea transfundantur, vt cùm humore concepto vitiata non fuerint, aut non nimiùm concaluerint, ad menſuram ponduſque reſpondeant. Porrò vt Annonæ prouideatur, hæc erunt obſeruanda.

Officium Præfectorum Annonæ.

Modi prouidendi Annonæ.

I. Commercia cùm Nationibus alijs moderatis vectigalibus iuuentur, non tributorum grauitate impediantur.

II. Totâ Prouinciâ agri diligentiſſimè colantur. Hoc vt fiat, prædia & agri per Magiſtratus aliquos luſtrentur, qui colonorum induſtriam præmijs excitent, ignauiam mulctâ puniant.

III. Sint rerum ad victum neceſſariarum terrâ marique faciles cùm inuectiones, tum euectiones. Vt nimirum eæ res, quibus Prouincia abundat, cum alijs permutentur, & eas, quibus caret, ab alijs recipiat. Id ſanè conſultius, quàm vt rerum earundem venditiones eodem in loco repetantur, per quas rerum pretia augentur.

IV. Flumina nullo iniecto impedimento ſint nauigabilia.

V. Annonæ Curatores habitâ temporum & vbertatis ratione ex Magiſtratus conſilio granis & rebus venalibus pretium imperent, non vendentibus liberum relinquant. Eorum tamen Agricolarum ratio habeatur, qui tantùm in mancipio agros habent, certâ aliquâ pecuniâ aut parte fructuum debitâ. Magno enim ſudore quicquid habent emerunt, & multa inopſque familia plerumque ſuſtentanda eſt.

VI. Curandum verò inprimis, ne grande aliquod ſcelus publicè exiſtat. Nam illud, ita iubente Deo, plerumque totus populus communi malo & rerum inopiâ luere debet.

Teſtimonia & Exempla.

DEſcribitur hic officium Præfectorum Annonæ, & modi ſex prouidendi Annonæ ſuggeruntur. Præceptum eſt Imperatorum Valentiniani & Valentis in l. 2. C. de conditis in publicis horreis, vbi ita reſcribunt Anthemio Præſidi. *Cum ad quamlibet vrbem manſionemve acceſſeris, protinus horrea inſpicere te volumus vt deuotiſſimis militibus deputata & incorrupta ſpecies præbeantur.* Eſt exemplum Romanorum, apud quos Præfectus Annonæ erat conſtitutus, ad cuius officium pertinebat, vt Annona vrbi pararetur, & vbiuis panis copia redundaret, pondereque iuſto venderetur. Talis Præfectus fuit Ioſephus in Ægypto apud Pharaonem Geneſ. 41. Nehemias etiam conſtituit, qui eſſent fideles ſuper horrea, Nehemiæ cap. 13. Olim qui frumento emendo præerant dicebantur *Sitones*, & *Sitoniæ munus*, id eſt frumentationis, teſte Budæo. Apud Athenienſes dicebantur *Fori Curatores.* Apud Venetos hodie *Cereales*, item Prouiſores. Roboamus filius Salomonis in Ciuitatibus munitis ſui regni conſtituit horrea ciborum, ſeu, vt ait D. Hieronymus, frumentorum, hoc eſt olei & vini.

vini. 2. Paralip. cap. 11. Ezechias iuſſit parari horrea in domo Domini, quo primitiarum reliquiæ in futuram neceſſitatem conderentur. Monet autem vtiliter Kekermannus vt pro tempeſtatis & annonæ ratione de rerum pretio ſtatuant, ne vendentium arbitrio æſtimentur, ſed iuſto pretio diſtrahatur, atque inprimis apud eos, qui panem & potum vendunt, exemplo Hollandorum, apud quos certis temporibus publicè proclamatur, quanti piſtores vendere panem debeant. Item Venetorum apud quos veteris iuſtitiæ Ædiles cibarijs pretium adſcribunt. Vt autem caritas Annonæ quantum humanæ induſtriæ eſt præcaueatur, vt monet Patricius de Rep. Tit. II. hoc agere Magiſtratus debet, ne frumentum exportetur in magna copia, ſed aduehatur potius permutatione facta ex vicinis Regionibus. Imò vt monet Guerinus Piſo, & poſt eum Kekermannus cogat eos qui frumentum poſſident, vt vendant quod proprio vſui ſupereſt; nec patiatur vt quis Ciuium plus frumenti vimque queſtus cauſa apud ſe reponat, quam rerum illius vſus expoſcere videtur: vſque adeo *priuatus illu cenſus ſit breuis, commune verò bonum magnum.*

Nota.

CAPVT III.

Quæ remedia contra Annonæ caritatem eſſe poſſint.

I. PRæcipuum ſanè remedium eſt aſſiduis ad Deum precibus confugere. Prouidebit ipſe aliunde, aut conſilium, quo malo occurratur, ſuggeret. *Variæ ſunt remedia.*

II. Lautiora conuiuia famis tempore prohibeantur, & Popinæ ſeu diuerſoria illa, in quibus Epulones, Ganeones, Lurcones deliciantur, omninò claudantur. Non tamen ea, quæ peregrinorum ſunt in neceſſitate diuerſoria.

III. Famis etiam tempore, quæ aliàs multis in locis interdicta ſunt, Piſcatio, Aucupium, Venatio concedantur.

IV. Vrgente Annonæ caritate dimittendi è Republica ſunt peregrini, &, quæ aliorum turba inutilis eſt, remouenda.

V. Proponantur ijs præmia, qui aliundè frumentum adducunt. Si quod damnum tempeſtate aliquâ patiantur, reſarciatur.

VI. Ad Annonam iuuandam indici publicè Ieiunia expedit.

VII. Conſtituantur aliqui, qui ſingulis Ciuitatum Vicis & Inſulis præſint, proque numero Ciuium, oportunitateque & neceſſitate frumentum diſtribuant iuxta taxatam à Principe ac Præfectis Annonæ menſuram.

Remedia alia ſuggerunt nonnulli. Vt nimirum panico & milio tritici penuria ſuppleatur. Ex herbis oleo & ſale conditis cibi conficiantur. Carnes areſiant & ſint pro pane. Oriza & Lupulus ad famis leniendum tædium adhibeantur. Suggeruntur & aliæ herbæ, quæ famem ſitimque pellunt, & vires tuentur.

Varij modi exemplis confirmantur.

Ad Deum recurrere.

VAria hic media ſuggeruntur. Æacus cum Delphicum oraculum de fame conſultum reſpondiſſet nullum eſſe remedium, montem conſcendens manibuſque in Cœlum ſublatis, vt Græciæ miſereretur, communem Deum exorauit. Cornelius Tacitus benignitate Dei Romam Claudio Imperante liberatam narrat. Hoc primum remedium ad Deum recurrere.

Putant aliqui panicum & milium in aliqua quantitate collectum tempeſtiuè ege-

egeſtatis tempore tritici penuriam ſupplere poſſe. Sic Maſſilienſes, teſte Iulio Cæſare, pro caſibus, qui ciuitati imminere poterant, magnam panici & hordei copiam contulerant. Alij putant in neceſſitate fieri poſſe cibos ex herbis oleo & ſale conditis. Alij ſuggerunt carnes areſieri debere, & ſic pro pane ſufficere. Præterea butyrum, Hypacem & liquiritiam ad famem ſitimque pellendam & vires tuendas opportunas eſſe. Scythæ dicuntur duodecim diebus famem perferre poſſe, duabus tantùm herbis Hypace & Sciatice.

Tradunt etiam orizam & lupulum famis tædia valdè lenire. Tempore Auguſti Cæſaris, cùm fames vrgeret, gladiatores mancipiaque venalia vltra ſeptuaginta millia paſſuum ab vrbe reiecta fuerunt. Nobiles, atque etiam ipſe Auguſtus, multos ex ſuis miniſtris dimiſerunt. Permiſſum Senatoribus, vt quo vellent, abirent; vetitum ne qui publicè natalibus ſuis epularentur. Omnes peregrini vrbe exacti ſunt. Quo exemplo, vbi fames vrget, turba inutilis planè remouenda eſt. Nota. Claudius Imp. bono exemplo propoſuit prœmia ijs, qui nauibus frumentum adducerent, & damna, quæ maritimis tempeſtatibus patiebantur, ipſe reſarciebat, & naues hac de cauſa fabricantibus opem ferebat. In Lydia tempore Aris Regis exiſtente magna rei frumentariæ neceſſitate voluerunt populum occupari ludo talorum, teſſerarum, pilæ, vt ſic fames leniretur, atque ita factum eſt, vt diuiſo populo vna die pars vna comederet alijs ludentibus, altero die pars altera comederet. Sic fiebat vt media pars tantùm aleretur. Alias in Lydia, & nonnunquam in vrbe Romana ad famem leniendam & annonam iuuandam indicta ſunt ieiunia. Expedit etiam famis tempore, vt conuiuia lautiora prohibeantur, & popinæ tollantur. Sicut Florentiæ ſublatæ fuerunt anno 1528. Non tollenda tamen peregrinorum hoſpitia, ſed tantum diuerſoria Lurconum, Ganeonum, Epulonum. Scipio Amiratus ſcribens in Tacitum exiſtimat conſultum, vt tempore famis duo libri conficiantur, in quorum vno contineantur nomina eorum, qui ſuis Facultatibus in tali neceſſitate pauperes & Remp. iuuerint, in altero eorum nomina, qui auaritiæ cauſa ſuas opes occultarint.

TITVLVS IX.

De Ædificijs.

CAPVT I.

Quæ Ædificia publica, & qualia eſſe debeant.

ÆDificia, vel publica ſunt, vel priuata. Vtraque ad ſubditorum vtilitatem, & ad Vrbium Prouinciarumque ornamentum. Publica varij generis ſunt.

Templa. Atque imprimis Religionis causâ ſunt templa, quæ in editioribus & celebrioribus Ciuitatum locis extruenda ſunt, & ornanda. Habent ius Aſylorum.

Scholæ & Bibliothecæ. Secundò ſunt liberalis Eruditionis causâ Scholæ. Item Bibliothecæ, quæ Eruditionis quædam ſunt Seminaria, & magnum vrbibus adferunt ornamentum. Eas ad Orientem verſas eſſe expedit, cùm quæ ad occidentem ſpectant ab humore & tineis facilè corrumpantur, moleſtiaque legentes afficiant. Ad eas augendas & conſeruandas annui reditus in Rep. ſint conſtituti.

Forum. Tertiò commerciorum causâ eſt Forum, quod nihil aliud eſt, quàm amplum

amplum quoddam ſpatium ad commercia hominum exercenda peruium. Tria autem eſſe potiſſimùm conuenit. Vnum in quo Ciues honeſti & negotiatores ambulent ac colloquantur. Alterum rerum venalium, ad quod facilis ex omni parte ſit acceſſus, Tertium Iuſtitiæ, vbi Curia ſit & Tribunal.

Quartò defenſionis causâ ſunt Muri, Turres, Armamentaria. Muri ſint ſancti, nec vllo modo violandi. Turres quæ faſtigiatæ ſunt, magnam vrbi & muris conciliant dignitatem. Armamentaria ſunt ad vſum belli, in quibus omnis apparatus reponitur.

Muri, Turres, Armamentaria.

Sunt præterea Fontes, Balnea, Aquæductus. Fontes magnâ curâ ſeruandi ſunt, vt publicæ neceſſitati, vtilitati, iucunditati, non priuatorum vſui, ſeruiant. Balnea pro diuerſitate ſexuum diſtincta eſſe debent. Aquæductus diligenter curandi, nec fas ſit cuiquam priuatæ vtilitatis causâ aliò aquam deriuare.

Fontes. Balnea, Aquæductus.

Denique oblectationis causâ comparata ſunt nonnulla Ædificia, vt Nymphæa, hoc eſt, Ædes publicæ, in quibus Nuptiarum conuiuia celebrantur. Item Ædes Ciuium Sodalitijs deſtinatæ. Accedunt ad Ludos peragendos Theatra publica, & id genus opera alia.

Nymphæa, Sodalitiorum ædes, Theatra.

Exempla & Authoritates.

AD amplificandæ Reip. modum ſpectat etiam ædificiorum publicorum ſtructura magnificentiaque, & priuatorum elegantia. Suetonius in vita Auguſti refert, eum moribundum gloriatum fuiſſe, quod è lateritia marmoream vrbem feciſſet, & ſingulari libro omnes facultates, bona, fortunas imperij complexus eſſet. Et verò præterquam quod ædificiorum publicorum magnificentia ſpectatores in ſui admirationem conuertat, maximam etiam Ciuitati conciliat dignitatem. Vnde Diocletianus & Maximinus Imperatores legi cauerunt, ne ornamenta Ciuitatis in agrum transferantur. Haud ſcio, inquit Franciſcus Patricius, an publica pecunia laudabilius pacis tempore impendi poſſit, quam in communibus ædificijs. Multi quoque Principes, vt gloriam conſequerentur, aut nouas vrbes exſtruxerunt ſuum illis nomen imponentes, aut exſtructas ædificijs ornarunt, vt Alexander Magnus Alexandriam in Ægypto, Conſtantinus Magnus Conſtantinopolim in Thracia, alij alibi. Pauſanias lib. 10. ſcribit Panopæum Vrbem Phocenſium æſtimari vrbem non debere, quod in ea nullus eſſet publicus iuſtitiæ adminiſtrandæ locus, aut exercitiorum communium, nec templum, nec forum, nec fons. De aliquibus publicis ædificijs & operibus, vt de ædibus ſacris, foro, theatris, & bibliothecis videri poteſt Franciſcus Patricius de Rep. lib. 8. Item Ariſtoteles lib. 7. Politicorum, vbi ait in his rebus non immorandum eſſe, quod cognitu faciles ſint, factu autem difficiles. Nobiles autem inter Politicos quæſtio eſt, quæ moueri ratione murorum hic poteſt, *An expediat Ciuitates & arces munitas eſſe.* Thraces & Tartari, qui belli gloria celebres ſunt, nullas vnquam munitiones habuerunt. Eæ ingentibus ſumptibus fouentur, & machinis bellicis facile deijciuntur. Non rarò etiam produntur, & vnius hominis perfida voluntate ingentes vno momento opes corruunt, & patria perit. Accedit quod per munitiones commerciorum vſus impediatur, hoſtes ad obſidionem inuitentur, occaſio populis aduerſus Principes rebellandi præbeatur. Quam ob cauſam Reges Anglorum & Duces Moſchouitarum nullas in agris cum turribus domos eſſe volunt. Idem Turcarum eſt inſtitutum, Orientis & Africæ Regum. Putant aliqui tot arces & propugnacula effœminatos ciuium animos reddere, & ignauiam ingenerare, dum in ijs ſalutis ſuæ præſidium collocant. Volunt in exercitata iuuentute regionis munitionem conſiſtere. Vnde Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum roganti cuidam cur vrbem ſuam muris non cinxiſſent, oſtendens exercitatam iuuentutem. *Ecce*, inquit, *nerui & muri Ciuitatis noſtræ. Non enim Ciuitas in ædificijs, ſed in ciuibus poſita eſt*, vt dicebat

Contra munitiones.

Themiſtocles. Panthordes Legatus murum probè munitum ſibi ab Aſiaticis oſtenſum, *pulchrum conclaue mulierum* appellabat. Et Agis Rex Lacedæmoniorum cum Corinthiorum mœnia conſpiceret excelſa munitaque, *quæ ſunt*, inquit, *mulieres, quæ hunc locum inhabitant.* Non deſunt tamen pro munitionibus rationes. Et inprimis multum illæ ſplendoris & magnificentiæ Regionibus adferunt, & non rarò ab ijs Regionum ſalus dependet, dum vnum munitum oppidum ita aliquando vim hoſtium ſuſtinet, & obſidionem, vt libera interim & immunis tota Prouincia ſit, & nonnumquam fame vel peſtilentia preſſi hoſtes retrocedere cogantur. Capta Roma à Gallis Brenno Duce, cum obſideretur Capitolium Camillus rem reſtituit. Tyrus obſeſſa ab Alexandro furorem eius retardauit, donec exercitum Darius comparauiſſet. Conſtantinopolis Turcicam vim octo annis tolerauit, donec Tamerlanes Baiazetem ab obſidione reuocauit. Algeria in Regno Feſſano annos ſeptem hoſtilem impetum ſuſtinuit. Nota eſt Oſtendæ in Flandria obſidio. Vienna Auſtriæ Turcis reſiſtendo Germaniam vniuerſam ab eorum violentia protexit. Hodiè Batavi nulla re magis Hiſpaniarum Regi reſiſtunt, quàm arcibus & vrbibus munitiſſimis, quarum dum ferè ſingulæ annuam ſuſtinere obſidionem poſſunt, bellum facilè producunt, & hoſtem fatigant. Vbi nullæ munitiones ſunt & bellum eſt, vno aut altero prœlio Regionem in hoſtium poteſtatem venire neceſſe eſt.

Pro munitionibus.

CAPVT II.

An aliqua in vrbibus ædificia publico lupanari debeant eſſe deſtinata.

Non ferenda ſunt Lupanaria.

NVlla prorſus, nec publica, nec priuata. Neque enim in Rebuſp. benè conſtitutis ferenda ſunt lupanaria. Illa prohibet Chriſtiana Religio; nec aliud eſt ex ijs, quàm turpiſſima Iuuentutis corruptela, morum Ciuitatis deprauatio, corporis tormentum, animæ perditio. Lucrum equidem aliquod hinc eſſe poteſt, ſed indignum eſt profectò ex eo lucrum facere velle, quod in Repub. eſt ad morum corruptionem, ne ampliùs aurum amari, quàm boni mores, videatur. Nec tam Principes aliqui lupanaria permittunt, quàm, cùm aliter fieri pro tempore non poſſit, diſſimulando tolerant. Quamquam etiam ſeueris legibus inſolentes cohiberi libidines, & adulteria poſſunt; & incontinentiæ remedium eſt matrimonium.

Authoritates & Teſtimonia.

IMptobantur hic varijs rationibus lupanaria. La Chriſtiana Religio prohibet. Vnde Apoſtolus, *hæc eſt*, inquit, *voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis ab omni fornicatione.* Monet etiam Sapiens, *vt à limine meretricis abſint piorum veſtigia.* Et ipſe Deus Hieroſolymitanæ vrbi minatur, quæ ſibi lupanaria ædificauit. Neque laudatur Veſpaſianus, qui meretricium Vectigal ex captutis proſtitutarum inſtituit, etſi illum multi poſtea Imperatores & Principes ſint ſecuti. Nec refert etiam quod Romani Pontificis permiſſu in vrbe Roma multa meretricium millia proſtent, vnde magnum Vectigal colligitur. Facit iniquitas hominum, vt multa tolerentur, quæ nequaquam probantur.

CA-

CAPVT III.

An in publicis Ciuitatum Theatris admittenda ſint Hiſtrionum ſpectacula.

HIſtrionum illa ſpectaculâ certiſſimam Chriſtianis moribus perniciem adferunt; nec aliud eſt illa Theatri licentia, quàm omnis improbitatis & impudicitiæ officina. Exterminandi igitur Principum & Magiſtratuum auctoritate ſunt Hiſtriones, nec in publica Ciuitatum Theatra admittendi. Exhibent virginum raptus, ſtupra, lenonum artes, ſeruorum & ancillarum fraudes, & quidem motibus ac geſtibus impudicis, fractiſque in fœminarum modum vocibus. His omnibus ſpectatores ad libidinem inflammant, qui, quæ in ſcena per imaginem viderunt, ſine pudore poſteà faciunt. Magnum hic pudicis moribus periculum eſt. Dum inhoneſta illa & turpia riſum excitant, conſenſum trahunt, & ſuo pondere prauitas in opus inclinat. Nullâ honeſtatis curâ Hiſtriones ducuntur, & cùm omnia lucro metiantur, quicquid fraudem & turpitudinem aliquam habet, quia placere non ignorant, ſuſcipiunt. Ac plerumque cum ijs ſunt fœminæ, quæ venalem formam & pudicitiam habent. Nam tot viris procacibus ſeptæ, vix eſt, vt pudicè viuant. Hiſtrionum cauſâ multi tempus & pecuniam amittunt, noxiam quandam licentiam virgines & Matronæ accipiunt. Iuuentus ad otioſam delectationem vocatur, feſti dies violantur, & attracto ad ſpectacula populo Diuinæ Maieſtatis cultus imminuitur. Nec refert, quod Diuorum res geſtas aliquando referant. Fieri ſanè non deberet, Religionis ſanctitatem ipſi polluunt, ipſi turpes homines & infames. *Hiſtriones non admittendi in publica Theatra.*

Quod ſi tamen corrupti ſæculi mores hâc ſcenicâ oblectatione carere non poſſunt, eſto, ſed his legibus.

Nihil omninò exhibere Hiſtriones poſſint, niſi à Magiſtratu aliquo approbatum, non fabulam, non Hiſtoriam, non intermedios actus. *Leges quibus tolerari poſſent.*

Coërceatur pœnâ aliquâ, quicumque turpiter aut petulanter ſeſe geſſerit.

Nec feſtis diebus, nec Ieiunij Chriſtiani tempore Scenici ludi exhibeantur.

Arceantur ab illis minori ætate pueri & puellæ. Quippe in eiuſmodi ſpectaculis deſidere naſcentibus moribus eſt damnoſum. Et eiuſmodi. Theatrum Veneris eſt ſacrarium.

De alijs ſpectaculis in Rep. admittendis paulò infrà.

Authoritates & Exempla.

IVdicamus hic exterminandos Principum & Magiſtratuum auctoritate Hiſtriones. Quædam ſpectacula certis legibus admittimus. Olim Spartani Hiſtriones vrbe ſua ſubmouerunt; Romani aliquoties lege latâ expulerunt; Maſſilienſes priſcæ ſeueritatis cuſtodes nunquam illis aditum in vrbem ſuam permiſerunt. Scipio apud Ciceronem in lib. de Rep. *Nunquam comœdiæ*, inquit, *niſi conſuetudo pateretur, probare ſua in theatris flagitia potuiſſent*. Hinc etiam apud veteres Romanos lege cauebatur, vt qui ludicra exerceret, in primis quatuordecim gradibus non ſederet. Nihil, ait Sen. tam damnoſum eſt bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere. Cauſas adfert S. Cyprianus ad Donatum Epiſtola 1. Conuerte hinc vultus ad diuerſa ſpectacula, non minus pœnitenda contagia; in theatris quoque conſpicies, quod tibi & dolori ſit & pu-

Pudori. Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmine recenſere; de parricidis & inceſtis horror antiquus, expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquandò commiſſum eſt. Admonetur omnis ætas auditu, fieri poſſe, quod factum eſt, numquam æui ſenio delicta moriuntur, numquam temporibus crimen obruitur; numquam ſcelus obliuione ſepelitur; exempla fiunt, quæ eſſe iam facinora deſtiterunt. Tum delectat in nimio turpitudinum magiſterio vel quid domi geſſerit, recognoſcere, vel quid gerere poſſit, audire. Adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica &c. Plura ille eleganter ibidem vt refert Ad. Contzem lib. 3. cap. 13. Tertullianus de ſpectaculis cap. 10. *Theatrum*, inquit, *propriè ſacrarium Veneris eſt*, &c. S. Cyprianus Epiſtola 60. putat non licere Principi turpia ſpectacula permittere. Hiſtriones autem ipſo iure ſunt infames, & ad Eccleſiæ communionem non admittuntur.

CAPVT IV.

Quæ priuata ædificia, & circa illa quid notandum.

PRiuata ædificia ſunt, quæ priuatorum ſingula ſunt in Republica Ciuium. Circa ea hæc in Rebuſpub. benè conſtitutis ſunt ſeruanda.

Conſiderationes circa priuata ædificia.

I. Prouideant Magiſtratus ne ſubditi ſuperbè nimis ædificent, ſed intra conditionis ſuæ limites ſeſe contineant. Habeant tamen ornatus rationem, & à ſordibus abhorreant. Præſtat Dominum pluris, quàm domum æſtimari.

II. Nemini permiſſum ſit vel ad æmulationem, vel ad iniuriam alterius exſtruere.

III. Ordinata ſit priuatarum ædium diſpoſitio, vt & peruiæ plateæ ſint, & velut in recta linea domus.

IV. Forma ædium vetus retineatur, ne nimirum diſcordijs Ciuium occaſio detur.

Conſiderationes exemplis probantur.

POnuntur hic certæ quædam conſiderationes circa priuata ædificia. Apud Turcas nulla elegantium ædificiorum cura eſt, & eorum ingenia ab ædificijs ſunt aliena, ideoque apud eos tuguria & caſæ inhabitantur. Debent tamen Principes, vt monent Politici, ſubditos ad amorem ædificiorum conſtruendorum excitare, illis etiam quandoque è publico materiam, ligna, calcem, & eiuſmodi alia conſtruendis ædificijs neceſſaria, præbendo. Nonnumquam etiam exteros, quorum ingenia ad ædificia eleganter exſtruenda feruntur, allicere. Et hoc ſolidum & firmum eſſe Reſpublicas prouehendi ornamentum, dicit Lipſius lib. 4. Politicorum. Id verò vidéndum eſt ne inutilia ſint ædificia, & ne plus onerent, quam ornent, ſicque ſubditi ædificando ad paupertatem perueniant. Abſit luxus, & magnificentia non ſit ſine mediocritate. Quare rectè monet Lipſius lib. 4. Pol. cap. 11. *vt prouideant Principes ne ſubditi ſuperbè nimis ſtruant aut inſtruant, & ſignis aulæis, & alijs operibus exornent.* Nota.

TITVLVS X.

De Fœderibus.

CAPVT I.

Quid fœdus & quotuplex.

FOEDVS eſt publica duorum vel plurium Principum aut Rerumpublicarum de mutuis auxilijs & ſimili re quapiam mutuò præſtanda pactio ſeu conuentio. Ligam barbaro vocabulo multi nunc appellant à ligando. Dicitur autem à fide, & inde abeſſe mala fides ab ijs debet; nominatique olim ſæciales, qui publicæ inter populos fidei præerant. *Definitio Fœderis.*

Fœderum genera pro varia conditionum, ſub quibus contrahuntur, ratione multiplicia ſunt. Summatim à Politicis ac Iuriſperitis alia licita & æqua, alia illicita & non æqua ponuntur. Et licita quidem vel illicita à fine, propter quem fiunt, appellantur. Vnde licita illa ſunt & æqua, quæ ad publicam Regni ſalutem, patriæ, libertatis, & ſubditorum incolumitatem conſeruandam defendendamque fiunt. Illicita verò ac non æqua, quæ ad illicitam defenſionem vel offenſionem ſuſcipiuntur. Cuiuſmodi ſunt conſpirationes & coniurationes. Licita illa rurſus vel æqualia ſunt, vel inæqualia. Æqualia ſunt, quæ inter æquales bonis & viribus feriuntur, ita vt vtrimque æquè præſtari multum debeat. Inæqualia, quæ inter inæquales percutiuntur, ita vt plus pars vna præſtare, quàm altera debeat. In his aliquid ſemper ſubiectionis & deditionis reperitur; ad eaque Clientelare fœdus refertur, quod inter Patronos ſeu defenſores & Clientes initur. Omnium verò hoc periculoſiſſimum eſt, niſi Clientum libertati, quàm accuratiſſimè caueatur. Non rarò enim qui Patroni conſtituuntur, fiunt Domini, & Clientes ſubditi. Huc etiam ſpectat illud, quod inter Principem aliquem, & tributarios ei populos eâ conditione ſancitur, vt Iura Maieſtatis retineant, tributum interim pendant. *Diuiſio.*

An Induciæ, Societas, Deditio fœderis rationem habeant? Induciæ ſanè fœdus non ſunt, quæ inter aliquos non alio fine fiunt, quàm vt inuicem ſeſe non offendant, non verò vt mutuò aliquid præſtent. Societas etiam quandam habet vnionem, quæ in fœdere neceſſaria non eſt. Et deditio libertatem ſubiectione commutat, libertatem fœdus non tollit. *Quæſtiuncula.*

Varia explicatio & diuiſio fœderum.

DEFINITVR hic fœdus & variè diuiditur. Bodinus lib. 5. de Rep. cap. 6 ita definit. *Fœdus eſt publica populorum Principumve inter ipſos conuentio in perpetuum concepta.* Waremundus lib. 2. hoc modo deſcribit. *Fœdus eſt Principum duorum vel plurium, aut populorum vel ciuitatum liberarum pactio publica, & conuentio indefinitè, vel ad certum tempus iuſtè, legitimè & neceſſariò ad repellendam vim, ad rem communem vindicandam, vel iniuriam à communi hoſte illatam, vel ad defendendam religionem ac cultum Dei, vel libertatem & Remp. conſeruandam, vel mutuam amicitiam retinendam ac mutuis auxilijs ad hoſtem perſequendum initio vel tractu temporis inita iure diuino, Gentium, & ciuili*

intra-

introducta, ac hodiè plerumque iuriſiurandi religione, & datu obſidibus ſeu fideiuſſoribus, & ſcriptura interueniente approbata. Aliqui alij definiunt eſſe *pactionem duarum vel plurium Rerumpublicarum de re quapiam ſibi mutuo præſtanda.*

Circa varias diuiſiones notandum ad æquale fœdus referri ſocietatem illam, quam habent Reges Galliæ cum Heluetijs, eâ lege vt Reges arbitrio ſuo exercitum Heluetiorum ad Regni ſui tutelam ſcribant, ac viciſſim aduerſus hoſtiles incurſiones Heluetijs opem ferant. Sed quoniam ad Regni illius tutelam frequentes exercitus ab Heluetijs acciri neceſſe, ne hoſtes à Gallorum Societate Heluetios diuellerent, Reges Galliæ penſionem mille aureorum in ſingulas Ciuitates ſpoponderunt. Apud Liuium lib. 4. decadis 4. tria numerantur fœderum genera. Vnum dedititium, cum bello victis dicuntur leges. Vbi enim omnia ei, qui armis plus poteſt, dedita ſunt, quæ ex ijs habere victor, quibus mulctari eos velit, ipſius ius atque arbitrium poteſt. Alterum cum bello pares æquo fœdere in amicitiam veniunt; tunc enim repeti reddique per conuentionem res; & ſi quarum bello turbata poſſeſſio ſit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriuſque commodo componi ſolent.

Tertium eſt, cum qui hoſtes numquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe iungendam coëunt. Hi neque dicunt neque accipiunt leges. Id enim à victoris eſt victique.

Alij iterum fœdus ita diuidunt, vt aliud ſit defenſionis, aliud commerciorum. Defenſionis quando contrahitur propter mutua auxilia præſtanda. Commerciorum verò quando propter exercitium commerciorum contrahitur. Tale eſt inter Boruſſiæ Vrbes Turonium, Dantiſcum & alias. At inter Hanſaticas Ciuitates fœdus eſt defenſionis & commerciorum ſimul, quod potentiſſimo Imperatori Carolo V. terribile extitiſſe ſcribit Ludouicus ab Auila in hiſtoria belli Germanici.

CAPVT II.

Qui contrahere fœdera poßint.

Qui Ius Maieſtatis habent. OMnes illi ac ſoli contrahere fœdera poſſunt, qui Maieſtatis Ius habent, ſeu Reges ſint, ſeu Duces, aut Reſpublicæ; ac ſeu etiam Iure Maieſtatem habeant, ſeu vſu tantùm. Qui alterius imperio obnoxij ſunt, ſine Iure Maieſtatis ferire fœdus non poſſunt, niſi forte à ſummo Principe id ſit illis permiſſum. Inferiorum quorundam Principum aut Rerump. ea libertas eſt, vt inire fœdus poſſint, ſaluâ tamen ſuperioris Maieſtate. Qui contra ſuperiorem fœdus facit, Maieſtatis læſæ crimen incurrit. Non ſemper verò fœdus ineunt, qui amicitias contrahunt. Fœderis faciendi poteſtatem ſubiectio impedit.

Explicatio & Authoritates.

FOedus contrahere ij ſoli poſſunt, qui Maieſtatis ius habent, l. 2. §. 23. de Orig. Iur. Proceres Regni, Ciuitates, populi ſine Principis iuſſu conſenſuve nec percutere fœdus poſſunt, nec auxilia paciſci. Qui enim ſupremi alicuius Magiſtratus poteſtati ſubeſt, ab eo non aliunde expectare auxilium debet. Quod ſi à Rege deſerti eſſent omninò ſubditi, legis naturæ beneficio vti poſſent, & quo neceſſitas vocaret, ſequi. Non ſolùm verò Reges & Imperatores, ſed etiam Duces aut Comites, qui iure vel vſu Maieſtatem habent, ferire fœdus poſſunt. Id ius etiam ex priuilegio habere dicuntur Principes & Ordines Imperij Germanici ad publicam pacem conſeruandam; non verò Ciuitates Regalia & iura Imperij ex priuilegio, conſuetudine & præſcriptione non habentes. Fœdus inter Hanſaticas Ciuitates initum nonnulli vt legitimum defendunt, multi illegitimum eſſe contendunt, quaſi ſit factio & conſpiratio quædam illicita, niſi reſtringatur ad commercia tantùm. Porrò ex legibus fundamentalibus ſingulorum regnorum deſpicere oportet, an abſque

Ordi-

Ordinum conſenſu contrahi fœdera poſſint. Sic, teſte Mariana lib. 21. Hiſt. Hiſp. cap. 1. Fœdus inter Reges Caſtellæ & Aragoniæ in Ordinum conuentu iiſque flagitantibus eſt inſtauratum. Sic & Poloniæ Rex cùm de fœdere contrahendo quæſtio eſt, communicare cum Senatu in Comitijs debet vt teſtis eſt Cromerus lib. 2. Hiſt. Polon. Item Rex Sueciæ ſine Ordinum conſenſu percutere fœdus non poteſt, vt tradit Chytræus lib. 2. & Ioannes III. Rex iuramento cauit. Quondam etiam in Hungaria Rex citra Senatus authoritatem amicitiam aut fœdus inire non poterat, ſicut Wladiſlaus II. iurare coactus fuit, teſte Bonfinio dec. 4. lib. 9.

CAPVT III.

Cum quibus iniri fœdera poſſint.

INire cum nimis remotis; etſi fieri poteſt, non expedit profectò. Neque enim eſſe amici ſolent, vt commune prouerbium habet, qui procul habitant amici. Et quomodo, obſecro, ſi nulla ſit loci opportunitas, in periculo auxilium affulgebit? Qui remoti nimis ſunt, coniungere ſeſe nobis non poſſunt; qui autem ſunt vicini, ij ad mutuum auxilium naturæ quodam vinculo copulantur. Certè aqua longinqua vicinum incendium non extinguit. Nec carent illa cum remotis fœdera ſuſpicione non rectâ. Vicini enim, qui negliguntur, quæri auxilium aduerſus ſe putant, & hinc initium ſimultatis; potiſſimùm verò ſi eiuſmodi fœdera, aliquâ affinitate & matrimonio confirmentur. At verò quem hîc remotum appellamus? Non certè qui itinere longo diſtat, ſed qui coniungere ſeſe nobis non poteſt. Quare qui cum ita remotis fœdus percutiunt, honoris rationem habent, non vtilitatis. *Non cum nimis remotis.*

Cum ijs verò, qui miſeri & afflicti ſunt, inutile eſt fœdus. Quippe ſtultum eſt cum eo fœdus amare, qui propugnare iuuareque non poteſt; nec aliud eſt miſeris ſe iungere, quàm cum miſeris velle perire. Miſeri autem ij non ſunt, quibus ſunt opes, arma, Princeps omni virtute excellentiſſimus, & lati ſatis imperij fines. Equidem deſerendi non ſunt miſeri, at verò, quid hîc ſpei, vbi nulla defenſio? Nemo quadrupedum cum piſcibus fœdus probabit. *Neque cum miſeris.*

Cum nimis potente aliquo Rege periculoſum eſt fœdus. Etenim vbi virium eſt diſparitas, ibi leonina eſt ſocietas. Plerumque qui impotens eſt, damnum ſentit, & qui potens, lucrum percipit, victoriæque fructum ſolus ſibi vendicat. *Neque cum nimis potente.*

Ex quibus omnibus iam illud fit manifeſtum, vtilia cum ijs iniri fœdera, qui vicini ſunt, iuuareque, non euertere poſſunt.

Reiectio aliquorum cum Authoritatibus.

Non cum minus remotis. INprimis non cum nimis remotis. Prouerbium eſt *Procul qui habitant amici, non ſunt amici*, vt habet Eraſmus in Adagijs. Et apud Hebræos dicitur, *Præſtare amicum habere vicinum, quàm fratrem procul abſentem.* Sic Veneti Piſarum tanquam nimis diſſitarum protectioni renunciarunt, cum nempe viderent eam difficilem eſſe, & multas expenſas requirere. Deinde non cum nimis miſeris & afflictis aut valde periclitantibus. Nam vt ait Lucanus lib. 8. qui hoc faciunt:

——quærunt
Cum qua gente cadant.

Non oportet in parietem caducum inclinare, vt dicebat Imp. Adrianus, *& qui felices ſunt, colendi ſunt.* Non omninò tamen excludendi ſunt miſeri & valdè periclitantes, cum nihil Reip. honeſtius eſſe poſſit, aut magis Chriſtianum, quàm auxilium egentibus præſtare, & in pe- Nec cum miſeris.

riculis verſantibus ſuccurrere: videtur etiam firmius vinculum, quod nectit commune periculum. Non eſt tamen cum ijs fœdus faciendum qui nec nos defendere, nec à nobis poſſunt defendi, quale fuit fœdus, vt eſt in fabulis, quadrupedum cum piſcibus contra aues.

Nec cum nimis potente. Tertiò, non cum nimis potente. Periculoſa enim eſt hæc ſocietas; & Leonina dici ſolet. Tale fœdus fuit Paleologi cum Turca, & cum eodem Ioannis Hungariæ Regis. Multò verò magis improbatur Societas cum Superioribus, quæ nonniſi in inæqualitate fundata eſt. Hinc Argiui inituri Societatem cum Lacedæmonijs, cum Regem ſuum non æquali loco cum Lacedæmoniorum Rege eſſe viderent, ad Perſas defecerunt. Cicero profitetur Romanos ſocijs defendendis terrarum omnium potitos eſſe. Ita olim cum nimis potentibus Romanis periculoſum erat fœdus inire. Maximum defectum notauerunt prudentiores in Principum Chriſtianorum ſuperioris æui confœderatione, nempe inter Carolum V. Paulum III. Pontificem Maximum, & Venetam Remp. Eâ confœderatione conuentum fuerat, vt quicquid à Claſſe occuparetur id omne Venetis cederet; arce autem nouo Caſtelli occupata cum Hiſpani cæteris potentiores eam ſui iuris feciſſent, eo Venetis anſam præbuerunt fœderis deſerendi. Malebant enim pace etiam iniqua frui, quam eiuſmodi fœdera experiri in quibus potentior victoriæ fructum ſibi ſolus vindicaret, vt ait Caſ. Facius in Polit. Liuina.

CAPVT IV.

Quædam in fœderibus ſanciendis ſeruanda.

I. CVm eo fœdera paciſci non oportet, quem ſubita cogere neceſſitas poteſt, vt cum hoſte paciſcatur.

II. Vtriuſque partis in fœdere percutiendo vtilitas aliqua & neceſſitas eſſe debet. Nam eſſe diuturnum fœdus illud non poteſt, quod vni parti tantùm eſt vtile.

III. Nec cum Principe aut Republica aliquando offenſa, nec cum eo, qui in Rempublicam ius prætendat, ſecurum eſt fœdus.

IV. Quæ coaluerunt inter plures fœdera, rarò ſunt diuturna; & quò plures accedunt, eò firma minùs. Vix enim eſt, vt diu multæ Reſpublicæ aut Principes conſentiant, potiſſimùm ſi in ciuili adminiſtratione diſſentiant. Qui paulò cæteris potentior eſt, & auxilij plùs confert, imperare vult, imperium pati vix alij poſſunt.

V. Habenda eſt in fœderibus ſanciendis ratio Religionis, morum etiam & humorum ſeu Gentis conditionum. Vbi enim animorum coniunctio non eſt, ibi eſſe firma amicitia non poteſt. Nec variæ deſunt hîc ſuſpiciones.

VI. Inter eos, quorum diuerſa politia eſt, ſeu Reipublicæ forma, dubia ſemper & periculoſa ſunt fœdera. Illa enim Reipublicæ diuerſitas, cum animorum disiunctione ferè ſemper coniuncta eſt, & conſiliorum in agendo parit diuerſitatem.

VII. Honorata potentium connubia maximum ſunt amicitiæ, auctoritatis, potentiæ fundamentum. Sed verus hîc connubij finis ſpectetur, ne ad fraudem ſit.

Teſtimonia & Authoritates.

NImis rigidus fuit vitæ ſcrutator Legatus ille Lacedæmoniorum olim, qui ad Regem Perſarum fœderis pangendi cauſa miſſus, quod Aulicos aleâ fortè ludentes inueniſſet, re infectâ receſſit. Carolus V. teſte Guicciardino lib. 18. negauit ſe poſſe fidere Franciſco I. à quo ſemel deceptus fuerat. Et Franciſcus Rex dicebat tanto minùs ſe fidere Carolo poſſe, quantum is ſe deceptum exiſtimabat. Itaque quædam etiam vitia attendi debent, propter quæ minus firma videntur fœdera. Non facilè etiam cum familia offenſa

ſenſa contrahendum. Hinc Bellicuurius Regis Galliæ Legatus Heluetijs fœdus cum Hiſpaniæ Rege diſſuadebat, teſte Petro Matthæi, Franciæ Hiſtoriographo, quod fidendum non eſſet ei fœderi, cum offenſa familia, in qua cruentum adhuc eſſet vulnus trium ab ijs occiſorum Principum, Cominæus etiam monet lib. 1. cap. vlt. Impoſſibile eſſe, vt plures Principes ſimul fœderati diu ſimul maneant colligati, niſi caput ſit, quod omnibus ex pacto legem præſcribere queat, & adhuc neceſſe eſt, vt id polleat prudentiâ & auctoritate, ſi ſibi illos obedientes conſeruare velit. Et Guicciardinus lib. 2. Hiſt. *Fœdera*, ait, *inter multos icta, haud eâ firmitate & conſenſione animorum ſua natura ſunt; quin ſperari poſſit, quempiam aut remiſſiorem fore, aut ab alijs diſiunctum iri.* Ideò duo Reges cupientes tertium debellare nunquam ſunt concordes, vt expertus ſcribit Blaſius Montlucius. Sturmius de fœdere Smalcaldico dicere ſolebat, *quo magis creſcit numerus noſter, eo efficimur imbecilliores.* Quod non ignorans Carolus V. contra eos, qui iſtius erant fœderis, *ſibi cunctandum initio eſſe, non certandum duxit*, quod exiſtimaret non diuturnam eam fore conſenſionem. Quo ſenſu Machiauellus lib. 3. diſcurſ. de Rep. cap. 11. *Qui aduerſus multos*, inquit, *bellum gerit, eos ſuperare poteſt, quamuis viribus inferior exiſtat, ſi modo primum impetum ſuſtinere queat.* Anno 1484. cum Italia Vniuerſa aduerſus Venetos conſpirauiſſet, primo impetu oppreſſi & vehementer afflicti fuerunt, at poſtquam Ludouicum Ducem Mediolanenſem muneribus corruptum in ſuas partes traxerunt, amiſſa recuperauerunt, & Ferrarienſis territorij partem obtinuerunt. Aduerſus eos parum etiam effecerunt Maximilianus I. & Ludouicus XII. Galliæ Rex. Non malè proinde Legatus quidam Turcarum Imp. dicebat *Germanorum magnas eſſe vires, ſed animos ſimiles eſſe belluæ multorum capitum & plurium caudarum, quæ agitata ſepem tranſire conaretur; vnde cum capita eſſent diuerſa, diuerſa etiam quærerent foramina tranſeundi, neceſſarium fore vt ſimul corpus & caudæ immota manerent, & impedita* vt refert Ioachimus Camerarius. Alius Turcarum Legatus Chriſtianorum Principum coniunctiones aduerſus Turcas comparabat *inſtrumento multarum cordarum, ſuauis equidem harmoniæ, ſed quod moram requirat in chordis concordandis, & vbi facilè chorda aliqua rumpatur, aut laxior fiat, ſicque omnis harmonia turbetur.* Polybius lib. 11. in perſona Arati loquens ait *Reges natura quidem neminem vel hoſtem vel amicum ducere, verum ex ſuis ſemper vtilitatibus amicitias & inimicitias æſtimare.* Attendendum etiam eſt, vt fœdera ſint cum ijs, qui ſunt eiuſdem religionis. Neque enim diuturna fœderum Societas eſſe poteſt cum ijs, qui primam fidem irritam fecerunt.

Documentum.

CAPVT V.

An inire fœdera cum Turcis & alienis à Chriſtiana Religione populis expediat.

NEc fides ſanè permittit, nec honeſtas, diſſuadet etiam periculum. Iuuare impios, & auxilium ab ijs expectare diffidentiæ & impietatis in Deum eſt argumentum. Et quàm facilis in eiuſmodi fœderibus mutandæ Religionis occaſio? Impij illi Principes ac populi non aliorum, ſed ſuam quærunt vtilitatem. Multis dilatandi Imperij occaſio fœdus fuit: & potior ſemper impio vtilitas eſt, quàm fides. Imò apud illos à ſacris noſtris alienos populos nulla fides eſt; hanc ſi quandoque iurant, non honeſtate, ſed vtilitate metiuntur, & ab ea diſcedere, cùm placet, volunt. Ex euentu ſi æſtimare fœdera cum impijs fas eſt, ſucceſſu proſpero ſemper caruerunt. Ita vult, qui prohibet Deus, vt ipſâ etiam aduerſitate doceat cum impijs non paciſci. Quod ſi ingens neceſſitas ſit, ac nullum immineat Religioni periculum, iuſtaque belli cauſa cenſeatur, quorumdam auctoritas ſanciri fœdus cum impijs illis poſſe tuetur. Si ad pacem & commercia ſit, valeat ſanè, ſi cautela ſufficiens adſit. Aliàs conſcientiæ ſalus hic periclitatur.

Non expedire videtur.

Quæſtio vtrimque Teſtimonijs & Exemplis diſputata.

1. Opinio, licere fœdus inire cum Infidelibus.

SVnt omninò, qui fœdera cum Turcis, Hæreticis, & à Chriſtiana Religione alienis probant ipſiſque percutiunt. Tuentur ſe iure inprimis diuino. Abraham, inquiunt, diuinâ permiſſione fœdus cum Abimelech à vera Religione alieno percuſſit. Iudæi, apud quos veri Dei cultus erat, cum Spartanis Ethnicis Societatem inierunt. Moyſes cum Hobab infideli, & Iſraëlitæ cum Ægyptijs fœdus habuerunt, & Ioſue cum Gabaonitis, Dauid cum Rege Achi, Machabæi cum Romanis, quid ni etiam liceat hodie cum Turcis & Hæreticis amicitiam inire? Quod ſi iure naturæ fas eſt, quocumque modo ſalutem ſuam tueri, fas eſſe quoque debet Principi Chriſtiano, vt patriam ſuam aduerſus Principem alium Chriſtianum defendat, fœdus cum Turcis & Hæreticis inire, ſicque eorum auxilijs vti, cum maiorem patriæ, quam propriæ ſalutis rationem habere oporteat. Et ſi obediendum neceſſitati omnes præcipiunt, cum Princeps aliquis Chriſtianus ab alio ita bello impetitur, vt ſolus illi par eſſe non poſſit, cogitur neceſſitate ipſa, ſi patriam ſuam ſaluam eſſe vult, cum Turcis vel Hæreticis fœdus inire, cum aliter Regnum incolumē ſeruare non poſſit. An non inſidijs & dolo propulſare hoſtes licet? non erit igitur nefas ad patriæ tutelam auxilium ab Impijs implorare. Imò ſi iuſtum ſit bellum, poſſunt Chriſtiani Barbaros & à Religione noſtra alienos iuuare, igitur etiam illi ſub noſtris Regibus poſſunt militare. Et cum finis optimus ſit, patriæ nimirum defenſio, non poteſt non optimum bellum & fœdus iudicari. Chriſtianiſſimi Franciæ Reges fœdus & amicitiam cum Turcis habent, quis de eorum animis male ominetur, cum propter illorum fœdus tot Catholici in Turcarum Imperio viuant, & ſanctiſſimum Chriſti ſepulchrum religioſiſſime ſeruetur?

2. Opinio. Non licere fœdus inire cum Infidelibus.

Non expedire tamen alij, imò etiam non licere, iudicant, idque propter diuinam authoritatem. Certiſſimum enim eſt fœdera cum Impijs populis percuſſa diuinæ Maieſtati diſplicere, atque eos, qui aliquando inierunt à Deo reprehenſos punitoſque fuiſſe. Ita Ioſaphat Rex Iudæ reprehenſus à Propheta fuit, quod Impio præberet auxilium, & ijs, qui oderant Dominum, amicitiâ iungeretur, & idcircò Dei iram mereretur. Paralip. cap. 19. Ita Aſa Rex cum iniuiſſet ſocietatem cum Benadab Syriæ Rege Ethnico, obiurgatus grauiter à Propheta fuit, quod fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo ſuo poſuiſſet. Adiecit etiam minas. Amaſias Rex Iſraëlitas Idolatras in auxilium ſuum conduxerat initâ ſocietate, ſed monitus à Propheta fuit, ne cum ipſo Iſraëlitarum exercitus egrederetur, quod cum Iſraëlitis Deus non eſſet. Et ſi exiſtimaret in robore exercitus bella conſiſtere, faceret Deus, vt ab hoſtibus ſuperaretur. Quippè Dei eſt adiuuare & in fugam conuertere. Plura eiuſmodi ſunt exempla, ſed quid attinet recenſere, cum teſte Scriptura Sacra Exodi 23. capite fœdus cum impijs prohibeat Deus? Verendum ne impij iſti populi paulatim Chriſtianos à Religione ſua abducant, aut eorum terras inuadant, nam ſibi, non alijs, vincere volunt. Ita euenit, cum Græciæ Principes inter ſe diſſidentes Turcarum auxilium aduocarunt; illi enim Chriſtianorum opes attinuerunt, & ſibi Græciam ſubiecerunt. Si quidem nulli Catholico, niſi commodi ſui cauſa, Turcæ aut Hæretici ſunt amici. Periculum inſuper eſt, ne in neceſſitate deſerant fugiantque. At, obſecro, quomodo firmum eſſe cum Turcis aut Hæreticis fœdus eſſe poſſet, cum non idem præſtare iuſiurandum poſſunt vtrimque, nec idem Numen, nec eodem ritu inuocare? Audiatur Fulco Remenſis Archiepiſcopus, qui olim ita Carolum ſimplicem Franciæ Regem alloquebatur. *Quis non expaueſcat te inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem ruinamq; Chriſtiani nominis pagana arma fœderaq; deteſtanda ſuſcipere. Melius fuerat te non naſci, quam regnare Dæmonis patrocinio velle, & illos iuuare, quos per omnia impugnare deberes.* Ioannes Octauus Pontifex Max. quorundam Italiæ Principum cum Turcis fœdus execratus eſt, & impium ſcelus pactumque & ad perditionem animarum ſocietatem appellauit. Diuus Chriſoſtomus eum, qui ab inimicis Dei auxilium petit, dicebat de Dei auxilio deſperare, & vtiliores ſibi Dei inimicos, quam Deum exiſtimare. Pius Quintus Pontifex Francorum cum Turcis ſocietatem, Franciæ labem appellauit. Gregorius XIII. Pontifex fœdus illud, quod

quod Henricus III. Franciæ Rex cum Elizabetha Angliæ Regina Hæretica meditabatur, auerſatus fuit. Clemens Octauus non ſemel teſtatus eſt dolere ſe, quod Henricus IV. à Batauis ſuppetias acciperet, & iiſdem ferret. Nec alia etiam hodie in Franciæ Curia opinio eſt, ſaltem multorum, quam manifeſtam eſſe impietatem cum infidelibus aduerſus Chriſtianos ſocietatem inire. In hanc opinionem ratio nos ducit, nec exempla prius allegata reuocant. Fuit equidem Abrahamo cum Abimelech fœdus, non vt alicui noceret, ſed vt pacem haberet. Nec ille alius, quàm vir iuſtus & fidelis erat, ſi Ambroſio Theodoretoque credimus. Fuit Iudæis fœdus cum Spartanis non ad belli ſocietatem contra Principem aliquem fidelem, ſed ad fouendam generis ſocietatem, cum Spartani ab Abrahamo genus ſe ducere aſſererent. Quamquam nec eorum opera vſi ſunt vnquam Iudæi. Fuit Moyſi fœdus cum Hobab, nimirum cum eognato, nec ad bellum gerendum, ſed vt cum Iſraëlitis eſſet, ac paulatim ad veri Dei cognitionem adduceretur. Nec Iſraëlitis fœdus cum Ægyptijs fuit, ſed cum iis in Ægypto difficillimis temporibus vixerunt. Habuit Ioſue fœdus cum Gabaonitis, ne hi nimirum occiderentur, nam ſuam tantum ſalutem ſpectabant. Dauid cum de vita periclitaretur ad Gethorum infidelem ſalutis ergo dumtaxat conceſſit, à quo dimiſſus poſtea fuit. Habuerunt cum Romanis fœdus Machabæi, eorum tamen auxilia nec petierunt vnquam, nec habere voluerunt. Neque bellum illis aduerſus populum aliquem fidelem fuit, aut in Religionis ſuæ perniciem, ſed contra Reges Ethnicos. Accedit, quod iſtud Machabeorum fœdus numquam certè laudatum fuerit, nec in eorum bonum ceſſerit. Eſto etiam ſit iure naturæ permiſſa ſui defenſio, ſed legitimo ea modo fiat, nec inimicorum Dei auxilio, cuius opem implorare potius decet. Omni etiam iure permiſſum eſt ſtratagematibus ſeu dolis bonis vti; imò iuuare quoque infideles, modo non aduerſus Principem aliquem Chriſtianum. Quod ſi Chriſti ſepulchrum Turcæ non violant, hæc cauſa eſt, quod Romani Pontifices tributum idcircò quotannis pendant. Et ipſe Turcarum Imperator ſuo in Imperio Catholicos patitur, quia tumultum nullum, quemadmodum Hæretici, excitant, ſed tranquille viuunt. Cunerus & Molanus exiſtimant, licere tum fœdus cum Infidelibus inire, quando longè diſſiti ſunt, nec periculum eſt, ne cæteri prauâ illorum Religione contaminentur. Addunt hanc conditionem alij, modo bellum non ſit contra aliquem noſtræ Religionis Principem.

Reſolutio.

CAPVT VI.

Quibus conditionibus, & quâ ſolemnitate iniri fœdera debeant.

CVm ſancta eſſe fœdera debeant, neceſſarium inprimis eſt, vt in iis ſanciendis bonâ, ſincerâ, integrâque mente procedatur. Deinde vt quæcunque adduntur conditiones, cum honeſtate, æquitate, pietate aliâque virtute Politica non pugnent. Præterea nihil in iis, quod præſtari non poſſit, includatur. Ac denique perſpicuis verbis exprimantur, & omnis ambiguitas præcidatur. Quippe hæc periurio latebram, & fraudi occaſionem præbet. Nec id dubium relinqui debet, cum Principe tantùm, an verò etiam cum populo fœdus percutiatur. Plurimum enim intereſt. Cautè ſanè fœderum formulæ ſcribendæ ſunt; nimis multæ enim hodie ſunt fraudes, & quæcunque ambiguitas, ſpecioſus eſt perfidiæ prætextus. Si quandoque tamen ambiguitas ſit, de voluntate inquiratur, aut viri boni arbitrio ſtetur. *Conditiones fœderum.*

Quod attinet ad ſolemnitatem, ea certis ac varijs pro gentium varietate cæremonijs conſtat. Apud omnes iuſiurandum interponitur, quo Dei, non verò alterius, nomen inuocatur. Præſtari illud per Legatos aut Procuratores poteſt, ſi certum habeant mandatum; etſi Principes ipſos intereſſe, *Additur Iuramentum.*

tereſſe, ſi ita fieri poſſet, percutiendo fœderi non parum expediret, quorum fides non minor eſſe iuramento debet. Præſtito iuramento interdum *Publicum inſtrumentum.* obſides dantur, publicum Inſtrumentum conficitur, vt nunc Gentium mos exigit. Ac poſtremò multis quidem in locis fœdus ipſum, vt omnibus *Publicatio.* innoteſcat, publicatur. Eſt tamen occultum quandoque fœdus; imò etiam ſuppreſſis veri fœderis articulis, ficta quædam, quaſi res geſtæ conſcribuntur, & in vulgus ſparguntur.

Authoritates & Exempla.

CONdiriones ſunt, *vt fœdera contrahantur ſincerâ mente, cum honeſtate & æquitate, verbis perſpicuis & non ambiguis.* Thraces cùm iniuiſſent inducias 30. dierum cum Teſſalis, noctu prædabantur factum excuſantes, quod non de noctibus, ſed de diebus pepigiſſent. Idem fecit ac dixit Cleomenes cùm feciſſet 7. dierum inducias cum Argiuis, quos tertia nocte incautos deleuit. Legatus quoque Romanorum malitiosè ſe geſſit, qui cùm dimidium nauium Antiocho relinquere deberet, naues ſecuit. Hæc omnia iniuſta fuerunt. Debet etiam exprimi an cum Rege tantùm, an verò etiam cum populo fœdus ineatnr. Hoc enim plurimum intereſt. Hinc cùm Eduoardus IV. Angliæ Rex Regno exutus eſſet, ac Francorum opes fœdere pactas per Legatos implorarer, reſponſum eſt Legatis, cum Anglorum Rege Regnoq́ue contractum eſſe fœdus, nec aduerſus nouumAngliæ Regem regnumve ſaluis fœderibus bellum geri poſſe.

Quod attinet ad Solemnitatem, ea hoc tempore conſiſtit in iuramento, inſtrumento publico, & publicatione. Per iuramentum ne alterius, quàm Dei nomen inuocetur, lege diuinâ prohibitum eſt Deuteron.6.cap. cùm is ſit ſolus, qui perfidos vlciſci poteſt. Præſtari hoc iuramentum etiam per Legatos vel Procuratores poteſt, modo ſpeciale habeant mandatum. Obſides aliquando adduntur, quod factum fuiſſe refert Waremundus in fœdere, quod ictum eſt inter Henricum II. Galliæ Regem, & Mauritium Electorem Saxoniæ, Albertum Brandeburgicum & Wilhelmum Haſſiæ Landgrauium. Publicatio fœderis interdum omittitur, nimirum cum fœdus eſt offenſiuum, quale fuit fœdus Imperatoris Caroli V. anno 1546. contra Germaniæ Proteſtantes, quod non ante creditum fuit à Germanis, quam exercitus Hiſpanorum, Belgarum, & Italorum in Germaniam irrupiſſent. Quin imò ſolent aliquando fœderis capitula ficta conſcribi, & in vulgus ſpargi ſuppreſſis articulis veris, ne capita rei geſtæ innoteſcant. Addo operæ pretium eſſe ſileri ea loca, in quibus facta fuerunt fœdera inuidioſa. Carolus V. Imp. Smalcaldiam Ciuitatem propter fœdus ibi initum ſolo æquauiſſet, niſi interceſſione Mauritij Electoris prohibitus fuiſſet.

CAPVT VII.

Quomodo conſeruentur, & diſſoluantur fœdera.

Modus conſeruandi. COnſeruantur fœdera cùm ſæpè renouantur, ac ſtatis quibuſdam temporibus deliberationes inſtituuntur, in quibus, quæ de ijs dubia eſſe poſſunt, ſoluuntur, eorum diutius conſeruandorum modi proponuntur. Quoniam verò non rarò fit, vt inter Confœderatos de fœdere ipſo, aut alijs quandoque rebus controuerſiæ exoriantur, quæ amicitiam contractam labefactant, conſultum eſt aliquos eſſe fœderis Arbitros ac Iudices vtriuſque conſenſu partis conſtitutos, quorum iudicio ſtandum ſit omninò. Interdum fœderis Protector deſignatur, cuius officium eſſe debet, fœdus ipſum quàm diutiſſimè conſeruare, nec ſiniſtram vllam affectati imperij ſuſpicionem dare, atque eundem vtrique ſe parti exhibere.

Soluuntur tempore vel violatione. Porrò diſſoluuntur fœdera, cùm elapſum eſt, quod præfixum erat, tempus, aut pars altera fœdus ipſum violauit. Periurio quippe non tenetur,

tur; qui fœdifragis fœdus non ſeruat. Et quidem ſolutum cenſetur fœdus, cùm in vno etiam articulo violata fides eſt. Quod ſi quandoque contentiones inter Confederatos incidant, non illicò corripienda ſunt arma, & bello certandum, ſed iudicio experiri priùs oportet, nec niſi ob grauiſſimas offenſiones à fœdere recedere.

At verò quamdiu durare fœdera debent? Plerumque certo tempore definiuntur, nonnunquam idem eſt vitæ Principum, & fœderis terminus. Aliquando etiam perpetua & æterna eſſe nihil vetat, ſed tunc ea ſæpiùs renouari decet. Cùm Dignitatis & Maieſtatis nomine ſanciuntur, obligant, ad tempus ſaltem, Succeſſores. Longi & incerti temporis ſpatium in fœderibus eſt periculoſum: nec ab arbitrio contrahentium ea pendere ſatis eſt ſecurum. *Queſtiuncula.*

Teſtimonia & Exempla.

MOdus hic ſuggeritur fœderum conſeruandorum. Thucydides lib. 5. Iuramenta, inquit, fœderum ſeruandorum nonnunquam quotannis veteres renouare ſolebant; & vt ita renouarentur, legibus fœderis exprimebatur. Tarquinius Rex Romanorum, vt eo magis ſempiternum maneret fœdus commune conſtituit fanum, ſeu templum Romanorum, Hernicorum, Latinorum & Volſcorum vt refert Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 4. Quod additur hic de Protectore, id obſeruatum non rarò eſt. In Chambrotico fœdere Protector fuit Henricus II. Galliarum Rex. Talis etiam in Sueuico fœdere olim. Societas Hanſeatica Protectorem aliquando habuit, primo magnum Boruſſiæ Magiſtrum, poſt Sueciæ, Poloniæ & etiam Daniæ Reges. Hodie nullum habet. Soluuntur autem fœdera tempore elapſo, vel violatione. Tempus plerumque certum apponitur, vel ad vitam Principum. Sæpè tamen apponitur, vt altero Principe mortuo aliquot amplius annos Societati cum Succeſſore locus ſit, vt fieri ſolet in fœderibus Gallorum cum Heluetijs. Bodinus ſtatuit nihil eſſe pernitioſius in conſociandis Principibus ac populis, quàm vt perpetua ſiue æterna ſint fœdera. Ad quam tamen opinionem non accedimus, cùm ſempiternæ Societates æquiſſimis conditionibus iniri poſſint, maximè in popularibus, & Optimatum Imperijs, modo ſæpè renouentur. Quando vno in articulo violata fides eſt, reſpectu omnium cenſetur fœdus ſolutum. Ne leuiſſimæ tamen hic offenſiones attendantur. Non Benè proinde Scoti, qui cùm Societatem ſexcentis ferè annis coluiſſent cum Pictis, poſtea aduerſus eos grauiſſima bella geſſerunt ob ereptos tantùm aliquos canes.

CAPVT VIII.

An iuratam in fœderibus violare fidem aliquando fas ſit.

SOlâ innocentiâ hodie viuere in tot potiſſimùm humanis erroribus, nimis eſt, inquiunt aliqui, periculoſum. Cum vulpibus vulpinandum eſt. Et cùm decipere pro moribus temporum turpe non ſit, ſed prudentiæ tantùm experimentum, vtique violatio fidei quædam erit cenſenda prudentia. Retineri Principatus ſine dolis ac fraudibus, cùm iiſdem euertantur, vix poſſunt. Adeò nihil hodie tutum, niſi fraudium ſcuto contegatur. Si data iurataque ſit fides, ſeruetur ſanè, ſed quamdiu expedit. Vbi occaſio Patriam liberandi, libertatemque & Religionem aſſerendi affulget, pereat fides potiùs, quàm Patria. Quippe violare ſemel fidem, quàm Patriam vniuerſam perdere, minus eſt malum. Nec ſatis fortè decet verbis Principes alligare, quorum in manibus ſunt arma. Per Iuſtitiæ callem ambulare non ſemper profectò poſſunt, aliquando obli- *Rationes affirmantes.*

quæ fraudis calcandi ſunt tramites, & ſubditis quouis modo conſulendum. Conſtare aliter Reip. adminiſtratio, Regumque Status non poteſt.

Rationes negantes. Ita illi è Machiauelli Schola nimis hodie prudentes, qui dum aſtuti eſſe volunt, Iuſtitiam omnem oppugnant, & ſummam iniquitatem propugnant. Fides certiſſimum humanæ ſalutis eſt pignus, & Imperiorum omnium fundamentum. Stabilit ipſa communem vitæ ſocietatem, commerciorum inter homines vſum introducit, fœderibus populos inter ſe iungit. Tolle fidem, naturæ legem tolles; nulla erit Religio, nulla Gentium Iura, nulla commercia, nullæ cum hoſtibus conuentiones. Actum erit de pactis, promiſſionibus, fœderibus. Nunquam igitur violanda fides eſt. Et quanquam ea toto Orbe exularet, Regibus tamen ſemper eſt retinenda, quorum verbis haberi maior fides, quàm aliorum iuramentis debet. Non benè cum Maieſtate perfidia eſt. Qui datam ſeruat fidem Princeps, Deum ſibi, quem in teſtem vocauit, conciliat; qui violat, illum ſui periurij vltorem appellat. Nec fruſtrà; nemo enim ſine pœna perfidus vnquam fuit. Triſtia ſunt diuinæ vltionis per omnes ætates exempla. Apud homines ſceleſtus, infamis, iniuſtus eſt & fraudulentus, cui fides non firma. Sit illud proinde fixum, nihil eſſe antiquius fœderibus & publicis pactis debere, atque hac nullâ vnquam vel neceſſitate, vel vtilitate eſſe violanda.

Authoritates vtrimq; & Exempla.

Rationes hic cùm affirmantes, tum negantes adducimus, vtraſque auctoritate corroborabimus. Et in primis affirmantes. Sen. in Agamemnone.

Pro parte affirmante. *Non intrat vnquam Regium limen fides.*

Idem in Thyeſte:

Vbicumque tantùm honeſta dominanti licent,
Precariò regnatur.

Liuius lib. 2. *Periculoſum eſt in tot humanis erroribus ſola innocentia viuere.*

Claudianus: *Nunc qui fœdera rumpit*
Ditatur, qui ſeruat, eget.

Plinius, *Decipere pro moribus temporum prudentiæ eſt.* Plato lib. 5. de Rep. *diſertè dicere videtur crebro mendacio & fraude vti imperantes debere ad commodum ſubditorum.* Hinc Iaſon Rex Teſſalorum. *Qui magnis in rebus iuſtitiæ cultor eſſe vult, is ius aliquando in paruis violare debet.* Democritus Philoſophus, *Fieri non poſſe*, ait, *quin optimi Principes, vt nunc rerum ſtatus eſt, iniquè aliquid agant.* Vlyſſes apud Homerum multis dolis eſt vſus etiam Palladis auxilio, & perfectæ tamen Sapientiæ effigies eſt. De Parthis Iuſtinus, *Fides dictis promiſſiſq; nulla, niſi quatenus expedit.* Darius. *Cum expedit dici mendacium, dicatur.* Euphemius, *Nihil iniuſtum quod fructuoſum.* Lyſander, *Pueros teſſeris, viros iuramentis circumueniendos*, ait. Mahometes ſecundus Turcarum Imp. dicebat, *Præſtare fidem mercatorum eſſe, non Principum, quod illi à fide, hi ab armis & viribus pendeant.* Fredericus III. Romani Imperij Elector dixiſſe fertur à quibuſdam *Inter confœderatos, illos eſſe loco & conditione deteriore, qui fœdera ſeruarent; improbanda quidem eſſe fœdera, ſed væ illi, qui ea ſeruaret.* Accedunt Plato & Xenophon, qui licere Magiſtratibus cenſent, dum ſubeſt publica vtilitas & neceſſitas populum mendacijs & fraudibus circumuenire, vt fecit aliquando Pericles. Nunc vt negantes rationes confirmemus verè dixit Ageſilaus *Regia dignitati non aſtutiam, ſed bonitatis excellentiam conuenire.* *Non decet Principem labium mentiens*, inquit Sapiens. Et eodem ſenſu Lactantius. *Eſt improbi hominis mendacio fallere, quod ædificare mendacium ſine demolitione veritatis nemo queat.* Thucydides. *Fraus*, inquit, *cum omnibus fœda eſt, tum ijs, qui maiori dignitate præditi ſunt, imò fœdior, quàm aperta violentia.* Iſocrates ita monebat Nicoclem Regem, *Perpetuo tantùm ſtudium & reuerentiam præ te fer, vt tuis verbis maior ſit fides, quàm aliorum iuramentis.* Nota eſt Attilij Reguli fides. Cum Parmenio ſuaderet Alexandro aliquid, quod à fide erat alienum, *Facerem*, inquit, *ſi eſſem Parmenio, non faciam, quia ſum Alexander.* Auguſtus Cæſar cum publica præconis voce promiſiſſet decies ſeſtertium millia nummorum aureorum ei, qui ſibi ſiſteret Crocotam latrocinijs inſignem, venit ipſemet Crocota, pretium petijt. Dedit illi pretium Auguſtus, quod tanta fiducia

fiducia ſe ad eius pedes abieciſſet. Guido Flandriæ Comes captus à Philippo Pulchro Galliæ Rege, & data de reditu fide dimiſſus, niſi Belgás ad fidem Regis reduceret, redijt cum non poſſet, & in carcere obijt. Ioannes Rex Galliæ eodem modo redijt ad Eduuardum Walliæ Principem Angliæ Regis filium, cum ea parare non poſſet, quæ ex pactione debebat, ibique etiam ex morbo obijt. Tria dominari Romanos fecerunt, vt ex Valerio Max. notatur, *Saluum conſilium, ſecreta tacendo, dictis ſuis pertinaciter inhærendo, non frangendo fidem. Nihil*, inquit Guicciardinus, *Principe aut Rep. indignius eſt, quam fidem datam non ſeruare. Perfidia enim Regis totum eius Regnum exoſum reddit, & vt vita ſemel amiſſa non reuertitur, ſic nec fides.* Illuſtre exemplum eſt Franciſci Primi Galliæ Regis, ad quem cum ex Hiſpania in Belgium feſtinans Carolus V. diuertiſſet, ſola Regis fide nixus, Rex illum humaniſſimè recepit, & cum aliqui ſuaderent, vt ab eo, quicquid vellet extorqueret, habere enim auem caueâ incluſam, *Abſit*, inquit, *à nobis tam fœda perfidiæ nota; etiamſi toto orbe fides exularet, tamen Regibus tenenda eſt, quâ ſolâ adſtringi poſſunt. Alios metus & pœna coërcet, Principes pudor & fides.* Ideò Iſocrates ad Nicoclem. *Quæ dicis aut recipis te facturum, tanquam rem ſacram obſerua.* Sigiſmundus Imp. cum militi promiſſa exigenti dixiſſet, *immoderata fuit tua petitio*, Miles, *Poteras*, inquit, *negare cum peterem; nunc ſine perfidia reſcindere promiſſum non potes.* Tum Imperator *ſi ex duobus alterum faciendum eſt, rerum potius, quam famæ iacturam ſubibo.* Accedit quod ſemper ij pœnas dederunt, qui fidem violauerunt. Ludouicus Burgundiæ Rex cum à Berengario II. Imp. captus & dimiſſus eſſet, datâ fide, quod cum exercitu amplius in Italiam non rediret, poſtquam violauit fidem Imperator victo erui oculos curauit, *vt lumine priuaretur, qui ſe fide priuaſſet.* Henricus III. Galliæ Rex cum contra fidem Guiſium Ducem interemiſſet, à Clemente Monacho eſt interemptus. Carolus Borbonius cum Mediolanenſibus fidem violauiſſet in muris Romanis globo traiectus eſt. Wladiſlaus Rex Hungariæ & Poloniæ cum proſpere contra Turcas ad Hemum montem pugnauiſſet, victor non iniquam pacem obtinuit. Ea cum videretur multis inutilis & indecora, hortantur Regem, vt bellum reſumat. Sed cum eum retardaret. pudor ingenitus aduerſus imminentem violandæ pacis infamiam, quod fidem dediſſet, Legatus Pontificis perſuaſit ei, facile hac in re Pontificia auctoritate diſpenſatum iri. Tandem Rex promoto exercitu ad Varnam Pontici littoris vrbem, cumque eo Amurathes Imp. Turcarum cum paruis copijs occurriſſet, pugnatum eſt, & Wladiſlaus cum triginta millibus victus eſt. Nam in eo prœlio ſuffraginibus equi ſuccisis corruit & trucidatus eſt, caput eius lanceæ præfixum eſt, & per vrbes circumlatum. Ipſe Legatus Pontificius magna cum contumelia eſt interfectus. Taſſilo Rex Boiorum cùm coactus fuiſſet cum Carolo Magno paciſci, poſtea violatis pactis cum Hungaris bellum contra Carolum renouauit, tum ſubditi illum deſeruerunt, & violatæ fidei accuſarunt; & in monaſterium non procul ab Heidelberga eſt detruſus. Ab eodem Carolo Magno Deſiderius Rex Longobardorum Regno priuatus & Leodium eſt miſſus, quod contra fidem datam Romam obſediſſet, quam ob cauſam Pontifex auxilium à Carolo Magno petierat. Iuſtinianus Imp. Bizantinus rupto fœdere inuaſerat Arabes; illi fœderis tabulas ex haſta ſuſpenderunt, & in vexilli ſpeciem ante aciem tulerunt. Victus magna clade Imperator poſtea per ſeditionem à ſuis relegatus eſt, & qui conſilium illi dederant publicè ſunt combuſti. Ariſtoteles in Rhetoricis meritò proinde dicit, *periurium & diuinam vltionem & humanam infamiam incurrere.* Rationem dat Valerius Max. *Quia occultum & inſidioſum malum perfidia tantùm incommodi humano generi adfert, quantum ſalutis bona fides præſtat.* Philippus Haſſiæ Landgrauius dicere ſolebat, auctoritatem Principis ſaluam eſſe ex tribus cognoſci poſſe. *Ex probatione monetæ, Securitate itinerum, fide promiſſi.* Beliſarius ad Theudibertum Galliæ Regem & lubricæ fidei hominem, ita ſcribebat, *Turpe fidem fallere Principi eſt; at iuſiurandum & pacta violare ne abiectiſſimo quidem homini decorum.*

TITV-

TITVLVS XI.

De Scholis & Academijs.

CAPVT I.

Inſtitutionis puerorum neceſsitas & ordo.

Neceſſaria eſt puerorum inſtitutio.

NIHIL Reip, ad dignitatem honeſtius eſt, aut vſu ſalutarius, quàm optimos habere Ciues, hi verò cùm ex pueris exiſtant, nulla maior in Repub. cura eſſe debet, quàm vt puerorum ætas probè inſtituatur, & ad omnem virtutis partem informetur. Porrò hæc inſtitutionis primæ ratio eſt, vt pueri ſub parentum diſciplina domeſticos intra parietes primò creſcant, tum ad Scholas ablegentur, & publicis Magiſtris commendati prima Artium elementa cum pietate moribuſque Chriſtianis perdiſcant, ac tandem ſcientijs quàm plurimis exornentur. Hic in inſtitutione temporis eſt ordo. Parentes in id incumbent, vt optimis præceptis ea puerorum animis inſtillent, quæ ad opinionem Religionis, pietatem, morum honeſtatem ſpectant. Hærent enim hæc, quæ primis annis ſuſcipiuntur. Non infantiam delicijs & voluptatibus corrumpent; quippe otio corpus, libidine animus imminuitur. Abſit nimius ille puerorum ornatus, qui ſuperbiam & faſtum alit: abſint delicatiores cibi, qui corporis & animi neruos elidunt. Nec audiantur turpitudinis exempla domi, nec vitiorum imagines videantur. Libenter quæ vident pueri imitantur, & domeſticis exemplis ſenſim prauitas creſcit. Dum mollis inſtar ceræ ducentis manum ſequuntur, formari ad omnem virtutem debent. Neque enim vllum ornamentum cum pueris probè educatis poteſt conferri. Caueant ne ſuâ diſſimulatione nimiam licentiam permittant, aut in annos ſingulos nunquam coërcenda confirmabitur. Nulla hîc ſit nimia indulgentia, quæ quoduis puerorum dictum factumve turpe riſu vel oſculo excipiat, aut diſſimulet. Seuera animaduerſio flectere ad recti normam etiam hanc ætatem debet, ſi reprehenſio non vincat.

Teſtimonia & Exempla.

PLATO lib.6. de Legibus Homo, inquit, rectam nactus inſtitutionem diuiniſſimũ manſuetiſſimumque animal effici ſolet: ſi verò vel non ſufficienter, vel non benè educetur, eorum quæ terra progenuit, ferociſſimum. Crates Philoſophus, vt lib. de educatione puerorum Plutarchus teſtatur, optabat in altiſſimo ciuitatis loco eſſe ſummaque vocis contentione exclamare, *quo ferimini, ô mortales, qui ad poſſidendas opes magno ſtudio incumbitis, filiorum vero, quibus illas relinquatis, exiguam curam geritis.* Eiuſmodi Patres Plutarchus ait *idem facere, quod ij, quibus calceus curæ eſt, pes autem neglectui.* Adeoque primum, medium, & poſtremum eſſe inſtitutionem accuratam & doctrinam legitimam. Hinc Ariſtoteles lib. 8. Polit. cap. 1. *Quin legum ſcriptori*, inquit, *in adoleſcentum diſciplina maximè ſit laborandum, nemo in controuerſiam vocarit. Namque hoc in Ciuitatibus neglectum magna incommoda Reip. adminiſtrandæ formis importat.* Plura ille ibidem. Perſæ magna cura, vt iuuentus formaretur effecerunt, & duodecim Principes pueris erudiendis præfecerunt. Ægyptij &

& Chaldæi ab ipſis parentibus Philoſoph iam & leges docebantur, teſte Diodoro Siculo lib. 2. cap. 8. Indi Brachmanes infanti recens nato magiſtrum præficiebant,vt refert Alex. ab Alex. lib. 2.cap.25. Summam verò laudem Lacedæmonij retulerunt, qui ex Principibus Pædagogos ſeu puerorum inſtructores conſtituebant, & crebrò iuuentutem ad examen vitæ virtutiſque vocabant. Ex quibus patet neceſſariam eſſe puerorum inſtitutionem.Nec refert quod natura omnibus dederit fundamenta ſeminaque virtutis, nam hæc per eruditionem, conſuetudinem & exercitationem perficienda ſunt &regenda.Vnde Sen.Epiſt.95.Non poteſt,inquit,quiſquam niſi ab initio formatus &tota ratione compoſitus omnes exequi numeros, vt ſciat quando oporteat, & in quantum, & cum quo,& quemadmodum. Quare non poteſt toto animo ad honeſta conari, ne ſi conſtanter quidem aut libenter, ſed reſpiciet, ſed hæſitabit. Legiſlator Lacedæmoniorum, vt refert Plutarchus lib. de Educatione puerorum, catulos duos eorumdem parentum Lycurgus ſumpſit,quos pari modo educauit, verum vnum reddidit voracem & guloſum, ſagacem alterum & venatorem peritum; concione hinc aduocata Lacedæmoniorum, *momentum vtique Lacedæmonij*, inquit, *ad virtutis futuram haud eſt mediocre, aſſuetudo & doctrina & inſtitutio, diſciplinaq́, viuendi, id ego vobis exemplo planum faciam. Mox productos catulos illos dimiſit, ſtatuens ex aduerſo catulis ollam & leporem; ibi alter curſu leporem, ollam alter petijt.* Cum autem quid ea re ſignificaret aut quo ſpectans catulos oſtendiſſet, coniectare nondum valerent Lacedæmonij, *Parentum hi ſunt,*inquit,*eorumdem ambo, ſed quia in diſciplinam dati ſunt diuerſam, hic edax, alter euaſit venator.* Ariſtoteles 5. Polit. cap. 9. oſtendit ad Reip. ſalutem puerorum inſtitutionem ſpectare; *Omnium*, inquit, *eorum quæ dicta ſunt, ad Rerump. diuturnitatem & ſtabilitatem maximum eſt (quod nunc omnes negligunt) puerorum educationem atque inſtitutionem ad Reip. formam eſſe accommodatam.* Legum enim vtiliſſimarum, & ab omnibus in Rep. viuentibus comprobatarum, nullus eſt vſus, niſi Ciues illis erunt aſſuefacti, atque ad eas eruditi in Rep. adminiſtranda &c.

Quod attinet ad inſtitutionem puerorum, ea primis annis parentum ſub manu & oculis fieri debet, quemadmodum hic eius modum declaramus, etiam in œconomicis aliquid diximus. Grauiſſimè Quintilianus in inſtitutionibus ſuis, *iam primum*, inquit, *cuiq́, filius ex caſta parente natus, non in cella emptâ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cuius præcipuè laus erat, tueri domum, inſeruire liberis.* Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis ſpectatiſque moribus omnis cuiuſpiam familiæ ſoboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhoneſtum factu videretur. Ac non ſtudia modo curaſque, ſed remiſſiones etiam luſuſque puerorum, ſanctitate quâdam ac verecundiâ comprobabant. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Attiam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus ac produxiſſe Principes liberos accepimus. Quæ diſciplina & ſeueritas eo pertinebat, vt ſincera & integra, ac nullis prauitatibus detorta vniuſcuiuſque natura toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas &c. Plura ibidem &c.

Quando inſtitutio inchoanda.

CAPVT II.

De Publica in Scholis inſtitutione.

FOrmati ſub parentum manu pueri publicarum Scholarum ſpatia adire debent. Scholæ verò vel pueriles tantùm ſunt, ſeu triuiales, vel Academicæ. In illis legere ſcribereque pueri diſcant, & primam ruditatem primis Artium ſeu linguæ latinæ rudimentis deponant. In his verarum Artium & Scientiarum cognitionem adipiſcantur. Atque hæ publicæ Scholæ priuatæ adoleſcentum inſtitutioni ſunt præferendæ. Præterquam enim quod adoleſcentes partes ſint, ac membra quædam Reip,proindeque publicâ inſtitutione formandi: illa, quæ in publicis Scholis æmulatio eſt, induſtriam acuit, & diligentiam excitat. Nam honeſta conten-

Publica inſtitutio priuatæ eſt anteponenda.

tio

tio faces quaſdam ad ſtudia capeſcenda adoleſcentum animis ſubijcit, & ferè plus, quàm acris reprehenſio extimulat. Generoſæ Indolis Iuuenis inter poſtremos hærere diſcendo non vult, multò minùs herbam, vt aiunt, alijs porrigere. Qui inferior eſt, cùm aliorum progreſſus cum laude animaduertit, vnà aſſurgere conatur. Multos priuata illa inſtitutio corrumpit, quod mollis ſit, delicata, & indulgentiæ pleniſſima. Ad Principum igitur ac Magiſtratuum curam ſpectat id efficere, vt in Rebuſpublicis loca ſingularia conſtituantur, quæ ſtudiorum causâ Iuuentus frequentet, atque in ijs ad omnem humanitatem, omneſque vitæ partes informetur.

Exempla variarum Gentium.

PVblicam inſtitutionem priuatæ hic anteponimus. Ea Legumlatorum opinio ſemper fuit. Apud Lacedæmonios poſt ſeptimum ætatis annum à Parentibus remouebantur, & in turba publiceque inſtituebantur, quod vehementer Ariſtoteles laudat. Diodorus Siculus pariter commendat eam inſtitutionem publicam, quam apud Thurios ſuâ lege Charondas inſtituit lib. 12. cap. 4. Et verè quando publica inſtitutio eſt, & ex publico ærario inſtructoribus ſatisfit, non minùs pauperibus ſcholæ patent, quàm diuitibus. Ac quemadmodum ex Principum ordinatione quidam ex ærario publico Medici fouentur, qui ægros pauperes curent; ita publicos habere Profeſſores Reſp. debent, qui ex omnium animis ignorantiam depellant. Apud Perſas publicæ ſcholæ erant, in quibus boni mores, ſcientiæ & artes pro omnibus docebantur, & adoleſcentes tubæ ſono ante crepuſculum matutinum ad eas euocabantur, non aliter, quàm ad bellum, aut venationem. Apud Græcos, teſte Plutarcho in Camillo, ſingulæ vrbes communem vnum & publicum Magiſtrum habebant, vt pueri tempeſtiuè diſcerent in turba viuere & cum alijs verſari, ſiquidem ad eundem Reip. ſuæ finem contendebant; & vt non eſſent inter ſe tanquam exteri & peregrini. Id tamen Ariſtotelis tempore nondum receptum vbique fuiſſe videtur, cum lib. 8. Polit. cap. 1. tantopere ſuadeat ne priuatim, ſed publicè puerorum inſtitutio fiat, & ne ij parentibus erudiendi relinquantur, atque idcircò quod commune exercitium eorum eſſe debeat, qui communes ſunt, oporteatque exiſtimare ſingulos non eſſe ſuos aut ſui iuris, ſed omnes ad Ciuitatem ſpectare, cuius quia partes ſunt, debent ad idem & publicum bonum conſpirare. Apud veteres Gallos parentes non prius filios ſuos videbant, quàm ex publicis ludis reuerſi ad arma ferenda idonei erant, vt teſtatur Cæſar lib. 6. de Bello Gallico. Apud Indos in Regno Sophis, non pro parentum voluntate pueri educabantur, ſed ad arbitrium eorum, qui authoritate publicâ hanc Prouinciam ſuſceperant, puerorumque indolem, ingenium & propenſionem cognoſcebant. Alexandriæ, vt ſcribit Strabo lib. 14. erat Schola vna omnium artium & ſcientiarum, ad quam non indigenæ tantùm, ſed exteri etiam admittebantur. Quanquam etiam Alexandrinis permiſſum erat alio quoque ſtudiorum cauſa proficiſci. Apud Romanos ante Auguſti tempora nulla legitur fuiſſe publica Artium ſchola, adeoque primus fuiſſe Quintilianus videtur, qui publicam Romæ ſcholam aperuit, & ſalarium è publico accepit. Apud Athenienſes tria fuêre loca ſtudijs deſtinata, Lycæum, Cynoſargos, & Academia; quæ cùm priuata primo eſſent, vbi aucta & ditata ſunt per teſtamenta Philoſophorum, facta ſunt publica, in ijs numerus maior aut minor auditorum docentis ſcientiam teſtabatur.

CA-

CAPVT .III.

An expediat tantam eſſe publicarum in Rep. Scholarum multitudinem.

TOt illa Gymnaſia publicæque paſſim in omnibus ferè oppidis Scholæ non exiguum ſanè litterarum ac ſtudiorum progreſſui adferunt impedimentum. Quippe per eas fit, vt ſtudeant multi, pauci verò ſint docti. Neque enim ingeniorum vllus eſt delectus. Ad Scholas penè ab incunabulis pueri abripiuntur, quæque ad ſtiuam nata ſunt ingenia, ſtudijs conſecrantur, & ab ipſis opificum tabernis abducuntur. Docere omnes hodie volunt, & docendo multitudine delectantur. Inde quâcumque arte, qui audiant, conquiruntur, & quæſtuoſæ hôc tempore ſunt Scholæ. Ex ijs prodeunt plures, quàm in Eccleſia aut Rep. honeſtæ ſint conditiones. Nec mirum ſi poſt ſtudia egeant tam multi. Et quanquam, qui ſtuduerint, non deſint, adhuc tamen in tam multis Eccleſiæ & Reſp. officijs idonei viri deſiderantur. Illud ſanè ex ea Scholarum multitudine ſequitur, vt bonis Artibus ac Scientijs exiguus honor habeatur, quod eæ nunc ſint nimis vulgares. *Expedire non videtur.*

Equidem Reip. expedit, vt litterarij multi ſint ludi, in quibus legere ſcribereque, ac prima Religionis Chriſtianæ fundamenta diſcat Iuuentus. Id agant verò Principes, vt Gymnaſia publica & Academiæ, in quibus liberales Diſciplinæ ſcientiæque traduntur, ſint paucæ. Studebunt pauciores, & docti plures erunt.

Quædam explicatio cum ratione.

NOn expedire iudicamus. Beatus Rhenanus dicere ſolebat, quod quemadmodum Romanæ vrbis potentia non re aliâ, quàm mole ſuâ laborauit & tandem corruit, ita multitudo illa Gynaſiorum & Scholarum, adeoque Academiarum impedimento ac remoræ eſſet litterarum & ſtudiorum progreſſui. Eſt animalculum quoddam, quod Latini à pedum multitudine millepedam appellant, teſte Plinio, quemadmodum autem illud, etſi mille pedes habeat, omnium tamen inſectorum tardiſſimè incedit; ita quo maior eſt Scholarum numerus, eo minor ſolidè doctorum hominum copia fieri videtur. Potiſſimùm verò pro Rep. damnum eſt, quod nullus ingeniorum delectus habeatur, dum in tanta Scholarum multitudine præcipua omnium cura eſt, vt quiuis in Scholas abripiantur, etiam ſtupidiſſimi, vt Diſcipuli & auditores ſaltem habeantur. Sed hac de re iterum paulò poſt.

CAPVT IV.

De Academijs ſeu Vniuerſitatibus.

ACademiæ quædam ſunt litteratorum virorum Reſpublicæ, quæ Docentium Diſcentiumque multitudine, & ſingularibus Priuilegijs conſtant. Publica nimirum Gymnaſia Monarcharum auctoritate fundata, in quibus Artes omnes & ſcientiæ diſcere volentibus prælegûntur. Vulgò Vniuerſitates appellantur, quod vniuerſa in ijs doctrina, & pro vniuerſis tradatur. *Quid Academia.*

Erigendarum autem Academiarum poteſtas penes eos eſt, qui Maieſtatis Ius habent. Adeoque ſummi omnes Monarchæ publica aperire Gymnaſia, in quibus liberales omnes Diſciplinæ Scientiæque ciuiles do- *Qui erigere poſſint.*

 ceantur,

ceantur, ſupremâ ſuâ auctoritate poſſunt. Vt verò vel Ius Sacrum, vel Sacroſancta Theologia è publico ſuggeſtu explicetur, opus Summi Sacrorum Antiſtitis eſt voluntate. Cuius etiam ſola facit auctoritas ac conſenſus, vt quæ in Prouincijs aliquibus erectæ ſunt Academiæ, vbique Academiæ cenſeantur. Porrò in conſtituendis Academijs habenda eſt loci ratio. Inprimis vt in vrbibus maioribus & celebrioribus tantùm ſint; deinde aëris adſit ſalubritas, quæ ingenijs & corporibus conducit; tum rerum neceſſariarum abundantia, ne penuria ſtudioſam Iuuentutem alio migrare cogat, aut certè Annonæ caritas. Proinde conſideranda etiam eſt alimenta importandl commoditas. Facit quoque non parum ad celebritatem Academiarum celebritas vrbium, & benè morati ciues, vt viuere cum ijs ſtudioſi Iuuenes ſine tumultu ac pacificè poſſint. Multi peregrinorum mores non ferunt, ſuis omnes metiuntur, atque hinc turbæ, & in medijs ſtudijs quædam bella.

Quibus in locis, & quæ attendenda.

Præterea cùm in rebus humanis primum ſibi locum ſapientiæ ſtudia vendicent, magnis honoribus & priuilegijs ornandæ ſunt Academiæ. Idipſum ſtudiorum fauor poſtulat, & Academicarum perſonarum dignitas. Quare vt earum libertati conſultum ſit, habeant Tribunal ſuum & Magiſtratum, ſeu Rectorem ſupremum, cuius ludicio ſtare debeant. Quippè hoc veræ & liberæ Academiæ ſundamentum eſt. Deinde ab omnibus muneribus & oneribus cùm publicis tum priuatis ſint immunes. Adeò vt nulla Politico Magiſtratui in Academicos conceſſa ſit poteſtas, nec ab illis exigere quicquam poſſit. Quæ Academiæ ſunt, Reſpublicæ quædam ſunt, & peregrinis ferè hominibus conſtant, ideoque Ius & tribunal ſuum habere proprium debent. Indignum ſanè eſſet viros Academicos clariſſimos & doctiſſimos Ius ab alijs accipere, cùm ipſi omnem Iuris rationem doceant. Abſit verò ab Academiarum Tribunalibus ſtrepitus ille fori, & tot illæ ambages, quæ à Iuſtitia ſeducunt potiùs, quàm ad eam ducant. Indignius verò illud, ſi Doctorum domicillia & Collegia tumultuosè inuadere, ac tributi alicuius gratiâ violare vllus præſumeret. Sanctæ eſſe ac inuiolabiles perſonæ Academicæ, & res omnes eorum immunes eſſe debent. Patrocinium Academiæ Principes debent, alij omnes amorem, honorem, fauorem.

Ornandæ priuilegijs & honoribus Academiæ.

Antiquitas Scholarum, & varietas oſtenditur.

ORigo Academiarum ſeu publicarum ſcholarum antiquiſſima eſt, & eæ cum prima Monarchia inceperunt. Nemrodus enim, quem alij Belum appellant, primus Babyloniorum Monarcha, cum Chaldæi rerum Cœleſtium & Aſtrologiæ peritiſſimi poteſtatem docendi ab eo peterent, illis publicam Scholam aperire permiſit. Apud Ægyptios, qui omnium hominum vetuſtiſſimi eſſe volunt, auctoritate Pharaonis Heliopoli Academia inſtituta fuit, & Oſymanduas Rex ibidem Bibliothecam exſtruxit optimis quorumque auctorum libris inſtructiſſimam in vſum profeſſorum & ſtudioſorum. Hæc Academia poſt aliquot ſæcula per Ptolomæum Philadelphum tranſlata Alexandriam fuit, vbi tantopere Regis iſtius munificentia creuit, vt ex omnibus orbis partibus ad eam doctiſſimi quique confluerent. Hi in loco amæniſſimo, quem Muſæum nominabant, ex publico ſuſtentabantur, & ibidem Bibliotheca erat, in qua ſeptuaginta librorum millia, vel vt alij volunt, quadraginta millia viſebantur. Perdurauit longo tempore poſt publicatam Euangelij legem, ibique Didimus Origenes Dionyſius, Athenodorus, & S. Athanaſius diutiſſimè Theologiam docuerunt. Moyſes poſtquam exceſſit ex Ægypto inſtituit famoſum illud Collegium Doctorum legis pro inſtruenda iuuentute & ad explicandas Sacrarum Scripturarum difficultates. Verùm cùm toties Iſraëlitæ in ſeruitutem abducerentur, deſijt Collegium illud pœnæ tam citò, quàm inceperat. Poſtea tamen ſapientiſſimus Mortalium Salomon illud in monte Sion reſtaurauit, De quo Optatus Mileuitanus lib. 3. contra Parmenionem.

In Vertice montis Sion, inquit, *eſt non magna planities, in qua fuerunt ſeptem Synagogæ, vbi populus Iudæorum conueniens legem per Moyſem datam diſcere potuiſſet, vbi nulla lis audita eſt, nec ab aliquo celebratum iudicium, quia locus erat doctrinæ, non controuerſiæ.* Hoc in loco docuiſſe Salomonem ipſum volunt, & inde in orbem quaſi totum ſuæ Sapientiæ radios diffudiſſe, adeò vt diſſiti longiſſimè populi huc aduolarent, vt inſtruerentur & diuinos eius ſermones audirent. Idcircò Scriptura Sacra lib. 3. Regum cap. 4. *veniebant*, inquit, *de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab vniuerſis Regibus terræ, qui audiebant ſapientiam eius.* Inter eos, qui diuinam hanc inſtructionem hauſerunt, cùm Phœnices in omni ſcientiarum genere plurimum profeciſſent, eas multis orbis partibus communicarunt. Ab ijs Græci primam litterarum cognitionem acceperunt per Cadmum; deinde per Thaletem vnum ex ſeptem ſapientibus, qui Phœnix erat, vt Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum teſtatur, Philoſophiæ arcana didicerunt. Eius doctrinæ æmulatione concitatus Pythagoras in Phœniciam profectus myſteria Religionis Iudaicæ, politiam & leges didicit, & ex ijs ſua præcepta concinnauit Iudæis tam ſimilia, vt non pauci Iudæum illum fuiſſe putarint. Eius exemplo permoti Ariſtoteles & Plato in Ægyptum & Syriam peregrinati ſunt, vbi tantos in litteris ſacris progreſſus fecerunt, vt Iuſtinus Martyr Platonem appellet Moyſem Atticè diſſerentem; & Euſebius lib. 4. de præparatione Euangelicâ cap. 3. fateatur Ariſtotelem pulcherrimas in Philoſophia difficultates à quodam Iudæo didiciſſe, cuius aſſiduo conſortio fruebatur. Inde reuerſi, authoritate Reip. Athenis publicè docere cœperunt, & eius Academiæ fundamenta ponere, quæ totius Europæ celeberrima poſtea fuit. Tempore Saronis Antiquiſſimi in Gallia Regis inchoatam fuiſſe Tholoſanam Academiam ſunt qui tradunt, quæ Palladia dicta fuit. Fuit deinde Maſſilienſis, ac tum tempore Caligulæ Imperatoris, Lugdunenſis. Tempore Caroli Magni Pariſienſis, ad cuius normam reliquæ poſtea per Europam ſunt inſtitutæ. Et quidem Principum àuctoritate, nam vnum è Regalibus ſeu iuribus Maieſtatis eſt, Academias condere. Quod attinet ad Priuilegia, quibus donandæ & ornandæ ſunt Academiæ, eorum hæc ratio eſt, quod inter omnia humana ſapientiæ ſtudium primum ſibi locum vendicet, ac proinde honore & immunitatibus ſit ornandum & multò certè magis, quàm viri fortes, deque patria benè meriti prœmijs immunitateque donantur, cùm per ſapientiam fortitudo & aliæ virtutes regantur. Priuilegia autem eſſe debent pro Profeſſoribus & ſtudioſis, atque etiam par eſt, vt aliquibus gaudeant ciues vrbis illius, in qua Academia eſt, vt erga eruditos, ſtudia, & ſtudioſos rectè afficiantur, prodeſſeque illis velint & poſſint. Porrò plurima ſunt, varijs in Academijs conſtituta, tum ratione dignitatis, tum quia ſtudioſi maiori ex parte ſunt peregrini, quos vectigalibus & alijs contributionibus onerare velle indignum eſt, cùm multis ſatis iniurijs & laboribus à patria ſua remoti ſint obnoxij. Athenienſis Academia iam olim multis Priuilegijs gauiſa fuit, & eam pecunia, frumentoque annuo iuuit Adrianus Imp. illique etiam Cephaleniam vrbem donauit. Idem iam ante fecerat Demetrius. Conſtantinus Imp. cenſuit, vt Profeſſoribus Artium, Doctoribus legum, eorumque vxoribus ſit immunitas ab omnibus ciuicis & publicis muneribus, etiam ab hoſpitum ſuſceptione. Petrus Rebuffus ſtudiorum Priuilegia vſque 180. collegit, & de ijs librum peculiarem ſcripſit. Alia colligi poſſunt ex ſingularum Academiarum conſtitutionibus. Verè dixit Tacitus, *ſublatis ſtudiorum prœmijs ſtudia ſunt peritura.* Vnde id agere Principes debent, vt Academiarum Priuilegia tueantur, & ſua munificentia etiam quandoque augeant. Vide Titulos Codicis de Profeſſoribus in vrbe Conſtantinopoli, & de Profeſſoribus & Medicis. Quod mirum eſt, apud Turcas Hogeæ qui ſcientias profitentur, & iudices inſtruunt, exempti ſunt ab omnibus vectigalibus, contributionibus, & quibuſcumque ſubſidijs. Addiderunt aliqui Pontifices quaſdam ad beneficia Eccleſiaſtica certis menſibus vacatura nominationes, vt ſingulos ad ſtudia excitarent, & Profeſſoribus longo tempore fatigatis prouiderent. Tales ſunt Pariſienſi Academiæ per totam Franciam conceſſæ, Louanienſi per Belgium; Colonienſi in vrbe ipſa; alibi aliæ.

CAPVT V.

De Profeſſoribus quarumcumque diſciplinarum.

In iis attendi debet probitas & eruditio.

INſtitui ſine Profeſſoribus Iuuentus non poteſt. Prima ergò Reip. ſeu Magiſtratuum ſit cura, vt quàm idonei ſint, qui Iuuentuti ac tradendis diſciplinis præſint. In ijs probitas & Eruditio attendatur. Probitas ſit tanta, vt exemplo eſſe ad virtutem poſſint. Mores omninò puri, quique quandam ſeueritatem cum ſuauitate & humanitate ſpirent. Illa ad auctoritatem facit, hæc ad amorem. Nihil dicant aut faciant, vnde malum ad Auditores exemplum transfundatur. Faciliùs penè Iuuentus Præceptorum ſuorum vitia, quàm virtutes imitatur. Et ipſa vitia auctoritatem proſtituunt, & reuerentiam excludunt. Hæc verò vbi deeſt, fruſtrà fructum ſperes. Eruditio ſumma eſſe debet, in eo ſaltem diſciplinæ genere, cuius profeſſionem ſuſcipere volunt. Quippe nihil ineptiùs, quàm docere eos, qui diſcere adhuc deberent. Magnus ad ſtudium ſtimulus eſt doctrina Magiſtri, cui ſimiles eſſe optant diſcipuli. Eruditioni iuncta ſit facundia & ingenij quædam dexteritas, vt perſpicuè diſerteque omnia & ſingula explicent, & docendi Artem teneant. Doctos eſſe Profeſſores ſatis non eſt, niſi etiam facere alios doctos ſciant. Deeſſe verò prudentia non debet, quæ cùm ſit vitæ totius rectrix, tum ad tradendas diſciplinas maximam habet certè vim. Prudens Præceptor vitia ſcit emendare, reprehenſiones & grauiores animaduerſiones cùm opus eſt & quatenus ſuo loco, tempore, modo adhibet. Hæc ſi intempeſtiua ſint, odium pariunt & nihil efficiunt. Denique cùm optandum eſſet, vt docentium ingenium ei Arti, quam profitentur, & ijs Auditoribus, quos in diſciplinam receperunt, accommodum ſit; tum illud curandum vt litterarum & eruditionis ſint amantes. Tales enim, vt ſeipſos exerceant, libenter docent, & cùm viri ſunt boni, prodeſſe alijs ſtudent, paternoque diſcentes affectu complectuntur.

Cum eruditione ſit facundia.

Et prudentia.

Teſtimonia & Exempla.

IN Profeſſoribus quatuor requirimus, probitatem, eruditionem, facundiam, prudentiam. *Quærendi*, inquit Plutarchus, *liberis Magiſtri, quorum & inculpata ſit vita, & mores iuſta reprehenſioni non obnoxij, & qui peritia ſint minimè vulgaris. Fons enim & radix virtutis atque honeſtatis vitæ eſt inſtitutio proba.* Leges Theodoſij & Valentiniani Imperatorum, quæ in Codice habentur, hæc in ijs requirunt, quos Comitianâ dignantur. *Grammaticos tam Græcos quam Latinos, Sophiſtas & Iuriſperitos in hac regia vrbe profeſſionem ſuam exercentes, & inter ſtatutos connumeratos, ſi laudabilem in ſe probis moribus vitam eſſe monſtrauerint, ſi docendi peritiam, ſi facundiam dicendi, interpretandi ſubtilitatem, copiamq́; diſſerendi ſe habere patefecerint, & cœtu ampliſſimo indicante digni fuerint æſtimati, cùm ad viginti annos obſeruatione iugi ac ſedulo docendi labore peruenerint placuit honorari, & his qui ſunt ex vicaria dignitate connumerari.* Antoninus Imp. Commodo filio ſuo quatuordecim Doctores ex toto Romano orbe ſelegit, ex quibus quinque mox remouit leuitate morum offenſus; nouem retinuit, non tamen ſine dolore ſuo. Perſæ iuuentuti Principes viros præficiebant, vt iam ſupra dictum eſt. Nec ſine cauſa Conc. Tridentinum ſeſſione 5. cap. 1. curam examinandorum Profeſſorum Epiſcopis commiſit quoad vitam, mores & ſcientiam. De doctrina Profeſſorum nihil eſt laborioſè probandum. *Nam docere alios velle, quod neſcias, genus eſt infamiæ.* Et facit ad ſplendorem Academiarum Profeſſores non tantùm doctos eſſe, ſed excellen-

excellentes in ea ſcientia, quam profitentur, etiam fama aliqua nominis celebres. Præter doctrinam autem neceſſaria eſt quædam docendi dexteritas, quæ certo ordine accurataque methodo conſtet, ne auditorum ingenia non tam illuſtrentur, quàm tenebris inuoluantur, nec tam ducantur ad ſcientiam, quàm ab ea abducantur. Artes enim arte docendæ diſcendæque ſunt. Facilitatem adfert, & quaſi lumen addit eloquentia docentis, ac fruſtra in eo doctrina eſt, niſi hanc facundia depromat, & in auditorum aures animoſque paulatim iucundo elegantique verborum fluxu inſtillet.

CAPVT VI.

Quædam circa Profeſſorum inſtitutionem obſeruanda.

I. INprimis Profeſſorum omnium electio, aut eorum certè approbatio ad eos ſpectare debet, qui eruditione & vitâ ſpectabiles in Academijs primi ſunt, & eam regunt. Nunquam imperitæ & inconditæ Studioſorum turbæ ſuffragijs ea committatur: tum enim gratiæ pecuniæque ambitus valet, & non doctiſſimi, ſed gratioſiſſimi præponuntur. Multò minùs pro adipiſcenda profeſſione, publicè congrediantur ſeu docendo, ſeu aliud eruditionis ſpecimen edendo. Eiuſmodi congreſſus conuiuijs & inani oſtentatione finitur. Quod ſi quibuſdam in locis Profeſſorum electio ad Principem aut Magiſtratum ſpectet, nihil in ea niſi ex Academiæ iudicio ſtatuat, cui omnes amicorum commendationes par eſt poſtponi. *Electio fiat per primos in Academia.*

II. Honorarium ſeu ſtipendium Profeſſoribus diſciplinarum ex publico Ærario præſtetur. Tale ſit, quale vir bonus cupiat, malus faſtidiat. Si ampliſſimum fuerit, tum imperiti & mali ad illud lucri cupiditate adſpirabunt, & probi doctique, qui ambire neſciunt, excludentur. Ne tamen ita exiguum ſit, vt egeant illi, qui in Rep. ſapientiæ ſunt Magiſtri. Ex publico Ærario cùm ſoluitur, maior eſt docentium libertas, qui nec à fauore diſcentium dependent, nec à fraude. Optimè etiam ſic pauperum ſtudijs conſulitur. Quare nihil à ſtudioſis Profeſſores accipiant. Neque enim benè traditur diſciplina, quæ venditur; & qui accipiunt, Iuuenes ſtudioſos captant, ac propter ſpem molliùs & indulgentiùs habent. *Honorarium detur ex publico.*

III. Decet, vt omnes publico etiam honore proſequantur Artium & ſcientiarum Profeſſores, quorum ſplendidum & honorificium eſt munus, cùm morum, vitæ & doctrinæ ſint Magiſtri. Vnde poſt Principes & Rerum publicarum adminiſtratores proximus dignitatis locus viris eruditis & Academicis Profeſſoribus eſt tribuendus. Imò etiam ipſi Principes & Magiſtratus honorare illos tenentur; ſunt enim ipſorum Principum & Magiſtratuum inſtitutores. *Honorentur ab omnibus.*

IV. Duo abeſſe vitia ab eruditis Profeſſoribus debent, nimia Gloriæ cupiditas, & Auaritia. Hæc enim in contemptum eos adducunt, & ita animos illorum immutant, vt ea tantùm velint, per quæ pecunia, vel gloria comparatur. Sæpè ad indigna aliqua adigunt, vt vel non ſatis æquæ ſententiæ ſubſcribant, vel ad honores Academicos ſcientiarum dehoneſtamenta propter lucrum admittant. Qui nimiâ gloriæ cupiditate ducuntur, pertinaces plerumque ſunt, vinci ab alio non volunt, multò minùs doctiorem fateri, aut aliquid ignorare videri. Hinc rixæ, & ſectæ impotenter defenſæ. *Abſint gloriæ Cupiditas & auaritia.*

Quædam explicatio cum exemplis.

QVatuor ſunt, 1. Electio, quam primis in Academia tribuimus. 2. Honorarium, quod ex publico eſſe debet. 3. Honor, qui illis deferri ab omnibus debet. 4. Ne nimium gloriæ cupidi ſint & auari. De Electione, non idem eſt apud omnes receptum. Ea alicubi Magiſtratui vrbico competit, alibi Principi, nonnullis in locis ſtudiorum multitudini. Vbi ea Magiſtratui vel Principi conuenit, operæpretium eſt, vt ij nullam in Academia profeſſionem cuiquam conferant, niſi per Senatum Academicum probato & idoneo iudicato.

Quamquam immutare mores hic non poſſumus. Honorarium ſeu ſtipendium, quod ex publico eſſe debere iudicamus, ſit magnum potiùs, quàm paruum; mediocre ſaltem eſſe debet, ne quid exigere à ſtudioſa iuuentute docentes debeant, & vt ſuis neceſſitatibus facilè ſubueniant, hocque modo Vniuerſitates non intereant. Quibuſdam in locis Eccleſiaſtici in Profeſſorum ſtipendia contribuunt, vt Florentiæ; in alijs aliquibus quædam decimæ, quas Eccleſiaſtica beneficia pendunt, in eum finem Pontificiâ auctoritate deſtinantur. Neque id præter rationem eſt, cùm docentes Epiſcoporum vices obeant. Vnde Conſtantinopoli Doctores Metropolitanæ Eccleſiæ, qui docendi poteſtatem habebant, dignitate quoque Epiſcopali ornabantur, & locum in Patriarchatu poſt Vicarios obtinebant. Sunt etiam quædam Sacerdotia ſeu Canonicatus multis in locis deſtinati pro docentibus, & eorum profeſſionibus annexi. Præter ſtipendia ſint etiam alia prœmia, quibus induſtriâ docentium excitetur, & poſtquam docuerint, labor compenſetur. Sicut enim boni Ciues exiſtunt, vbi virtus prœmio honoratur, ita docti viri fiunt, vbi non tantùm ſtipendia ſunt, ſed propoſita etiam finitis laboribus prœmia. Veſpaſianus alias Imp. parciſſimus, vt ingenia artesque foueret, teſte Suetonio, *Latinis Græciſq; Rhetoribus annua centena conſtituit*, hoc eſt, bis mille & quingentos Philippicos, ſeu tria millia aureorum. Idem Saleio Baſſo Poëtæ quingenta donauit, hoc eſt, duodecim millia Philippicorum & quingentos. Idem vt ſcribit Plinius, Medicis duodecim millia aureorum aſſignauit. Antoninus Caracalla Imp. Opiano Poëtæ pro ſingulis verſibus ſibi dicatis aureum vnum dedit, & erant verſuum ſex millia. Antoninus Pius per omnes Prouincias Rhetoribus & Philoſophis ſalaria detulit & honores. Iis Alexander Seuerus Imp. Grammaticos & Mathematicos addidit. Diocletianus Emenio Rhetori ſexcenta annua aſſignauit in ſchola Auguſtodunenſi Doctori. Iulius Cæſar omnes liberalium artium Doctores, qui Romæ erant ciuitate donauit, quo honore nihil erat tunc èxteris optabilibus. Vide Lipſium cap. vlt. lib. 2. monitorum Politicorum.

Quod attinet ad honorem, is ſatis ex præcedentibus exemplis conſtat. Videndus Cicero Oratione pro Archia Poëta. Notum eſt quanti Ariſtotelem Alexander fecetit, qui in eius hiſtoriam animalium octoginta talenta contulit, hoc eſt, quadringenta & octoginta millia Philippicorum; vt non mirum ſit ſi Philippus eius parens vel idcircò gauiſus ſit natum ſibi filium, quod Ariſtotelis tempore natus eſſet. Notus etiam eſt Scipionis in Ennium amor, cuius effigiem ſtare in ſuo & Corneliorum monumento voluit. Carolus IV. Imp. ſæpè teſtatus eſt ampliùs ſe virorum doctorum diſſertationibus & diſputationibus, quàm opiparis conuiuijs delectari. Carolus V. Imp. quantus honor Sapientiæ Magiſtris deberetur abundè tunc declarauit, cum Academiæ Louanienſis Rectori dextrum latus ceſſit. Ante eum Carolus Audax Burgundiæ & Belgij Princeps, cum Ordines ſuarum Prouinciarum Antuerpiam conuocaſſet & cum ijs Rectorem Louanienſem, huic primum dicendi & agendi locum ante omnes apud ſe conceſſit.

CA-

CAPVT VII.

Quinam ampliùs honorandi ſint, Ciuiles Magiſtratus, an publici Doctores.

MOs patrius legem hic ponat. Maior ſanè virtuti & eruditioni, quàm Magiſtratui honor debetur; quod Sapientiæ excellentia maior ſit, quàm poteſtatis. Vt gubernare Magiſtratus poſſint, à Doctoribus ſuis habent, adeoque præponi debent, qui gubernandi ſcientiam docent, iis qui illa vtuntur. Ab Academiis teſtimonium ij habere debent, qui ad Reip. ſubſellia accedunt. Atque vtinam ſemper illud exigatur. Interim Academicorum iudicio ea ſubiacent omnia, quæ in Republica vel Eccleſia geruntur. Florentis Reip. ſignum eſt, cùm opulenti ſunt & in honore ſummo Académici. Multi ſolâ eruditionis prærogatiuâ Ciuilibus Magiſtratibus & honoribus ornantur. Experientia teſtis eſt, & Principum ac Regum ſauor. *Publici Doctores aliis præponendi.*

Authoritates & Exempla.

PVblicos Doctores ciuilibus Magiſtratibus anteponimus, quod ita ratio ſuadeat. *Qui docti fuerint*, inquit Deus in ſcriptura ſacra, *fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Theodoſius Imp. vt refert Nicephorus lib. 17. cap. 23. cum filios ſuos Arſenio inſigni virtutum Magiſtro commiſiſſet, quondam inuiſens ſcholam reperit filios ſuos cum ſplendore magnifico confidentes, & Arſenium inter docendum eis adſtantem. Qua de cauſa indignatus, filios inſignibus principalibus nudauit, itaque ait. *Si tales ſe præbituri eſſent, vt mores vitamq́ ſuam ad diſciplinam & leges Dei componerent; propenſum ſe fore, vt iis imperium in manus traderet, ad ciuium & ſubditorum commodum ac vtilitatem accommodatum; ſin minus conducibilius iis eſſe, vt ſic priuati vitam exigerent, quàm doctrina nulla cum periculo imperarent.* Pompeius magnus rediens ex Aſia Rhodum pertranſiit, & inuiſens Poſidonium Philoſophum faſces laureatos & victricia inſignia illi ſubmiſit, nec ianuam viri eruditi, quaſi imperio ſuo ſacratiorem, à lictore pulſari voluit. Antigonus Epiſtola ad Zenonem, quæ refertur à Laërtio lib. 7. *Ego*, inquit, *fortuna me quidem & gloria vitam tuam anteire exiſtimo; caeterùm diſciplina ſtudiiſq́ liberalibus, & perfectâ felicitate, quàm tu poſſides, longè abs te percelli me ſentio.* Apud eundem Laërtium lib. 9. ſuperſunt litteræ Darij ad Heraclitum his verbis: *Rex Darius auditor tuus eſſe cupit, particepsq́ Græcæ eruditionis fieri. Venias igitur ſtatim ad conſpectum meum ac Regiam domum. Apud me enim aderit tibi omnis honor, priuatusq́ omnis, quotidieq́ ſollicita obſeruatio, & grata collocutio, vitaq́ tuis moribus probabilis.* Dionyſius Tyrannus in Sicilia Platonem vittatâ naue vocauit, albiſque quadrigis venientem in littore excepit. Sigiſmundus Imp. cum Georgium Fiſchellum Doctorem equeſtris ordinis honoribus auxiſſet, & ille relicto Doctorum ordine cum equitibus ſederet, ita eum reprehendit. *Stulte agis, qui litteris militiam præfers; nam ego milites & equites mille vna die fecerim, Doctorem mille annis vnum non fecerim.*

CAPVT VIII.

An expediat Reip. Viros Religioſos & Monachos publicè Diſciplinas profiteri & docere.

IVuentuti Moderatores dari eos poſſe, qui Religioſi & Monachi ſunt, nemo inficias ibit. Probitatem habent, & hanc ſingulari vitæ perfectioris *Docere omninò poſſunt.*

 inſti-

inſtituto profitentur. Doctrinâ deſtitui non poſſunt, qui otium ſuum pietatis & ſtudij exercitijs conſecrant. Olim litterarum diſciplina intra ſola ferè Monachorum & Religioſorum Domicilia annis quàm plurimis ſtetit. Inſtitutæ poſtmodum ſunt Academiæ, & ad eas diſciplinæ omnes migrauerunt. Sanè inſtruere ad pietatem quàm optimè Iuuentutem poſſunt, & teneræ ætatis mores ad legum ſacrarum normam formare. Nec eos politiores litteræ dedecent, quæ Theologiæ magnum ſunt ornamentum, & ſine quibus vix eſt, qui ſacri Oratoris officio fungatur.

Reſp. tamen vti eorum opera ad docendum non debere.

Enimuerò cùm hanc adferre Reip. vtilitatem Religioſi & Monachi poſſint, tum eorum parcere laboribus Reſpublica & Inſtituto conſulere deberet. Habeant ſuis in Monaſterijs Scholas ſuas; in his Philoſophicas diſciplinas & ſacram Theologiæ Scientiam doceant, diſcantque. Nihil magis Religioſos decet, quàm cum ſubmiſſione & amore in ſtudium diuinarum Scripturarum incumbere. Illa diſciplinarum profanarum profeſſio regularis vitæ diſciplinam non benè conſeruat. Malunt ſacræ illæ perſonæ benè latere, quàm in publica pulpita prodire. Concionibus ſacris, hominum ſaluti ſtudere, Religionis prima rudimenta pueris & rudibus tradere, ægris magno charitatis officio adeſſe, atque alia eiuſmodi Chriſtianæ pietatis exercitia ſubire, hoc demùm eſt eorum. Profanarum illa litterarum tractatio, & quæ in Academijs eſt ſcientiarum varietas, diuinis eorum occupationibus non ſatis conuenit. Nec ſatis decere videtur, vt in Scholis profanos inter homines agant, cùm in ſacris templorum officijs eſſe, & precibus operam dare deberent. Valedixerunt Religioſi moribus ſæculi, quis eorum operam ad illos formandos requirat? Ad Poëtarum fabulas, & illa profanæ eruditionis non profutura ſibi documenta redire non optant. Totis diebus in Iuuenum corona ſtare, agere, loqui, audire, ſui eſſe inſtituti non putant, qui, vt laterent, & profanorum hominum conſortia quodammodo fugerent, ſacram veſtem induerunt. Nec ignorant Religionis & ſanctioris vitæ ſpiritum in hominum turba aut non alibi benè, aut paulatim extingui. In hoc ſanè negotio illecebræ ſunt, & eorum facilè amor excitatur, quæ ipſi deſeruerunt. Theatrales oblectationes hodie ſæculi mores exigunt, & vix ſacra placent, niſi nugas admiſceas. Etiamne huic voluptati Religioſi ſeruiant, & nugas tractent? Nolunt in Theatris conſpici. Profana, inquiunt, profani tractent; aliæ ſunt Academiarum, aliæ Monaſteriorum rationes. Conſultum igitur eſt, vt eorum inſtituto ita Reſpublica conſulat, vt ſacris illos occupationibus ſuis vacare ſinat, quantumque poteſt, iuuet; Scholis profanis alios, qui in tanta multitudine deeſſe non poſſunt, præficiat. Vbi profectò Religionis vigor erit, & accurata diſciplina, ibi nec res neceſſariæ deerunt, nec perſonæ. Prouidebit ille, qui deeſſe pijs non poteſt.

Authoritates & Exempla.

Religioſos docere poſſe fatemur, non expedire tamen ſuſtinemus. Trithemius libro de laude Scriptorum cap. 16. ſatis oſtendit olim in monaſterijs ſcientias doceri moris fuiſſe, ac tunc cœnobia pro Gymnaſijs extitiſſe. Potiſſimùm tamen ſtudia Theologica in Religioſis domibus tradebantur. Sic Gregorius Magnus, cum Britannias ab Hæreſi Pelagiana repurgaſſet, ſacras lectiones monaſterijs delegauit. Et monaſteria vſque ad annum Chriſti 1200. fermè ſola litterarum domicilia fuere, ac tunc ab eo anno inſtitutæ ſunt Academiæ, monaſteriorumque diſciplina lapſa fuit. Sub primis Imperatoribus Chriſtianis Philoſophia & litteræ in ſcholis Ethnicorum adhuc docebantur, donec Apollinaris cum filio primas Chriſtianorum ſcholas aperuit tempore Iuliani Imperatoris, qui Chriſtianis litterarum ſtudia prohibuit. Poſtquam verò Chriſtiana Religio

poſt longam Catholicorum Impp. ſeriem in Oriente & Occidente fundata fuit, & ſimul quædam hæreſes enatæ ſunt, data Epiſcopis & Abbatibus cura fuit inſtruendi. Inde Dicmarus in chronicis ſuis ſcribit monaſteria olim in Germania fuiſſe publicas ſcholas. In Hiſtoria Eccleſiaſtica Anglicana legimus Theodotum Epiſcopum, & Adrianum Abbatem præter Theologiam docuiſſe Aſtronomiam, Arithmeticam, Poëſim, Linguas Græcam & Latinam. Id receptum tempore Caroli Magni in Francia & Germania. Ioannes Auentinus in Annalibus Bauariæ mentionem facit Monaſterij Ratisbonenſis ordinis Sancti Benedicti, quod Theado Dux fundauit, in quo magnus, Monachorum numerus artes liberales & Theologiam tradebat. Cur tamen tradi ſcientiæ Ciuiles à Religioſis minimè debeant præter rationes hic allegatas, alia eſt, quod cùm ipſi eas exercere non poſſint aut debeant, vtique nec docere. Indignum eſſet eos ab exercitijs ſuæ Religionis abſtrahi, & rerum humanarum quâdam contagione infici. Neque pueros inſtruere ipſi poſſunt, quin cum eorum parentibus communicare debeant, vnde rerum humanarum quidam amor enaſcitur, & vlteriùs procedens curioſitas plura circa familiam diuitias inquirit, quam oporteat, non ſine deſiderio aliquo, quod. ſenſim pietatem extinguit, & inflammat cupiditatem. Quid quod etiam inter plures docentes æmulatio exurgit, & ambitio, & arrogantia, & contentio, quæ vitia religioſam humilitatem ſuffocant? Cabótus hanc adfert rationem quod Religioſi docendo multas opes acquirant, & quidem Societati ſuæ; ſæculares autem ſibi tantùm ac priuatis ſuis familijs, adeoque quod acquirunt, Reip. non perit. Deinde Societates Religioſorum paulatim opibus creſcentes ſe diffundunt & multiplicant non in pluribus tantùm Prouincijs, ſed etiam in vna & eadem: Vniuerſitates autem ſæcularium non expetunt aliarum erectionem. Præterquam, quod opum abundantia inuehat in monaſteria ignorantiam non ſine boni publici detrimento; ac ſæpè contingit, vt vbi nimiæ ſunt opes, ibi deſerantur profeſſiones. Accedit quod Religioſi piâ quâdam ſollicitudine diſcipulos ſuos ad Religioſum ſtatum ſuum forment, ſi alicuius expectationis eſſe videantur; vnde fit, vt Reſp. præclaris ingenijs deſtituatur, nec per idoneos ſatis adminiſtretur. Quam ob cauſam D. Borromæus ad conſtituta à ſe Collegia Religioſos non admittebat, dicebatque *Eccleſiam magis egere Paſtoribus, quàm Religioſis.* Cùm autem aliquando Pariſijs Dominicani Religioſi poſtularent permitti ſibi, vt apertis ſcholis ſcientias profiterentur, paſſi ſunt repulſam, quod vererentur Regia Concilia ne paulatim tota fieret regularis Vniuerſitas, & à Iuriſdictione ſæcularium ſepararetur. Nihil meliùs eſſe, quàm religioſos ordines intra primi Inſtituti ſui continere, non aliud aggredi, & ab origine ſua diſcedere. Nolunt Religioſi in mores ſuos inquiri per Magiſtratus ſæculares, aut per Epiſcopos, quorum iuriſdictionem non agnoſcunt in ſe. Vide quæ Pariſijs acta ſunt hâc ſuper re anno huius ſeculi vndecimo in Tomo 2. Mercurij Gallici, ſeu in continuatione eiuſdem.

CAPVT IX.

An Iuuentus ſeuerâ animaduerſione & plagis quibuſdam duci ad eruditionem debeat?

AN Iuuenum ſtudioſorum punitio conſiſtere intra verborum acrimoniam debeat, dubitant aliqui. Deforme videtur adoleſcentes ingenuos vapulare, & ad officium flagris compelli. Alacritas diſcentium laudibus, præmijs, & honoribus excitatur; & meliùs qui ingenui ſunt pudore, quàm metu continentur. Illa docentis ſæuitia, & minantis oris auſteritas odium ſcientiarum in diſcentium animis parit. Verberum pretio Artes ſibi comparare vix adoleſcentes volunt, & ſunt inter eos etiam, quos nulla flagra meliores facient; aut ad curſum incitabunt, *Rationes negantes.*

adeò-

Rationes affirmantes. adeoque acta eſt cum illis cauſa. Sanè ſi adoleſcentes omnes, qui in curſu ſunt ſtudiorum, faciles eſſent, obſequentes, eruditionis & laboris amantes, ſeuerâ nullâ opus eſſet animaduerſione. Id quia conſequi felicitas Scholarum non poteſt, plagis aliquibus, & verberum metu improuida ætas quandoque eſt coërcenda. Illa nimis leuis Iuuentutis tractatio mater eſt inſolentiæ & ſuperbiæ. Magnum habet fructum moderata ſeueritas, quæ adoleſcentiæ errata plagis corrigit. Efferueſcentes enim in adoleſcentibus cupiditates coërcet, primæ ætatis ſtultitiam fugat, & vitiorum ſemina, ne pullulent, in radicibus frangit. Nemo neſcit peccare Iuuenes; ſi laudes aut præmium offeras, vitia nutris. Etiam huic ætati quædam adhæret deſidia, quam ſolus timor & dolor expellit. Amat eadem non tam quæ vtilia ſunt, quàm quæ iucunda; adeoque reuocari ad officium pœnâ aliquâ debet. Hæc peccati odium parit. Neque Scholarum contumelioſæ ſunt plagæ: & multis eſt, magnis etiam ingenijs, coërceri ſalutare. Quid, quod etiam quorundam animi laude nullâ excitentur? Seuerâ animaduerſione optimè proficitur. *Modus.* Sit tamen hîc modus. Sit clemens ſeueritas, & ſeuera clementia; vt nec ſtudia odioſa reddantur, nec inertia, aut vitia permittantur. Qui laudibus & eruditionis fructu concitantur, plagas non ferant, & alantur generoſi iſti animi begnitate. Vbi vitia naſcuntur & ſeſe exerunt, otioque langueſcunt animi, grauior animaduerſio adhibeatur, & acerbitate deterreantur. Ipſi docentes dum puniunt, modum ſibi & legem ponant, vt nec irati, nec præcipites ferantur, nec in verbis contumelioſi ſint, & pares delicto pœnas infligant.

Nihil hic addendum.

VTrimque quæſtionem hanc diſcutimus, & adhibito modo, vt cùm clementia quædam ſeueritas ſit, reſoluimus. Eandem tractauimus rationibus vtrimque adductis lib. 1. Oeconomicorum Tit. 4. cap. 17. quæſtiuncula prima.

CAPVT X.

De delectu ſtudioſorum ſeu diſcipulorum faciendo.

MVltos hodie ſtudijs Artium operam dare, non exiguum Reip. malum eſt. Nullus enim Iuuenum eſt delectus, ingenioſi pariter & ſtupidi ſtudent, quique ad ſtiuam ſunt nati, Mineruam colunt. Magnus igitur ingeniorum habendus eſt delectus, nec ad ingenuas artes admittendi, niſi qui ingenio & labore ijs aſſequendis pares eſſe poſſunt. *Studioſi ſine delectu ad ſcholas non admittantur.* Proinde qui ad Artem aliquam aut ſcientiam audiendam ſeſe præſentant, eorum à Profeſſoribus ingenium exploretur. Ij apti ſunt cenſendi, qui & ingenium habent, & ſtudium laboremque promittunt. Certi etiam ſunt ſcientiarum ediſcendarum gradus, quos tranſilire ſit nefas. Vna hîc mali eſt cauſa, pecuniæ & gloriæ cupiditas. Profectò ſi gloria quæratur, glorioſius eſt parum ſapidi ſalis, quàm inſulſi multum habere; hoc eſt diſcipulos paruo numero doctos, quàm indoctos magno. Neque ea melior eſt Schola, in qua plures ſunt Auditores, ſed in qua meliùs docetur. Si ſuperbiam & quæſtum tollas, quantumcumque Auditorium Doctori ſufficiet. Doctrinæ famâ trahendi ſunt Auditores, non ambitu aliquo quærendi, aut emendi, aut emendicandi. Mercantur eos aliqui iam in cunis, & conuitijs in alios iactis, ſe doctos probant. Quaſi ideò ipſi docti, quia alios mentiuntur ignaros.

ignaros. Hæc æmulatio pernicioſa eſt. Porrò hæc circa ſtudioſos obſeruanda.

I. Ad pietatem & Chriſtianos mores primò inſtituantur, ad litteras deinde & ſcientias alias.

II. Ab alea & armis, nocentiſſimâ vtraque peſte, Iuuentus abſtinere cogatur. Scientiarum pulcherrimarum Alumnos arma non decent, ſed libri, verecundia, caſtitas. *Circa eos quæ obſeruanda.*

III. Trimeſtribus ſingulis Magiſtri de ſuorum ingenijs diſcipulorum deliberent ac decernant, ſeuero quidem iudicio, ſed affectu paterno. Vt nimirum præpoſtera illa & hebetia ingenia, quia nulla ſpes profectus eſt, ad id, ad quod apta ſunt, mittantur, ne quid prauè & ſiniſtrè coacta tractent; alia verò excitentur ampliùs.

IV. Nihil meliùs, quàm negotium Iuuentuti committitur, quæ otij dulcedine cum periculo ſtudiorum & morum infeſtatur. Itaque habeant ſemper quod agant ſtudioſi adoleſcentes, & deſtinatæ ſint ſingulæ exercitijs horæ.

V. Cùm animorum relaxatio neceſſaria ſit, tum ijs luſibus exerceri Iuuentus debet, qui ingenium retegunt & mores naturæ. Adſit inter æquales concertatio; hæc enim ingenium oſtendit.

VI. Cùm laude diſcentium alacritas excitetur, tum nimij honores, & vimbratica quædam imperia ſuperbiam & præpoſterum faſtum in ſtudioſorum animis generant. Optima eſt æmulatio, quæ ad doctrinam cum gloria eſt. Multi modeſtiam & pudorem in Scholis deponunt, vbi addiſcere deberent. Nimiâ licentiâ non pauci praui fiunt, & docentium familiaritas verecundiam tollit diſcipulorum.

Teſtimonia & Exempla.

Nihil hoc delectu Reip. vtilius, ne inuicta Minerua, quis in ſtudia incumbat Reip. aut grauis aut inutilis. Duo habeant admittendi ad ſtudia, primùm ingenium indolemque bonam, alterum virtutis ſtudium cum diligentia & reuerentia erga Præceptores. Ingenij ſigna deſcribit Ariſtoteles in Phyſionomicis; item Theocritus & paſſim alij; ſed ſæpe illa ingeniorum ex ſignis iſtis æſtimatio fallit. Dat enim Deus Sapientiam cui vult, & ab illo ea petenda eſt exemplo Salomonis, qui cap. 9. ſic orat: Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. Qui de ingenio adoleſcentum iudicaturus eſt, ad ſigna quidem Phyſionomica attendet, ſed potiſſimùm explorabit memoriam, conſiderabit induſtriam, aduertet an citò ratiocinentur, & percipiant; multa notabit in vſu domeſtico, in luſu, in recreatione, an ad inopinata, & acuta dicta arrideant, an res arte factas & nouas admirentur, & quærant; an facilè quæ vident, imitentur. Seneca magnus ingeniorum æſtimator Epiſtola 66. parum tribuit ſignis Phyſionomicis, & id oſtendit in Clarano condiſcipulo ſuo, cuius magna anima in corpore parum perfecto habitabat. Adhibenda ergò experientia eſt, antequam à litteris quiſpiam repellatur; relegandus autem eſt, quamprimum idoneum eſſe conſtat. Sunt enim quædam corpora ferè ſine mentibus. Apollonius Alabaudenſis, teſte Cicerone de Oratore, etſi mercede doceret, non patiebatur eos, quos Oratores non futuros putabat, ne operam apud ſe perderent, & ipſe laborem fruſtrà impenderet. Quippe vt ait Salomon Prouerb. 27. *Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas, feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius.* Magna ingenia optanda ſunt, ſed mediocra ſufficiunt, ſi labor non deſit. Nullum magnum ſine mixtura dementiæ fuiſſe oſtendit Seneca lib. de tranquillitate animi. Cauſam ibidem reddit, quia non poteſt grande aliquid & ſupra cæteros loqui, niſi mota mens &c. Magnitudo ingenij, ſi virtus abſit, magnos errores gignit. Vnde de Themiſtocle Præceptor eius dicebat, *Tu fili, nihil mediocre eris, ſed vel magnum patriæ lumen, vel magna peſtis.*

CAPVT

An Tragœdiarum aut Comediarum per Iuuentutem exhibitio in Academijs ſit probanda.

CAPVT XI.

Vtiliter dramata exhibentur.

PRobanda omninò. Per hanc enim virtus inſeritur, Ciuilis prudentia docetur, Iuuentus honeſtâ actione formatur. Vt hoc verò fiat, digna ſit Dramatis materia, & omni turpitudine careat; geſtus pudici ſint & grauitate temperati; verba ſine vlla obſcœnitate; affectus tales, qui vitiorum odium gignant, vel amorem virtutum. Lepôres & ſales ſine damno morum honeſti & acuti Multi ruditatem & ruſticitatem in Theatris poſuerunt: multi viuendi in Societate hominum modum didicerunt.

Recepta conſuetudo confirmat.

ALibi Hiſtrionum ſpectacula damnauimus, hic in Academijs ſpectacula exercendæ iuuentutis admittimus, ſed cum modo & certis legibus; quæ ſi obſeruentur vtilitatem habent. Ad horum confirmationem ſufficiat vſus paſſim in Chriſtianorum ſcholis receptus, quo & virtus aliqua docetur, & vitia odio exponuntur, prætenquam quod ciuilis quædam prudentia tradatur & corporis actio formetur.

CAPVT XII.

An adgradus Academicos etiam parum docti admitti debeant.

Reijci ab Academicis gradibus debent qui indocti ſunt.

NEquaquam ſanè laureis Academicis ornandi ſunt illi, qui Academiæ ſuæ honorem tueri, aut alijs prodeſſe non poſſunt. Quippè ſine crimine eſſe non poteſt Magiſtrum eum aut Doctorem publicâ auctoritate renuntiare, qui idoneus per eruditionem non eſt, quod ſine Reip. detrimento fieri id non poſſit. Quid enim eſt aliud, hominibus imperitis docendi poteſtatem concedere, & Academico teſtimonio doctos aſſerere, quàm Rempublicam vniuerſam fallere? Inſigniter Eccleſiæ illæ decipiuntur, quæ cùm ab Academijs viros eruditiſſimos expectent, & vt habeant Lauro inſignitos, requirunt, interim laureatos Aſinos accipiunt. In ipſis Academijs ſtudiorum labor remittitur, cùm ad gradus Academicos imperiti promouentur. Pauci quærere ſummo labore titulum & honorem volunt, quem ferè nullo poſſunt obtinere. Id fieri oportet, vt nemo in ſcientia aliqua Doctor renuntietur, qui eam docere profiterique ſtatim non poſſit.

Teſtimonia & Authoritates cum ratione.

SOlon apud Lucianum optat, vt qui ſe rectè geſſerint in Gymnaſijs, honorati ab omnibus conſpiciantur, vt vniuerſa Iuuentus ad ſcientiarum & virtutis amorem inflammetur. Concilium Lateranenſe magnam auctoritatem, gradibus & dignitatibus Academicis conciliat; & in eam rem multa ſunt decreta Concilij Viennenſis ſub Clemente V. celebrati. Porrò cum gradus ſeu honores Academici ſint teſtimonia publica eruditionis cum dignitate & reuerentia collata, & poteſtas agendi fruendique bonis, quæ dignitati collatæ connexa ſunt, profectò conferri indignis non debent. Ideò iuramento adſtringuntur Doctores Academici.

mici, vt indignos repellant, ne ab ijs Reſp. detrimentum accipiat, & ne gradus Academici contemnantur, cùm non ampliùs eruditionis teſtimonia eſſe apparebunt. Grauiter proinde in Remp. peccant, qui acceptâ pecuniâ quoſuis Academicis laureis ornant, ac plerumque abſentes, quos per examen, velut adLydium lapidem explorare oporteret. Apud Sinenſes, vt refert Nicolaus Trigautius lib. 1. nullus gradus ſeu ſtudiorum honor confertur, niſi præmiſſo triplici examine. Qua de re multa ille ibidem. Si Doctor eſt, qui docere poteſt; nemo ad hunc gradum admitti debet, qui non ſtatim docere profiterique poſſit.

CAPVT XIII.

De Ordine ſtudiorum.

Recepta ſtudiorum inſtituendorum ratio hæc eſt, vt liberalibus inprimis diſciplinis, quæ humanitatis ſunt Artes, Iuuentus inſtituatur, tum ad Philoſophicas ſcientias gradum faciat, ac deinde, vbi de vitæ genere ac conditione conſtituerit, vel ad S. Theologiæ, vel Iuris ac Legum, vel Medicinæ ſtudia tranſeat, in quibus tandem Lauro donata ad Eccleſiam vel Rempub. ſeſe conferat. Hic ordo paſſim in Academijs eſt, nec à quoquam improbandus. Ipſe verò diſciplinas tradendi modus emendari in multis fortaſſe poteſt. Atque inprimis illud miſerrimum eſt Iuuentutem in tot Humaniorum Artium Scholis annos ſeptem vel octo deſidere, ac eundem perpetuò lapidem mouere, vt latinè loqui diſcat. Quaſi vna hæc lingua diſci vno aut altero anno, ſicut cæteræ, non poſſit. Duæ eſſe Grammaticæ Scholæ poſſunt. In prima primo anno Etymologia, & ſuccinctæ Syntaxeos tabulæ, cum Colloquijs & Epiſtolis facillioribus tradantur. In ſecunda ſecundo anno Etymologia repetatur, Syntaxis abſoluatur, & Proſodia. Vtrobique aſſiduæ ſint & faciles ſtyli exercitationes. Nulla hîc difficultas, ſed reijcienda ſunt ſuperuacanea Grammaticorum præcepta. Neceſſaria tantùm explicentur, & vſu quàm plurima diſcat Iuuentus. Non meliùs quàm vſu & pauciſſimis præceptis linguæ diſcuntur. Proponendæ verò etiam Græcæ linguæ inſtitutiones: Item Arithmetica, Muſica, & prima Matheſeos rudimenta, quæ puerorum ingenia facilè aperiunt, & auidè Iuuentus capit. Subſequi Rhetoricæ Schola poteſt, ſed quæ cum Dialectica & Hiſtoria explicetur. Pauca hîc iterùm eſſe præcepta debent, ſed vſus ſtyli aſſiduus. Quamquam fieri Orator nemo, niſi poſt ſcientias alias, poteſt. Vltima audiri Rhetorica deberet. Inde cum Phyſica Metaphyſicaque, vt cultior & doctior ſit Iuuentus, ſcientiæ omnes Mathematicæ iungantur, Ethica, Oeconomica, Politica explicentur. Nec tempus deerit, ſi eæ, quæ plurimæ hodie ſubtiles nugæ traduntur, & quibus tantùm oneratur, non doctior ſit Iuuentus, relinquantur. Dolendum eſt tam multa hodie tanto labore diſci, quorum extra Scholas vſum non inuenias. Sed quoniam tradendis diſciplinis legem hîc non pono, ij videantur, qui Artium & ſcientiarum Methodos ſcripſerunt.

Communis ratio ſtudiorum.

Modus pro lingua latina diſcenda cum Artibus alijs.

Modus pro Philoſophia.

Variorum ſcriptis hæc confirmantur.

Modum & ordinem aliquem ſtudiorum inſtituendorum hic tradimus ne confuſio ſit, & tædium ex diuturnitate oboriatur. Et vt nihil ampliùs addamus, legendi ſunt paſſim illi, qui methodum in ſcientijs proficiendi, aut earum ordinem tradunt.

FINIS LIBRI TERTII.

Ff NICO-

NICOLAI VERNVLÆI INSTITVTIONVM POLITICARVM SEV ELEMENTORVM CIVILIS DOCTRINÆ.

LIBER QVARTVS.

De internis & externis Reip. malis.

TITVLVS I.

De Coniurationibus.

CAPVT I.

Quid Coniuratio, & qui Auctores.

REIPVBLICÆ mala alia interna ſunt, quæ nimirum ex ipſa naſcuntur, & in eius hærent viſceribus, vt Coniurationes, Proditiones, Seditiones, Factiones, Rebelliones. Alia externa, quæ videlicet aliunde inferuntur, vt Bellum. De his inſtruendus etiam eſt Politicus, quod eius non tantùm ſit Reipublicæ bonum procurare, ſed etiam malum, quâ poteſt prudentiâ, auerterre. Quare de internis illis primò, tum de externis ſuſcipienda hîc tractatio eſt.

Definitio Coniurationis. Coniuratio eſt vnius vel plurium ſuſceptum ad ſummi in Repub. Magiſtratus pernitiem conſilium; ſeu eſt peruerſa tollendi è medio Principis, patriæque perdendæ voluntas. Hæc vel vnius eſt tantùm, qui ſolus nefario conſilio in Ptincipis perſonam conſpirat; vel plurium, qui communicato conſilio inſidias Principi ſtruunt. *Auctores.* Auctores plerumque ſunt homines turbulenti, Inopes, Arrogantes, Præpotentes, & ambitioſi. Atque illi quidem turbulenti, cùm tranquillâ Rep. conſequi nihil poſſint, nouarum rerum

rum cupidi, vt aliquid obtineant, turbas mouent, & alacres latiſque volitant. Qui inopes ſunt, odio fortunæ ſuæ mutare omnia ſtudent, & publicâ malunt, quàm ſuâ tantùm ruinâ perire, potiſſimùm ſi Nobiles ſint & non infimi homines ſubſellij. Arrogantes verò, qui quâdam animi magnitudine & confidentiâ valent, cùm Principum imperia ferre non poſſint, & multò minùs contumeliam aliquam aut inſolentiam, facilè in Principes conſpirant. Sublimes illi animi, & magni ſpiritus omnem Dominum oderunt, & libertatem ſpirant. Præpotentibus autem & ambitioſis Aulæ miniſtris aliquem ante ſe videre graue eſt, ideoque deijcere cupiunt, & quia felicitatem ſuam non intelligunt, vltra, quàm deberent, cupiditatem ſuam porrigunt.

Explicatio cum Exemplis.

DEFINITVR Coniuratio inprimis, deinde eius auctores aſſignantur. Coniuratio vnius eſt aliquando tantùm. Talis fuit ea, quam Suetonius in Auguſto, cap. 19. refert, cum Telephus vltimæ ſortis homo & mulio tantùm, auſus eſt cum Andaſio & Fpicado Cæſarem Auguſtum aggredi, quaſi debitâ ſibi fato dominatione. Item, eodem ibidem teſte, cum lixa quidam ex Illirico exercitu Ianitoribus deceptis noctu iuxta Cæſaris Auguſti cubiculum cultro venatorio cinctus inuentus eſt, qui an impos mentis eſſet, an verò dementiam ſimularet incertum eſt, nihil enim exprimi quæſtione potuit. Talis etiam fuit Rauaillaci iſtius, qui anno 1610. Henricum quartum Franciæ Regem cultro mediâ in vrbe Parienſi interemit. Item eius, qui anno 1622. Sigiſmundum Poloniæ Regem eius nominis Tertium irrito etſi geminato ictu eſt aggreſſus. Aliquando plurium eſt, vt coniuratio illa Catilinaria, quæ in totius Reip. Rom. extremam pernitiem Cicerone Conſule ſuſcepta fuit. Item plurimæ aliæ, de quibus paſſim Gentium omnium Hiſtoriæ fidem faciunt. Auctores inſidiarum ſeu coniurationum pleſumque ſunt homines turbulenti, fortunarum inopes, arrogantes & elati, præpotentes etiam & ambitioſi miniſtri. Turbulenti illi ſunt, de quibus Cic. Orat. 2. in Catilinam, *qui honores, quos quieta Rep. deſperant, perturbata conſequi ſe poſſe arbitrantur. Ita quippe ſe res habet*, inquit Corn. Tacitus lib. 4. Annalium. *Vt publica ruina quiſque malit, quam ſua proteri, & idem paſſurus minus conſpici. Seu qui turbatis rebus alacres ſunt*, vt idem ait 1. Hiſt. Vel, vt ait Saluſtius in bello Catilinario *quibus quies in ſeditionibus, in pace turba ſunt*. Eiuſmodi homines in Catilinaria coniuratione fuerunt, vt patet ex Ciceronis Orat. 2. in Catilinam, abiectiſſimi & flagitioſiſſimi quique, nouandarumque rerum admodum cupidi. Augetur hoc malum, ſi inopes ſint, & in anguſtijs domeſticis, quales apud Ciceronem loco citato etiam deſcribuntur. Iam cum dicat Polybius lib. 6. *inſidioſam aduerſus Principes coniurationem non eſſe ex infimi ſubſelly hominibus, ſed ex generoſiſſimis, & ijs, qui animi magnitudine & confidentia valent, propterea quod tales imperantium ſibi contumelias & inſolentiam minimè ferre poſſunt*, Apparet coniurationum auhores merito quoque dici, homines arrogantes, ambitioſos & præpotentes eſſe. Vnde verè dixit Agrippa apud Dionem lib. 52. *fieri non poſſe, vt vir animo ſublimi ac magnis Spiritibus praditus libertatis cupidine non ducatur, dominumque omnem oderit*. Talis fuit Cinna, qui in Cæſarem Auguſtum coniurauit, Talis Seianus ſub Tiberio, tales alij ſub Caligula, Domitiano, Commodo, Seuero, Aureliano, apud quos & familiariſſimi erant, & in prima poſt Imperatores dignitate. Sub Arcadio Imperatore vixit Rufinus Summus Prætorij Præfectus, de quo Baronius Tom. 3. qui inuadere imperium cogitauit, vſus eâ poteſtate, quâ paſſim coniuratos ſibi Prouinciarum Præſides conſtituebat, ſed miſerrimè tandem trucidatus eſt. Eodem Baronio teſte Tom. 7. & Ammiano Marcellino Hypatius, Pompeius, & Probus Anaſtaſij Imperatoris Nepotes cùm multa Nobilium & aliorum manu contra Iuſtinianum Imp. coniurauerunt, & vt Imperium occuparent, Regiam Vrbem Conſtantinopolim per continuos quinque dies hoſtili impietate & crudelitate depopulati ſunt, tandem tamen Hytarius & Pompeius dum inuadere Palatium contendunt, capti ſunt, &

Iuſtiniāni iuſſu trucidati, reliqui omnes proſcripti. Richimerus, vt refert Ennodius, magiſter militum, Galliæque Ciſalpinæ Præfectus ſub Anthemio Imp. & illius gener factus, arma aduerſus eum mouit, violatâque pace, quam per Epiphanium Papienſem Epiſcopum iurauerat, Vrbem Romam ingreſſus eum cepit, & varijs affectum cruciatibus occidit. Apud Guicciardinum de Petro Appiano legimus, qui aduerſus Petrum Gambacurtium Piſanorum Principem coniurauit, & eum Principatu ſpoliauit, quamquam liberaliter à prima iuuenta educatus ab illo fuiſſet, & ad maximos primoſque honores euectus. Tales ſunt ambitioſiſſimi iſti homines, quibus, teſte Sen. Epiſt. 74. non tam iucundum eſt multos poſt ſe videre, quam graue aliquem ante ſe. Nimirum vltrà cupiditas ſe porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit, quia non vnde venerit, reſpicit, ſed quò tendat.

CAPVT II.

Quæ ſint cauſæ coniurationis.

Malitia quorundam.

Deinde inuidia Principum.

PRæcipua ſanè eſt profligata quorundam malitia, qui cùm de vita ſua deſperent, inſidias aduerſus Principis vitam moliuntur, & à quo nulla vnquam iniuria ſunt laceſſiti, in eum coniurant. Hæc eſt vis malitiæ, & quorundam Principum miſerum fatum. Aliquando verò vitia Principum cauſa ſunt coniurationum, nimia aliqua crudelitas, impotentia, ſuperbia, odium, libido, ingens metus alijs incuſſus, & contemptus. Quæ omnia cùm ferre quidam homines magnis ſpiritibus elati non poſſint, eum tollere è medio conantur, in quo ſunt, aut quorum eſſe cauſam animaduertunt. Vix eſt, vt non ferro cadant Principes, qui ferro graſſantur, quod bonorum ſanguis effuſus ſanguinem effundentis ſitiat. Et illa nimia ſanè ſuperbia multorum manus ad cædem irritat, quod benignitatem ac facilitatem in ſummo Magiſtratu requirant, contemni non velint, viuere in perpetuo motu non poſſint. Libidinem, cùm illa ad iniuriam aliquorum eſt etiam infimorum, nemo liber vmquam eſt regnare paſſus.

Teſtimonia & Exempla.

INprimis malitia quorumdam; deinde Principum vitia. Sic Domitianus Imperator propter nimiam arrogantiam ferociamque *terribilis cunctis, & inuiſus tandem oppreſſus eſt amicorum libertinorumq́, conſpiratione ſimul & vxoris*, vt ait Suetonius in Domitiano cap. 14. Iulius Cæſar propter ſuſpicionem affectati Imperij ab amicis & neceſſarijs ſine vlla perfidiæ ſuſpicione trucidatus eſt, eodem Suetonio teſte, in eius vita c. 14. Adolphum Naſſouium, vt videre eſt apud Eliam Reuſnerum, ſubditi facta conſpiratione Imperiali dignitate priuarunt communi omnium ſuffragio, vnde acie victus ab Alberto, qui in eius locum erat cooptatus, contrucidatus eſt. Coniurationis contra Galbam Imp. cauſa fuit nimius metus, quo omnes percellebantur, vt habet Tacitus 1. Hiſt. adeò vt ad illum excutiendum tollere ipſum è medio decreuerint. Eadem cauſa fuit coniurationis in Commodum Imp. teſte Lampridio in eius vita. Is cùm interimere ſtatuiſſet Lætum Præfectum prætorio, electum cubiculariorum ſuum, & Martianam concubinam, hi vbi obſcuro aliquo rumore id intellexerunt, ſequenti nocte factâ in eum conſpiratione manibus & viribus iunctis illum iugulauerunt. Apud Plutarchum & Iuſtinum legimus de Diocle Piſiſtrati Athenienſium Tyranni filio, qui cùm virginem quandam perditè à ſe amatam violauiſſet, à Virginis fratre per conſpirationem eſt occiſus. Vnde Ariſtoteles 5. Polit. cap. 10. *Qui voluptuariam vitam traducunt, ij certè facilè deſpiciuntur, multaſq́, dant impetui faciendo oportunitates.* Heraclides Lydorum Rex, vt eſt apud Herodotum lib. 1. cum vxorem ſuam formæ elegantiſſimæ nudam Gygi ſatelliti

ſatelliti oſtendiſſet, eius conſpiratione per Gygem occiſus eſt, qui & Reginam duxit, & regnum accepit. Eorius Gothorum Rex cùm propter nimiam libidinem à ſuis contemneretur, timens coniurationem, Romam fugit, vbi cum Romanas matronas impudicè contrectare vellet, conſpiratione factâ lapidibus obrutus eſt, vt refert Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſt. cap. 20. Ptolomæus Philopator Rex Ægypti, teſte Polybio lib. 5. ob maximas & frequentiſſimas ebrietates multos breui tempore vitæ ſimul ac Regno ſuo inſidiantes inuenit. Ariſtoteles lib. 5. Polit. cap. 10. ſcribit Dionem ex contemptu inuaſiſſe Dionyſium, cùm videret ita affectos ciues, & illum ſemper ebrium.

CAPVT III.

Quæ ſint remedia aduerſus Coniurationes.

PRimum ac neceſſarium omninò remedium eſt ſolers indagatio, quâ quid quiſque ſubditorum ac potiſſimùm illuſtrium dicat aut faciat, certò Princeps intelligat ac cognoſcat. Ita enim comparatum eſt, vt qui facere malè volunt, malè ante loquantur; nec benè ſilentium in tot malè conſciorum animis ſeruatur. Temeritate linguæ hîc peccatur. Quare opus eſt exploratoribus & delatoribus aliquibus, qui improbari, cùm metus eſt coniurationis, non poſſunt. Per hos deprehendi ij poterunt, qui Principem criminantur, aut faciles criminantium ſermonibus aures cum quadam exultatione præbent. Quod profectò non obſcurum eſt alienati à Principe animi ſignum. Et hoc modo ſubitò hoſtes ſuos ſenſiſſe, eſt ſuperauiſſe. Operæ pretium eſt præmia aliqua ſeu magnam pecuniæ vim & impunitatem ijs decerni, qui coniuratos indicauerint. Facilè ſanè pecuniæ fas & ſalus aliorum cedet; quippe illa facere omnia peruia ſolet, & quæ chariſſima ſunt, prodere. Aliud remedium eſt, potens præſidium. Planè enim conſultum eſt, vt cùm inſidiæ timentur, ſtipatoribus quamplurimis & fideliſſimis ſeſe Principes muniant, qui interdiu circumfuſi latera defendant, & noctu ſollicitis excubijs ſomnum cuſtodiant. Vacare cuſtodia periculoſum eſt, etiam Principibus optimis, quod numquam Maieſtas ſine viribus ſit tuta; & Regibus non tantùm hoſtes, ſed amici etiam ſint timendi. Securitas autem Monarcharum non rarò in peregrinorum militum beneuolentia viribuſque conſiſtit. Opportunum quoque remedium eſt diffidentia cum diſſimulatione. Siquidem prudentiæ eſt multa cauere, & parum credere. Qui vbique candidi, aperti, & incauti ſunt, vbique fraudibus fiunt obnoxij: nam fides etiam perfido nocendi aditum præſtat, & magnum ad malum feſtinata perſuaſio ducit. Adeoque multi ſunt honorandi, ſed paucis eſt credendum. Sit tamen hæc diffidentia cum modo, ne etiam amicis nullam fidem habere videantur. Diſſimulatio benè diffidentiæ iungitur; nam dum mentem tegit, frontem interim aperit. Nec diſſimulare Principes dedecet, cùm tempus eſt. Ne tamen innoteſcat ſimulatio, & in publicis tantùm ſit negotijs. Addo poſtremò Clementiam. etiam in tantis malis remedium, ſed prudenter adhibendum. Quid igitur? Parcere aliquando Coniuratoribus eſt eorum animos vincere, & ex inimicis amicos reddere. Pudet eum è vita tollere voluiſſe, à quo vitam quis accipit. Interdum ſolâ aſtutiâ Coniurationes opprimuntur, cùm nimirum publicant Principes noſſe ſe in ſuam perſonam machinationes, & publicè minantur, aut vt abſtineatur, monent. Ita fit, vt qui innoteſcere timent, aggredi nihil audeant.

Solers indagatio. *Præſidium ſeu Satellitium.* *Diffidentia cum Diſſimulatione.* *Aliquando etiam Clementia.*

Authoritates & Exempla.

PRimum eſt ſolers indagatio. Nam vt ait Anthemius apud Baronium Tom. 6. Annal. *Grandis cautio eſt aduerſarij animum cognouiſſe; etenim hoſtem protinus ſenſiſſe ſuperaſſe eſt. Qui malè facere volunt male ante loquuntur, & linguæ temeritas peruenit ad gladios*, vt ait Q. Curtius. Nec hac in re difficultas eſt, nam etiam difficulter *ſilentium & fides in tot conſciorum animis & corporibus ſeruatur*, teſte Tacito 15. Annal. Hoc modo multa de conceptis coniurationibus Princeps intelliget, potiſſimùm ſi præmium aliquod delatoribus proponat; vel vt ait Saluſtius *Indicij præmia decernat, pecuniam & impunitatem. Nam cum ſecum animus præmia reputat*, inquit Tacitus 15. Annal. *ſimulq́; immenſa pecunia & potentia obſeruantur, cedet ſas & ſalus aliorum, cum omninò verè cruciatu & pecunia cuncta ſint penes.* De Delatoribus iam diximus lib. 1. Tit. 17. cap. 6.

Secundum eſt, Preſidium ſeu Satellitium. Cogitare quippè Principes debent, quod ait Dio lib. 38. *maxima poteſtatis viros, quique hominum ſortem excellunt, æmulationis inuidiæq́; aliorum obnoxios eſſe.* Verè enim dixit Liuius lib. 2. *Maieſtatem nunquam ſine viribus tutam eſſe.* Vnde omninò ſtipatores eſſe debent, *qui ſomnum eius nocturnis excubijs muniant, latera obiecti circumfuſiq́; defendant, incurrentibus periculis ſe opponant.* Nec refert, quod multi aliquando Regum ſint amici; nam vt ait Curtius, *Regum exitus ſi reputauerimus, plures à ſuis, quàm ab hoſtibus interemptos reperiemus.* De Satellitio diximus lib. 2. tit. 10. cap. 9.

Tertium eſt diffidentia cum diſſimulatione. Siquidem vt ait Sophocles. *Perſuaſio magnum ad malum ducit cita.* Et Seneca in Oedipo. *Aditum nocendi perfido præſtat fides.*

Nerui atque artus ſapientia ſunt, non temerè credere, inquit Cic. de petitione Conſulatus. Et eodem teſte pro Plancio, *Simulare, cùm tempus poſtulat, haud dedecet Regem.* Quâ de re etiam lib. 1. diximus. Apollonius rogatus à Babyloniæ Rege, quâ ratione tutò regnare poſſet, *Si*, inquit, *multos honoraueris, Paucis verò credideris.* Cùm autem vtrumque in vitio ſit, omnibus credere, & nulli, teſte Sen. Epiſtola 3. moderanda hæc diffidentia eſt, idque per diſſimulationem.

Quartum eſt aliquando Clementia. Sic Auguſtus Cæſar cum ex iudicio conſilioque Liuiæ pepercißet Cinnæ Inſidiatori & Coniuratori, vt eſt apud Dionem lib. 55. illum in poſterum amiciſſimum eſt expertus. Eodem modo Henricus IV. Franciæ Rex, cum duobus Nobilibus inſidiarum & coniurationis inſimulatis pepercißet, fidiſſimos eos poſtea habuit, Vide Tit. 13. lib. 1. de Clementiâ.

Addunt alij hoc remedium, vt Principes nunquam euehant aliquem vnum ad proximam ſuæ dignitatis ſedem, ni velint ab ea deturbari. Quippè vt Sophocles ait in Oepido.

——Non niſi morte
Satiatur amor dirus habendi.

Quod ſi aliquis talis ſit, dare illi parem vel maiorem oportet, veriſſimè enim ſcribit Polybius. *Quotquot natura ad imperandum propendent & ſtudio libertatis tenentur, indeſinenter inter ſe dimicant, eo quod indiuiduo ſtudio huc contendunt, vt priores habeantur.* Vnde Commodus Imp. cum Perennij inſidias euaſißet, qui ſolus erat Præfectus militum, iam iam Imperatorem occiſurus, ſumpto de eo ſupplicio eiuſque filio & ſocijs, mox duos conſtituit Præfectos, tutius fore ratus tantam illam poteſtatem diuidere, quo eſſet imbecillior.

CAPVT IV.

An puniendi omninò ſint Coniuratores.

Puniendi grauiter & citò.

COniuratores vbi deprehenſi & coniuncti ſunt, omninò etiam grauiſſimâ pœnâ ſunt puniendi. Quippè inſidiatori & publico latroni mors

mors adferri iniuſta non poteſt. Nec Principes dum de Coniuratoribus ſupplicium ſumunt, ſeipſos vindicant, ſed Remp. cuius capita exiſtunt. Bonos omnes perdit, qui ſceleratis paucis parcit. Omninò igitur celeri ſupplicio vindicanda Coniuratio eſt. Hæ autem obſeruari cautiones debent. Inprimis vt opportunum tempus tum detegendæ Coniurationis, tum puniendæ expectetur, ne ad vltionem quaſi properetur. Vbi autem occaſio eſt, punitio non differatur. Deinde vt capita tantùm Coniurationis è medio tollantur.

Quid ſi cogitatum dumtaxat ſit facinus? Id ſanè non refert, quod legibus non minus hominum conſilia vindicanda ſint, quàm rerum exitus, vbi de patriæ pernitie agitur. In ipſo enim conſilio ac deliberatione deteſtandum eſt facinus. *Quæſtiuncula.*

Quid ſi inter Coniuratores præpotens aliquis ſit, vel Principis conſanguineus? Diſſimulandum hîc aliqui volunt, quod aduerſus inſidias optimum quoque remedium ſit, ſi nequaquam intelligantur. At verò in tanto ſcelere qui diſſimulat, non rarò ſe & Patriam vniuerſam perdit. Neminem à pœna Iuſtitiæ rigor eximit, in quo reperta fuerit tanta culpa. Omnis ætas exemplum dedit. Nec fauore dignus eſt, qui amorem excluſit, & ſanguinis oblitus fuit. Etiam viuere filius non debet, qui viuere Patrem non vult. Quamquam prudentes Principes pro ingenio perſonarum ac pro tempore, vel Iuſtitiam, vel Clementiam adhibeant.

An ipſemet Princeps Iudex eſſe tum debeat? Iudex eſſe ſua in cauſa non debet, & cùm læſa ſit Maieſtas, alijs criminis læſæ Maieſtatis relinquenda cognitio eſt. Supremus Senatus Iuſtitiam hic adminiſtret.

An Iudiciorum ſeruanda ſemper hîc ſit forma? Si turbulenta ſint tempora, & damno eſſe ea Iudiciorum forma poſſit, ac manifeſtum ſit crimen, ſeruanda non eſt, ſed ſumendum ocyùs ſupplicium. Si quieta verò ſint tempora, nec in mora ſit periculum, quantum iudiciorum leges permittunt, tantum reis concedatur. Vbi cognita omninò cauſa eſt, differri pœna non debet. Non ſemper Regum clementia facit meliores; ſed aliquando etiam nequiores; & ſæpè iram non ponit, qui amorem eſt expertus. Qui citra periculum viuere vult, occurrere præſenti malo debet, ne acceptam iniuriam vlciſci cum periculo cogatur.

An nota paſſim ſupplicij cauſa eſſe debeat? Id omninò expedit, atque ipſæ Coniuratorum confeſſiones ad aliarum Prouinciarum Principes ſunt mittendæ. Ita fiet, vt illi non facilè Reos in ſuæ fidei præſidium recipiant; & nemo ſublatos è medio viros illos claros metu aut inuidiâ ſuſpicetur.

Quid ſi Coniuratores per venena tollere Principem conſtituerint? Tunc certè libanda à fidis Miniſtris ſunt pocula, & cibi prægustandi. Aliud hîc remedium non eſt. Sciant autem Principes nullum hac in re locum, aut affinitatem ſatis vnquam eſſe tutam. Vix venena, niſi à familiaribus, miſcentur.

Authoritates & Exempla.

PVniendi omninò & grauiter & citò. *Nam* vt ait Valerius Max. lib. 9. cap. 6. *Impia proditio celeri pœnâ vindicanda eſt.* Valet hic illud Ouidij 1. Metam.

Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Hippocrates vetat deſperatis morbis adhibere medicinam, Claudianus,

Vlcera poſſeſſis latè ſuffuſa medullis

Etiam Auguſtus Cæſar parcendo Cinnæ optimum ſibi illum amicum fecit. Contra verò cùm Berengarius Rex inſidiantem ſibi Flambertum nomine Veronenſium ad ſe vocaſſet, & pro ſua benignitate loco ſupplicij præmium illi propoſuiſſet, propinando ei hoc modo ex aureo poculo, *Bibe amorem, dilue rancorem, ac aureum iſtud poculum ob noſtri amorem tibi ac tuis ſerua*: ille tamen coquens iram & odium in Regem Clementiſſimum nocte ſequente, cùm Rex pro more ſuo templum peteret, ex inſidijs illum aggreſſus occidit.

Quinta eſt, *An nota eſſe debeat ſupplicij cauſa?* Henricus IV. Franciæ Rex totam conſpirationis Bironij cauſam deſcriptam ad Principes vicinos tranſmiſit. Octauius Farneſius Dux Parmenſis totam ſeriem coniurationis Landanorum, omnia teſtimonia & confeſſiones Europæ Principibus oſtendit.

TITVLVS II.

De Proditionibus.

CAPVT I.

Quid ſit Proditio.

PRODITIO eſt occulta quædam in Principem & eius facultates molitio. Seu ſecretum quoddam cum hoſte conſilium de tradendis ijs, quæ ad Principem ſpectant, rebus. Hæc grauiſſimum eſt in Rep. malum, quod tantum incommodi adfert, quantum commodi bona fides. Intra mœnia enim atque in ipſo vrbis ſinu hoſtes eſſe facit, breuique tempore id omne euertit, quod plurimis annis innumeri multorum Ducum labores pepererunt. Vnâ proditione tota Prouincia concutitur: & non tantùm Vrbes, verum etiam Regna integra non rarò per eam in alios dominos transferuntur. *Definitio Proditionis.* *Grauiſſimum eſt Reip. malum.*

Authoritas vna.

DEFINITVR hic proditio, & grauiſſimum Reip. malum eſſe oſtenditur. Claudianus lib. 2. in Ruffinum.

——*Quod mille Ducum peperere labores*
——*anguſto tempore vertit.*

Nihil hic vltra addendum eſt.

CAPVT II.

Qui auctores ſint Proditionis.

NOn alij Proditionis, quàm Coniurationis ferè ſunt auctores, homines auari & improbi, aſtuti & verſipelles, fraudulenti, & ſimulatores. Vix enim integra auarorum eſt fides, vbi lucri magnitudo apparet: nam commodum fidei & famæ anteponunt. Vnde nonnulli tantâ pecuniæ habendæ cupiditate flagrant, vt pro ea obtinenda concreditas ſibi vrbes aut Prouincias prodant, imò vendant. Improbi quâdam leuitate fidem cum fortuna mutant, & ex ancipiti mutatione ſemper pendent. Iſta verò multiplicia & tortuoſa ingenia numquam eſſe fida ſolent. Doloſi & ſimulatores homines ſæpè in rebus paruis fidem ſimulant, ſed vt maiori pretio prodant, & ingenti mercede fallant. Cautè aduertere ad eos Principes debent, qui fidem & amorem oſtentant; nam his gradibus viam ſibi fraus ſtruit ad perditionem; & ferè ſemper ab ijs inſidiæ tenduntur, qui ſe ſimulant amare. *Auari, Aſtuti, & fraudulenti.*

Teſti-

Teſtimonia & Exempla.

HOmines inprimis auari. Nam vt veriſſimè ait Tacitus libr. 4. Annal. *Vbi magnitudo quæſtuum ſpectatur, rarò fides integra manet.* Sic, teſte Guicciardino lib. 4. Bernardinus Curtius Papienſis arcem Mediolanenſem ſibi à Ludouico Sfortia commiſſam Regi Gallorum magna vi pecuniæ corruptus perfidè tradidit. Sic, teſte Cominæo lib. 5. de Bello Neapolitano Eotagrius vir auariſſimus multarum in Italia vrbium à Carolo octauo Galliæ Rege Præfectus conſtitutus, eas breuiſſimo tempore prodidit, & vendidit Sarezanam Genuenſibus, Petram Sanctam Lucenſibus, libramfactam Venetis, alias alijs. Ideò Carolus V. Imp. cùm apud eum in auaritiæ ſuſpicionem Ferdinandus Gonzaga veniſſet à Præfectura Mediolanenſi eum amouit, monuitque Philippum filium, ne Illi Prouinciam vllam adminiſtrandam committeret, in rebus tamen arduis eo Conſultore vteretur, vt refert Thuanus lib. 13. Hiſt.

Secundò homines aſtuti, verſipelles, fraudulenti. Neque enim, vt ait Cic. de Amicitia, *fidum eſſe poteſt multiplex & tortuoſum ingenium. Tales fidem mutant, vt maiore pretio ſe prodant*, inquit Tacitus lib. 4. Annal. Eo in numero ſunt Carthaginenſes ponendi, de quibus cum Xantippus Lacedæmonius ſe præclarè geſtâ optimè meritus eſſet, & toties victores in Africa Romanos viciſſet, ipſi eum ſummâ perfidiâ circumuenerunt. Nam dum ſpecie officij fingunt, ſe domum illum reuehere, in mare præcipitem agunt, vt eſt apud Herodotum lib. 5.

Talis fuit etiam Campobachius Neapolitanus Caroli Ducis Burgundiæ Conſiliarius, vt refert Cominæus lib. 7. Commentariorum. Is enim in expeditione Nancæana Ducem ſuum, à quo ſummis erat honoribus affectus deſeruit, & cum ſuis ad Lotharingum tranſfugit, qua ex re Carolo cædem & cladem maximam importauit. Tales fuerunt tres Tribuni in exercitu Philippi Auſtriæ Ducis contra Carolum IV. Imp. Cùm enim ab Imperatore eſſent euocati muneribuſque corrupti, vt Philippo Duci ſuo dicerent, triplo maiorem eſſe Imperatoris exercitum, nec vllo modo cum eo eſſe dimicandum, fraude eorum deceptus Philippus receſſit, & hoſtis profligandi occaſionem amiſit.

Apud Romanos talis fuit Metius Suffetius Dictator Albanorum, qui ſimulatâ fide quam debebat Tullo Hoſtilio Romanorum Regi, vbi pugnandum fuit, ad hoſtes defecit, vt eſt apud Liuium lib. 1.

Exempla illuſtria.

Contra perfidos hos proditores duo illuſtria exempla proponimus. Primum eſt, M. Guterij Præfecti Arcis Aguillaræ nomine Didaci Lopetij. Hic cùm Arcem illam ſeptem annis obſeſſam à copijs Alphonſi Regis Legionenſis propugnauiſſet, & iam mortuis præſidiarijs militibus, ipſe inediâ fameque conſumeretur, Arcis clauibus collo appenſis humique iacens integrâ fide mori cupiebat, ſed hoſtes Arcem ingreſſi eum exanimem ferè & fame pœnè enectum reperientes adhibitis remedijs curarunt. Poſtquam ad ſe redijt, ingemuit, quod in defenſione præſidij ſe mori prohibuiſſent, vt datam fidem integrè ſeruaſſe videretur. Alterum eſt Petri Auſurij Equitis Caſtellani. Hic cum Præfectus eſſet quarundam Arcium ad Vracam Caſtellæ Reginam ſpectantium, & in verba Alphonſi Regis eius viri iurauiſſet, vtrique ſe Arces conſeruaturum, oborto poſteà inter Regem & Reginam diſſidio Arces Reginæ reddidit, quia eius erant, & quia iurauerat Alphonſo, laqueo in collum iniecto ad eum venit coram Proceribus, rogans vt pœnas ſumeret violati non ſponte à ſe, ſed neceſſitate iuramenti.

CAPVT III.

An & quomodo puniendi Proditores.

Omninò & grauiſſimè ſunt puniendi.

PRoditorum nunquam omittenda punitio eſt, nec vllus eſſe veniæ locus debet. Hîc enim Clementia in miſeriam vertitur. Abſcindantur ergò è Republica, vt hoc exemplo cæteri, qui ſcelerati ſunt ciues, ab impugnanda Patria deterreantur. Qui Proditores ſunt, nunquam futuri

ſunt

ſunt boni. Statuendum ſeuerâ animaduerſione documentum eſt, ne, qui talem amentiam imitari velit, reperiatur. At verò quale ſupplicium de ijs ſumendum? Certè quàm maximum. Nam in eiuſmodi ſcelere puniendo nulla eſſe crudelitas poteſt. Neque ipſi Proditores, cùm notum eſt crimen, in iudicium ſunt adducendi. Hoſtium enim loco ſunt, & tanquam hoſtes puniendi. Quare Iudicij formam & ordinem nemo hîc requirat. Satis eſt notum eſſe crimen. Quamdiu in ſuſpicione tantùm eſt crimen, arctâ cuſtodiâ claudantur, & de re tota inquiratur. Recepta hodie pœna eſt, vt eorum corpora in partes diſtrahantur, qui diuiſos animos habuerunt.

Teſtimonia & Exempla.

OMninò & grauiſſimè ſunt puniendi. Hic dici illud Senecæ de Beneficijs poteſt. *Crudelitas acerbiſſima eſt trahere pœnam, miſericordiæ genus eſt citò occidere.* Oportet hic à Principe iuſto etiam parentes ignorari. Sigiſmundus Hungariæ Rex Papam quemdam Florentinum à Venetis, contra quos feliciter pugnarat, pecuniâ corruptum & proditionem ſimulatâ fide machinantem ita puniuit, vt infuſo in os eius auro enecaretur, vt legimus in Annalibus Saxoniæ lib. 7. Hodie recepto more in partes diſtrahi ſolent Proditores. Ita olim diſtractus fuit Metius Suffetius Albanorum dictator iubente Tullio Hoſtilio vt eſt apud Liuium lib. 1. Vt nimirum, quorum animus diuiſus fuit, eorum corpora diuidantur. Nec eſt opus ſeruare hic iudicij formam. Imò, inquit, Dio lib. 52. *Nec in iudicium tales adducere oportet, ſed hoſtium loco licet punire.* Plato eorum eſſe pœnam talem vult, qualis eſt Sacrilegorum. Dicit Auguſtus Cæſar apud Plutarchum, *Proditionem amo proditores non approbo.* Et eodem ſenſu Philippus Macedoniæ Rex dicebat *amare ſe Prodituros, non verò Proditores.*

TITVLVS III.

De Seditionibus.

CAPVT I.

Quid ſit, & quàm varia Seditio.

SEDITIO eſt ſubditorum inter ſe vel in Principem motus, quo boni alicuius conſequendi, vel damni inferendi causâ ad diſſenſionem cum Reipub. detrimento ſcientes ac volentes concitantur. Vnde quædam eſt publicæ quietis perturbatio. Dicta eſt à ſeorſim eundo, quod ſubditi vel inter ſe, vel à Magiſtratu ſuo diſſentientes, ſeorſim ſecedant. Varia autem eſt, & varijs nominibus appellatur. *Definitio Seditionis.*

Et quidem cùm eſt ſubditorum in Dominum, Rebellio dicitur; cùm ſubditorum inter ſe, Factio. Quare Rebellio eſt vis, ſeu motus, quo qui Principis alicuius poteſtati ſubiecti ſunt, vel fidelitatis Sacramento adſtricti, debitam ei obedientiam negant, & iugum excutiunt. Porrò Subditorum obedientia cùm in tribus conſiſtat potiſſimùm, videlicet, in reuerentia exhibenda, in ſuſcipiendo conficiendoque mandata, atque in Iudicio ſubeundo, fit vt ij omnes Rebelles ſint dicendi, qui honorem, fidelitatem, obſequium Principibus ſuis negant, mandatis & legibus eius reſiſtunt, Iudicium & Iuriſdictionem repudiant. Factio eſt Ciuium conſpiratio, quâ ob priuatum aliquod commodum vel in odium aliorum ac Reip. detrimentum, in ſtudia diuerſa ſcinduntur. Secta dici ſolet, & vulgò Partes, aut Partialitas. *Varia ratio.* *Quid Rebellio.* *Quid Factio.*

Qua-

Quædam Explicatio & Teſtimonia.

DEFINITVR hic Seditio, & diſcrimen inter rebellionem factionemque ponitur. Quia Seditio per turbulentiorem populi metum fit, ideò dicitur motus, impetus, incurſio, concitatio plebis, vis multitudinis, Comparari ſolet vehementiori morbo, incendio, turbini, tempeſtati etiam maris à Pindaro. Apud Virgilium lib. 1. Æneidos ita pulchrè deſcribitur.

Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitq́; animis ignobile vulgus
Iamq́; faces & Saxa volant, furor arma miniſtrat,
Tum pietate grauem ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexere ſilent, arrectiſq́; auribus adſtant
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Diſtinguitur Seditio à Tyrannide, quod Tyrannis caput Reipub. Seditio verò membra ſeu Ciues occupet; nec Princeps ſeorſim it ſeu ſecedit, ſed ſubditi. Rebellio reſpicit Dominos ſeu Superiores. Vnde ſubditi, Vaſalli, Præfecti, & qui in officio ſunt ſub Principibus, ſi debitam eis obedientiam negent, imperiumque contemnant, rebelles ſunt. Imò etiam quando eorum vitæ inſidiantur ſiue per arma, ſiue per venenum; vel quando in prælio aut periculo deſerunt, aut eorum famam & honorem lædunt. Factio conſiſtit in quadam populi diuiſione. Romæ factiones fuerunt aliquando plebis aduerſus Nobiles, aliquando Equitum aduerſus Senatum, aliquando pauperum, aduerſus diuites. Poſterioribus temporibus fuit factio Guelphorum & Gibellinorum, quorum illi à Romano Pontifice, hi verò ab Imperatore Conrado ſteterunt, vt videre eſt apud Nauclerum.

CAPVT II.

Quæ cauſa ſint Seditionum communes.

Quæ præcipua. VAriæ Seditionum ſunt cauſæ. Primæ quidem & præcipuæ ſunt ij, qui Principes & auctores ſunt Seditionum, quorum conſilio eæ excitantur. Horum quædam inſtrumenta ſunt ij omnes, qui conſilij participes operam & opem præſtant. Plerumque turba eſt, & imperita multitudo. *Quæ remota.* Remotæ ſunt illæ, quibus eiuſmodi homines ad Seditiones prouocantur. Atque hæ potiſſimùm.

Auaritia & ambitio. Inprimis Auaritia vel Ambitio Magiſtratuum. Quando nimirum qui in Reip. gubernaculis ſunt, Vectigalibus nouis populum premunt, qui inexplebilem eorum cupiditatem non ferens, Seditionem excitat. Aut certè cùm è Nobilitate nonnulli ægrè aliorum honorem ferentes, vendicare ſibi auctoritatem turbatâ Repub. contendunt.

Iniuria. Secundò, contumelia eſt vel iniuria ſubditis illata. Tunc quidem cùm Magiſtratus inſolenter Populo inſultant, & contumeliâ afficiunt, qui proinde irritatus vi quâdam excutere vult iugum.

Metus pœna. Tertiò, eſt metus facinoroſorum in Rep. Ciuium. Dum enim ſcelerum conſcij pœnas timent, Seditionem in ſupremam Reip. Maieſtatem mouent, à qua pœnas expectant.

Nimia potentia. Quartò, nimia alicuius in Rep. potentia, vel ob excellentiam virtutis, vel amplitudinem honoris, vel opum multitudinem. Qui talis eſt, plerumque occupare Remp. conatur, & eam concutit.

Aliæ plures ſunt cauſæ, vt cùm contemni aliqui ſe putant, dum ab honoribus reijciuntur, vel cùm diſſimiles Ciuium eiuſdem Vrbis ſunt mores. Et hæ omnes communes ſunt cauſæ Seditionum & remotæ.

Aucto-

Authoritates & Exempla.

VAriæ cauſæ hic enumerantur. Aliqui ſunt ſeditionum auctores, quos Iuriſconſulti Principales & Capitales vocant, vt Romæ Gracchi, Apuleius, Druſus, Marius & plures alij, de quorum ſeditionibus videndi Florus & Liuius.

Prima inter cauſas eſt, auaritia Magiſtratuum ſeu lucra iniqua, propter quæ populus concitatur. Apollo Pythius oraculum edidit, *Spartam nulla re alia niſi auaritia eſſe perituram.* Quod Cic. lib. 2. Off. interpretatur non ſolùm Spartanis, ſed etiam omnibus opulentis populis prædixiſſe. Potentiorum auaritia, qua plebs depulſa agris ſuis fuit, ſeditioni Gracchanæ occaſionem præbuit, per quam lex Agraria lata eſt, vt nemini liceret vltra 50. telluris iugera poſſidere, vide Florum lib. 3. cap. 14. Ob auaritiam etiam & impotentiam fœneratorum exorta ſeditio alia Romæ fuit, & plebs in montem ſacrum armata ſeceſſit, vt habet Florus lib. 1. Hic in Belgio propter exactionem decimæ partis bonorum, quam facere voluiſſe Dux Albanus dicitur, ingenti tumultu totum Belgium concitatum eſt. Vide Tituli quinti de Vectigalibus cap. 4. lib. 3. Addimus hic & ambitionem, & honores inæqualiter diuiſos. Quæ cauſa videtur Remp. Romanam ab Optimatum regimine in Monarchiam Cæſarum tranſtuliſſe. Cùm enim Iulius Cæſar nollet ferre Superiorem, & Pompeius pati parem recuſaret, concitatum eſt illud bellum ciuile, quo Roma, vt loquitur Poëta Lucanus,

In ſua victrici conuerſa eſt viſcera dextrâ.

Hinc Romæ ſeditio orta pro communicatione honorum, quando C. Licinius & L. Sextius Tribuni creati legem tulerunt, vt alter Conſulum è plebe fieret, qua de re Plinius de viris illuſtribus, & Liuius lib. 6. Ambitio etiam eorum, qui ad honores indigni adſpirant, ſeditionis eſt cauſa. Talis ſeditio fuit Spurij Melij apud Liuium lib. 4. Is fame laborante populo Romano frumentum ſua pecunia ex Hetruria emit, largitiones fecit, & ad plebem hoc munere delinitam non ſolùm de Conſulatu, ſed etiam de regno agitare cœpit. Cùm Conſulatus non cōntigiſſet allatis in domum ſuam armis conciones priuatas habere, & de regno conſultare auſus eſt, emptis ad hoc mercede aliqua tribunis. Ac ſeditio certè atrox exorta fuiſſet, niſi creati Dictatoris Magiſter Equitum illum oppreſſiſſet.

Secunda cauſa eſt, Iniuria & Contumelia. Hinc dicit Eccleſiaſticus Regnum à Gente in Gentem transfertur, propter iniuſtitias, iniurias, contumelias ac diuerſos dolos. Ita Cyrus propter iniuriam ab Aſtyage auo acceptam, qui illum recens natum exponi iuſſerat, bello ipſi illato victor Regnum Medorum tranſtulit ad Perſas. Ita Roboam Rex Iuda ob contumeliam illatam populo in acerba & comminatoria reſponſione ad petitionem populi expoſcentis iugum à Patre illius impoſitum leuius reddi, decem tribus Iſraëliticas amiſit, ab eo in perpetùm ſeparatas. Ex hac cauſa fuit ſeditio illa Romæ, quam Canuleius Tribunus Plebis aduerſus Patres concitauit, qua contendit, vt promiſcua eſſent Plebis patrumque connubia, & vt alter Conſulum ex Plebe crearetur. Hic enim aliquis contemptus videbatur.

Tertia cauſa eſt, metus facinoroſorum. Sic apud Romanos Catilinaria ſeditio exorta eſt, dum ipſe conſcientia ſcelerum & iudiciorum metu exagitatus, dumque alij cum eo parricidæ, ſacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium pœnamque timent. Hac quippe de cauſa opprimendæ Reip. conſilium ceperunt. Sic apud Rhodum olim Nobilitas contra plebem inſurrexit metu iudiciorum, quæ ibi parabantur. Sic excitata Anabaptiſtarum ſeditio fuit metu pœnarum in eiuſmodi homines multorum ſcelerum conſcios conſtitutarum.

Quarta cauſa eſt, nimia quorumdam potentia. Ob hanc cauſam ſeditio decemvirorum Romæ, qui propter nimiam potentiam inſoleſcebant, vnde in Auentinum montem non tam priuatæ iniuriæ, quàm libertatis aſſerendæ cauſa Plebs Romana ſeceſſit, nec ante rediijt, quàm decemviri ſe Magiſtratu abdicarunt.

Hæ cauſæ ſeditionum ſunt remotæ, & aliæ eſſe plures poſſunt.

CAPVT III.

Quæ ſint communia Seditionum remedia.

Contra Auaritiam. ADuerſus Auaritiam Magiſtratuum Frugalitas eſt, & rectâ ratione determinata mediocritas, quâ nec lucro inhient, nec diuitiarum cupiditate ducantur. Remoueantur ab officijs Reipublicæ qui auari ſunt. Et quemadmodum moderatis contenti opibus eſſe debent, ita etiam ſorte ſuâ; *Contra Ambitionem.* nec ambitione ſua, ſed virtute ad altiora tendere. Quædam lues in Rep. eſt vir ambitioſus, proindeque non ferendus. *Contra Iniuriam.* Iuſtitia verò etiam in Magiſtratus ſeuerè animaduertat, ſi iniuriam intulerint. Cùm illi pœnas dederint, timenda ſeditio non eſt. *Contra metum pœna.* Nec differenda facinoroſorum punitio eſt. Qui citò punit, ſeditionum in Rep. opportunitatem non rarò tollit. Illis qui ob potentiam terrori ſunt, præcludenda eſt ad Remp. via. *Contra nimiam potentiam.* Eius gubernacula ſi teneant, & ſint pernitioſi, amoueantur, aut pari poteſtate alij cum ijs conſtituantur. Optima eſt, nec reformidanda in omni ſtatu mediocritas. Sit iuſta Magiſtratuum & officiorum diſtributio, digni promoueantur, indigni repellantur. Vbi morum diſſimilitudo eſt, ibi iuſta ſit & recta officiorum ac rerum omnium contemperatio.

Exempla Remediorum ſingulorum.

PRimum remedium contra auaritiam Magiſtratuum eſt, vt illa legibus refrænetur. Talis eſt lex Iulia peculatus, talis lex Iulia repetundarum. Ideò, vt ſupra retulimus, Carolus V. Imp. Philippo filio. præcepit ne Ferdinandum Gonzagam ad Vrbium vel Prouinciarum adminiſtrationem eueheret, quod nimis auarus eſſet.

Secundum remedium contra iniuriam & contumeliam eſt ſeuera animaduerſio & malefactorum nunquam in aliud tempus dilata punitio. Qua de re iam ſupra diximus; quippe *omnis ſeditio celeri pœna vindicanda eſt*, & puniendi illi Magiſtratus, qui iniuriam fecerunt. Et hoc quoque tertium eſt contra metum facinoroſorum remedium. Sic enim illis non conceditur oportunitas commouendi ſeditionem; & ſæpè quando peracta ſeditio eſt.

Quartum remedium eſt contra præpotentiam, vt inſtituatur mediocritas cuiuſque Ciuium ſecundum ſtatus ſui rationem. Idipſum prudenter admonuit Ariſtophanes in tragœdia, in qua Periclem inducit ab inferis excitatum & monentem *non oportere in vrbe nutriri Leonem, ſin autem alitus ſit, obſequi illi conuenire.* Voluit ſignificare coërcendos eſſe vel certè ferendos nimium potentes.

Porrò vt alia hic ſuggeramus, Romani, vt teſtis eſt Plutarchus in Camillo, ſi quando Tribuni nouis factionibus Remp. turbarent, bello aliquo ſeu de induſtria ſeu caſu excitato, parabant verſare ciues, & diſtinere, ne domi remanentes Tribunorum plebis concionibus & ſeditionibus intenderent Hannibal apud Liuium ait nullam magnam Ciuitatem diu quieſcere poſſe; ſi foris hoſtem non habet, domi inuenit. Vt prævalida corpora, ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur.

Quo conſilio nonnulli Principes etiam hodie id agunt, vt ſemper aliquod bellum habeant, quo ſubditos ſuos occupent, ne aliud ipſi intra patriam ciuile bellum machinentur. Fridericus Imp. iuſſit conuenticula, coniurationesve in Ciuitatibus aut extra ne fierent, tanquam pacis publicæ violationes, impoſuitque pœnam publicationis bonorum, & vt domus diſtrahatur. Anno Chriſti 1440. in Marchia Brandeburgenſi cùm ciues Berlinenſes in ſuum Magiſtratum tumultuarentur Fridericus Marchio interueniens impoſuit vrbi Arcem, quæ & arceret hoſtium incurſum, & populi rebellionem prohiberet. Quam ob cauſam etiam hoc tempore Principes ijs Ciuitatibus Arces munitiſſimas imponunt, in quibus rebellionem aliquam facilè futuram timent.

Solon inter cæteras leges hanc quoque ſcripſit. Si ob diſcordiam diſſenſionemque

que ſeditio atque diſceſſio populi in duas partes fiat, & ob eam cauſam irritatis animis vtrimque arma capiantur, tum qui ſe alterutri parti non adiunxerit, & à communi malo Ciuitatis ſeceſſerit, *is domo, patria, fortunis omnibus careto, exul & extorris eſto.* Ita refert Plutarchus in Solone, & Gellius lib. 2. c. 12. Legis huius finis erat, non vt augeretur ſeditio, ſed vt boni viri, qui ſe alteri parti adiungerent, ſeditionem compeſcerent.

CAPVT IV.

An aliquando ſeditio in Rep. procurari vel tolerari debeat.

PErnicioſa Machiauelli Schola ſeditionem conſeruandæ Ciuitatis ait eſſe cauſam, ideoque probandam & procurandam. Quippe diſtractis diuerſas in factiones ciuibus, tutior & cautior eſt Reip. adminiſtratio. Nam & prudentiùs ſeſe gerent Magiſtratus ardente factione, & fortiùs ciuitatem muniunt cognito iam hoſte. Nec rarò tanta vis eſt ſeditionis, vt, ſi qui tyranni ſint, aut debilitentur, aut cadant; quod ingratum eſſe Reip. non poteſt. *Rationes affirmantes.*

At verò ſi nihil aliud ſeditio eſt, quàm ardens fax in Rep. quæ ſecuritas eſſe poteſt? Miſerum eſt cum ciuibus tanquam cum hoſtibus Magiſtratum viuere. Nec poteſt non exareſcere etiam florentiſſimæ Reip. pulchritudo, cùm in ea Ciuium ſeditio floret. Eſt conuerſionum in Ciuitatis ſtatu ſeminarium ſeditio, quæ Ciuium animos ita diuidit, vt inſolenter à ciuili ſorte declinent. Tot extinctæ maximæ veteris æui Ciuitates ſunt exemplo. Et quemadmodum cum in corpore animalis aliqua peſte viſcera infeſtantur, corpus totum concutitur; ita cùm in Reip. viſceribus ſeditio eſt, Reip. ſalus periclitatur, & tota ipſa in motu eſt. Seditionis non rarò hic euentus eſt, vt Reſpublica per eam hoſti tradatur. *Rationes Negantes.*

Altera pars Exemplis reijcitur ſeu confutatur.

RAtiones Machiauelli hic primo referuntur, tum negantes contra eum adferuntur. Adducit Machiauellus experientiam in Imperio Romano, in quo Tribuni plebis factioſè aduerſantes Nobilibus Senatum multo prudentiorem effecerunt. At verò per ſeditionem plurimarum Rerumpublicarum ſtatus ſunt immutati. Apud Heracleam potentes in populo illatis iniurijs Nobilitatem expulerunt: illi poſtea conſpirantes, & in vnum conuenientes in vrbem reuerſi populum oppreſſerunt & paucorum potentiam conſtituerunt. Eadem ratione apud Megarenſes popularis ſtatus interijt. Ductores enim populi, quo pecunias per bonorum publicationem haberent, multos è Nobilitate pepulerunt, qua ex re magna exulum facta multitudo eſt, qui poſtea conuenientes, prælio certauerunt & victores oppreſſo populo paucorum potentiam introduxerunt. Certè nulla maior Reipub. perturbatio eſſe poteſt, quam cum imperandi obediendique concordia tollitur, vt fit in rebellione. Multi viri Principes è ſuis locis per rebellionem deturbantur. Veneti & Praſini aduerſus Iuſtinianum Imp. rebellionem concitantes, vt refert Procopius lib. 1. de bello Perſico, primo Ioannem & Tribonianum abire Magiſtratibus & officijs ſuis cogunt, deinde Hippacium leuem hominem conſalutant imperatorem, & cum diadema, quo Imperatores coronari ſolent, non haberent, aurum ſuper caput eius ponentes Romanorum Imp. illum declararunt, eoque Iuſtinianum Imperatorem compulerunt, vt de fugâ capienda conſilium caperet. Quam tem tamen diſſuaſit Theodora Auguſta, ſatius eſſe rata ſeditioſorum arma expectare, quàm in non tolerabile exilium, cum ignominia agi, nec ſe vnum diem viuere poſſe declarans, quo non Auguſta ſalutaretur, ac ſubinde dictitans iuxta prouerbium, *Pulchrum eſſe in ſepulchri elogio Imperatorem adſcribi.* Euentus conſilium hoc bonum docuit, nam opera Beliſarij victi ſunt ſeditioſi, Hippacius ad imp. adductus & è throno raptus, à militibus cæſus & in mare proiectus eſt, Ioannes & Tribonianus honoribus ſuis reſtituti

ſtituti ſunt, è populo deſiderata ſunt vno die triginta millia. Cic. Philippica 13. inter alia Seditionis Antonianæ incommoda illud quoque narrat, *Proditores, latrones, incendiarios, alioſq́, ſceleratiſſimos homines in Senatum ſuum adſcitos atque electos fuiſſe.* Plutarchus in Nicia, prouerbio dici ſolitum affirmat, *in ſeditione plerumque ſordidiſſimos etiam viros honoribus potiri.* Nota ſunt incommoda & grauiſſima mala, quæ Guelphorum & Gibellinorum factio induxit, dum Guelphi Pontifici, Gibellini Cæſari adhærent. Serpſit enim huius factionis ſtudium adeò latè, vt nulla Ciuitas, nullum oppidum, nullus populus eâ labe pernitioſiſſima manſerit intactus, vibs in vrbem, Prouincia in Prouinciam, populi pars in alteram, nulla impellente alia, quam harum partium cauſa, bella gesſerunt. Sed nec inſignia tantùm in prælijs diuerſa ferebant, verum etiam diuerſi colores, terræ fructus, habitus veſtium, ipſe hominum inceſſus, digitorum concrepitus, & oris hiatus ſuarum habuerunt partium ſignificationem. Vide Nauclerum volumine primo.

CAPVT V.

An Nobilium ſaltem factio in Rep. ſit toleranda.

Nullo modo toleranda. NOnnulli pernicioſo ſanè dogmate perſuadere conantur. Nam nihil aliud eſt Procerum diuiſio, quam Reip. ruina; & Nobilium factio ciuitatis eſt diſſolutio. Sicut enim cùm affecti ſunt malè nerui corporis, partes omnes ac ſingulæ tremunt; ita cum diuiſi ſunt Principes Reip. viri, Ciuitatis Ordines omnes concutiuntur, & in varias abeunt Factiones. Ipſa multitudo ſuos Duces habet, & quo affectus trahit, magnâ vi & impotenti animo contendit. Sanè cùm eiuſmodi naſcuntur in Rep. diſcordiæ, adhibendum citò remedium eſt, ne totam Ciuitatem quâdam contagione ſuam in fraudem, ac denique perniciem trahant.

Vno Exemplo res ſit manifeſta.

PErnicioſum Machiauelli dogma eſt, *nutriendas eſſe in Rep. inter Principes viros ſeu Nobiles factiones.* Videri factionis eiuſmodi effectus poteſt in duobus iuuenibus Syracuſanis Magiſtratum gerentibus, inter quos cum de re amatoria orta eſſet diſſenſio, & vno abſente alter eius vxorem ad ſe pellexiſſet, hic reuerſus contra illius vxorem, vt ad ſe veniret, induxit vnde excitata ſeditio fuit fictione hinc & illinc aucta, admiſcente ſe populo, donec ciuitas periit. Quamobrem monet Ariſtoteles iſtiuſmodi offenſionibus naſcentibus adhibendam eſſe cautionem, & citò potentum diſcordias eſſe componendas, priuſquam contagione ſuâ totam vrbem in fraudem ſuam trahant.

CAPVT VI.

Quomodo ad tollendas ſeditiones procedere oporteat.

Inquiſitione. QVatuor potiſſimùm ſunt tollendarum ſeditionum modi, vnus per inquiſitionem, alter per diuiſionem, tertius per concordiam, quartus per vim armatum.

In inquiſitione ita procedendum eſt. Primò inquirendum eſt in auctores ſeditionis, in eorum conuentus & conſilia. Hanc ad rem delatoribus eſt opus. Deinde ſi certum nondum eſt crimen, dies ſuſpectis dicatur, & iudicij forma ſeruetur. Qui rei ſunt, dignis pœnis afficiantur, qui inno-

Diuiſione. centes abſoluantur. In diuiſione hîc ſit ordo. Mittantur ad ſeditioſos viri aliqui

aliqui auctoritate fideque apud multitudinem valentes & diſerti. Hi vel metu iniecto, vel prœmij alicuius ſpe ad officium illos reuocare conentur. Si à turba diuellere Principes poſſunt, cæteri omnes diſperguntur. Vix enim multitudo niſi incitata peccat, & ſine Ducibus nihil poteſt. Prodeſt verò etiam ſeditioſorum Principibus Prouinciam aliquam gerendi belli, quæ ingrata non ſit, ad hoſtes demandare, vt hoc modo occupentur, & ſegregentur.

Concordiâ. Concordia tum proponenda eſt, cùm ſeditioſorum diſſolui conſilia non poſſunt. Illa certis fit legibus, quæ hinc dantur, inde acceptantur. Inprimis verò conſiderandi ſunt ſeditioſi, an eiuſmodi ſint viri, cum quibus honeſta iniri pax poſſit. Præſtat enim armis vti, quàm turpiter paciſci. Honeſta eſſe Principum concordia cum vilibus hominibus non poteſt. Deinde danda eſt opera, vt honeſtis de rebus ac iuſtis legibus pax tranſigatur. Summâ autem diligentiâ cauendum eſt, ne quid de Principis imperio auctoritateque detrahatur. Subditi enim cùm per ſeditionem imminutum eſſe Principis imperium intelligunt, ſpe libertatis ad Rebellionem & Seditionem nullo negotio concitantur. *Vis armata.* Per vim armatam comprimi ſeditioſi debent, cùm honeſtæ concordiæ locum non dant. Iuſtiſſimus hic eſt modus. Ne nimis tamen cruenta ſit aduerſus eos victoria, ſtratagematibus, ſi opus ſit, intercipiantur, eorumque conſilia turbentur, atque ipſi diſſipentur.

Authoritates & Exempla.

ILlud imprimis certum eſt, ad Principes & Præfectos Prouinciarum & vrbium pertinere, ſeditiones impedire aut excitatas tollere componereque. Ad Præfecti vrbis curam olim pertinebat quies popularium, qui & diſpoſitos milites ſtationarios habebat ad tuendam popularium quietem, & ad referendum ſibi quid vbique ageretur, l. Congruit ff. de off. Præſid. l. 1. §. quies ff. de off. Præfect. vrb. Qui ad tollendas diſcordias vel pacandos ciuium motus olim in Ciuitatibus præficiebantur Irenarchæ dicebantur. Iuſtinianus Imp. ad Tribonianum ſacti palatij quæſtorem ita ait: *Conueniens eſt re prouidere, vt nulli populi Ciuitatum alterutri ſeditiones faciant, ſed omnem pacem eſſe Dei Ciuitatibus, dum æquitas etiam hinc noſtris ſubiectis ſeruatur, & neque lucri neque paſſionis alicuius cauſa ad aliquam partium declinatur.* (In Authen de mandat. Principum §. Deinde Coll. 3.)

Eodem pertinet conſtitutio Frederici Imp. de pace tenenda, quâ iudicum quoque & defenſorum locorum, & quorumcumque aliorum Magiſtratuum curæ & officio imponitur, vt id agant ſollicite, vt huiuſmodi pax ab omnibus eorum curæ ſubiectis fideliter cuſtodiatur. Pœna etiam in negligentes Irenarchias ſtatuitur. (Baldus in l. Nullus C. de ſumma Trinitate.)

Sint autem Irenarchæ viri boni, prudentes, fideles, etiam ipſorum ſeditioſorum opinione; denique eloquentes. Plato lib. 1. de Leg. Nemo, inquit, integer & fidelis ſine omnium virtutum numero in ſeditionibus reperiri poterit. Cùm plebs Romana ſeſſiſſet in montem Auentinum, miſſi ſunt ad illam tres viri Conſulares Legati, C. Iulius, P. Sulpitius, Sp. Tarpeius; ſed cùm hi non placerent, ſtatim omnes conclamauerunt, vt L. Valerius & M. Horatius mitterentur; illis ſe reſponſum daturos. Hi quippè grati erant acceptique, & eorum prudentia cognita, fideſque non ſuſpecta, vt habet Liuius lib. 3. Cic. lib. de claris Orat. eos inter ſummos oratores extollit, qui dicendo ciuiles diſcordias compreſſerunt. Talis fuit M. Valerius, qui ſeditionem plebis Romanæ in monte ſacro oratione ſedauit. Talis M. Popilius, qui Conſul cùm in læna ſeu veſte militari, quod erat flamen Carmentalis, ſacrificaret, & ſeditio aliqua Plebis contra Patres nunciaretur, vt erat lænâ amictus in concionem prodijt, & authoritate orationeque illam ſedauit. Similem laudem meruit Scipio, teſte Liuio lib. 8. ſecundi belli Punici. Item plerique alij.

Portò in tollendis ciuilibus diſcordijs locum habet illud Ouidij lib. 1. de remed. amoris:

Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas inualuêre moras.

Ex paruis enim initijs paruo tempore creſcit in immenſum ſeditio, numquam proinde in ſuo ortu contemnenda aut negligenda. Apud Romanos ſeditiones Gracchanæ, Apuleianæ, & aliæ facilè comprimi initio potuiſſent; id quia factum non eſt, creuerunt in perniciem vrbis, & ex ijs bella ſocialia, ciuilia, & ſeruilia ſunt exorta. Ouid. lib. 1. de remed. amoris ait:

—— Quod fuerat primo ſanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

Adhibendum itaque in tempore remedium, nam etiam inter cauſas, quæ moram non recipiunt, ſeditiones numerantur l. Conſt. ff. de Appellat. l. Si quis filio ff. de iniuſto rap. & irri. teſta. Prudenter tamen hic feſtinandum eſt, nec quicquam præcipitandum. Prouerbio dicitur, *Qui nimium properat, ſerius abſoluit. Item ſæpè ingenio magis, quam viribus proficitur.* Carolus V. Imp. immenſam illam ſeditioſorum in Germania multitudinem, quæ viribus vinci non poſſe videbatur, ipſe quaſi otioſus, conſilio & prudentia ſua nullo fuſo ſanguine ſuperauit, & ad obedientiam adduxit. Verè ſedendo vicit.

Quatuor autem potiſſimùm modos tollendarum ſeditionum hoc capite proponimus. Primus eſt, *per inquiſitionem.* Ac tum opus eſt delatoribus, & quidem in cauſa rebellionis & criminis læſæ Maieſtatis omnes, quantumlibet alioquin deferre prohibiti, delatores eſſe poſſunt. Præmia verò delatoribus ſunt conſtituenda. Apud Liuium lib. 2. de Bello Macedonico & Aſiatico cum Carthaginenſium obſides Seciæ cuſtodirentur, excitatus eſt à ſeruis, qui cum illis erant, tumultus, quem tres indicauerunt, liber vnus, ſerui duo. Libero centum millia grauis æris, ſeruis vicena quina millia æris & libertas data. Pretium autem eorum Dominis Patres ex ærario numerari iuſſerunt. Quinto Curio prœmia publicè à Senatu conſtituta fuerunt, quòd primus conſilia coniuratorum Catilinariæ ſeditionis detexiſſet, etſi Iulius Cæſar ab ipſo inter coniuratos nominatus apud Ciceronem Conſulem effecerit ne præmia ei perſoluerentur. In tabulis Triumvirorum, qui Iulij Cæſaris cædem vindicabant, inter cætera continebatur, vt indicantibus coniurationis participes præmia darentur, eorum autem nomina in Commentarijs non ſcriberentur, ne manifeſti ipſi fierent.

Secundus modus eſt, *per diuiſionem.* Ad hanc opus eſt viri prudentis & eloquentis operâ. Romani etiam in ipſis expeditionibus bellicis ſegregabant turbulentos à caſtris ad aliquid aliud agendum, quod gratum illis videbatur, vt ad muniendas vrbes aut caſtella. Theodoſius Imp. Seditionem Donatiſtarum & Circumcellionum in Africâ diſſipauit promulgando legem in omnes hæreticos, vt quiſquis illorum clericus vel Epiſcopus vbilibet inuentus eſſet, decem libris auri mulctaretur; multi enim eius pœnæ formidine animaduertentes in ea hæreſi nihil ſe dignum inuenire, propter quod tanta damna paterentur, mox ſine vlla difficultate ad Eccleſiæ vnitatem & concordiam redierunt. Ita ſi aliqua ſit multitudo ſeditioſorum à diuitibus auxilium expectantium, diſſolui poteſt lege latâ, quâ diuitibus interdicatur ſeditioſorum illorum communione ſub certa pœna pecuniaria.

Tertius modus eſt, *per Concordiam, ſeu per tranſactionem,* quâ ſeditioſi certis legibus vel datis vel acceptis ad concordiam reuocantur. Sic aliquoties cum plebe Romana tranſegit Magiſtratus certis conditionibus, in quibus ſemper videndum eſt, ne quid de Dominorum poteſtate detrahatur, ne ea diminutio nouæ ſit occaſio ſeditionis. Plebs Romana cum prima Seditione in Monte ſacro obtinuiſſet Tribunos Plebis aduerſus Conſules, ſæpiùs alias ſeditionem excitauit, donec totum imperium optimatum imminuit.

Quartus modus eſt, *per vim armatam.* Hic modus eſt tutiſſimus, & eo vſi ſunt Romani aduerſus ſeditiones, quas ſerui & gladiatores viliſſimi homines, etiam quibus honeſta eſſe concordia non poterat, excitarant. Item Schytæ aduerſus ſeruos ſuos, vt videre eſt apud Iuſtinum lib. 2.

CA-

CAPVT VII.

Quæ pœna ſint Seditioſorum, & quid in ijs attendendum.

SEditioſorum crimina pœnarum aculeis eſſe coërcenda nemo dubitat. Pœna verò veterum decretis eadem eſt, quæ in veneficos, ſicarios, & homicidas alios eſt conſtituta. Et illi ſeditionis factæ ſunt rei, qui de facienda conſilium inierunt. Porrò in pœna infligenda diligenter eſt ad circumſtantias attendendum, vt aut maior ea ſit, aut minor. Inprimis verò ad cauſam, cuius ratione ſi omninò iniqua Seditio eſt, acri pœnâ coërcenda eſt; ſin ex cauſa videri non iniuſta poſſit, quamquam moleſta, nec ad turbandam Rempublicam Procedat, prudenter diſſimulandum eſt, & cauſa remouenda. Ad perſonas deinde, quarum conſideranda qualitas eſt, tum ex ordine, tum ex officio, vt vel grauior inferatur pœna, vel mitior. Prudentiam Iudicis hic requiro, qui ad eos etiam attendet, in quos excitata Seditio eſt. Quippe quæ in Magiſtratus perpetrantur crimina, aut in ſummum Principem, ſeueriùs, quàm quæ in priuatos, puniuntur. Tum ad tempus etiam, locum, & euentum. Nam horum quoque conſideratio multum ad pœnam infligendam facit; & grauiori ſupplicio in eum eſt animaduertendum, qui dum bellis cum hoſte Reſpublica infeſtatur, Seditionem excitat, quàm pacis tempore. Et quantò magis noxius fuerit euentus, tantò ſeuerior eſſe pœna debet. *Pœna eſt mortis ſeueriſsima.* *Attendendum ad circumſtantias.*

At verò quomodo in Seditione punienda multitudo? Nunquam omnes in multitudine ſunt nocentes, puniantur igitur auctores, hi enim ſunt nocentes. Aliquando vtile eſt multitudinem totam puniri, ſed hîc iterum Iudicis prudentiam requirò. Si fieri facilè non poſſit, obiurgatione tamen omnes feriat, & Dei ſupremi Regum Regis iudicio rem omnem committat. *Quæſtiuncula.*

Confirmantur Exemplo.

SEditioſorum pœna veterum decretis & conſtitutionibus introducta eadem eſt, quæ per legem Corneliam in Veneficos, Sicarios, & alios homicidas eſt conſtituta. Conſiderandæ verò hic circumſtantiæ omnes, cauſæ, perſona, locus, tempus, qualitas, quantitas, euentus, quemadmodum hic explicamus. Vbi tota multitudo ſeditioſa eſt, puniendi tantùm authores; niſi tamen vtile videatur omnes aliquando punire. Sic Alexander Seuerus Imp. integras legiones exauthorauit, & fuit in vſu apud veteres, Legiones decimare, qua de re Plutarchus in Craſſo.

CAPVT VIII.

Quæ cauſa & occaſiones hoc potiſsimùm tempore Seditionum, & quæ remedia.

SEditioſi, qui, hoc potiſſimùm tempore, Regum Status ac Reſpublicas perturbant, tribus præcipuè occaſionibus vtuntur, & quodam ſe prætextu defendunt. Et quidem prima occaſio Principum eſt in Rep. Virorum diſcordia, quæ primò inter familias aliquas illuſtres naſcitur, tum ſerpit paulatim, & velut flamma quædam vniuerſum Regni Statum *1. Diſcordia virorum illuſtrium.*

 incen-

Remedium. incedit. Remedium verò aliud hîc non eſt, quàm vt Rex ſeu Princeps quàm primùm ſeſe diſcordia eiuſmodi Iudicem declaret, ac ne quid per vim vlterius aggrediantur, ſeueriſſimo edicto prohibeat, donec de prudentiſſimorum Aulæ ſuæ virorum ſententia rem vniuerſam componat. Si ſerpat interim latiùs hoc malum, puniendi ſtatim Iuſtitiæ auctoritate ſunt, non viri illi Illuſtres, ſed eorum Miniſtri, qui prauis conſilijs vires addunt huic malo. Quod ſi pars vna ad Regis voluntatem ac iudicium accedat, eam Rex in tutelam ſuam recipiat; altera imbecillitatis tum ſuæ conſcia, facilè etiam rationi parebit.

2. Prætextus boni publici. Remedium. Secunda occaſio prætextus eſt quidam libertatis retinendæ, iuuandi populi, tollendorum abuſuum, boni publici. Remedium eſt, vt priuſquam ad arma multitudo concitetur, populo ſatisfiat, & tollatur hic prætextus. Etiam, quod optare populus vix auſus fuiſſet, ne Reſpublica turbetur, obtineat. Nunquam nimiâ aquâ conceptum incendium extinguitur. Benè ſibi Rex facit, cùm ſui ſtatus confuſionem tollit. Inprimis verò concitati Populi querelas & voluntatem quamprimum intelligat; deinde Prouincijs omnibus ſuis notum faciat, quod quandoquidem intellexerit perperam quædam cum magno bonorum ſubditorum detrimento iniuriaque fieri, ea conſtituerit adferre potiſſimùm remedia, quæ ex vtilitate Populi ſui ſunt futura. Tunc poterit flecti Populus, qui tam iuſtum, ac tam beneuolum erga ſe Regem ſuum animaduertet. Id verò agendum eſt, priuſquam vel Ordinum conuentus fiant. Generalia Ordinum omnium Regni Concilia cùm à Regibus ipſis conuocantur, ex vtilitate ſunt Regni; at verò cùm ab ipſis petuntur Ordinibus, vel Populo, vix aliud, quàm ciuile quoddam bellum apportant.

3. Prætextus Religionis reformandæ. Remedium. Tertia occaſio eſt Religionis reformandæ prætextus. Iuſta eſſe hoc prætextu arma putant. Sed primum hîc ſit remedium Deo ſeruentibus votis cauſam hanc commendare, opemque poſcere. Alterum, cogere factionis huius Principes, vt quid petant, ac quales ipſi ſint, publicè declarent. Citiùs ſe perdent, quàm quid velint aut quid ſint, manifeſtent. Quicquid dicent, receptæ de Religione opinioni & moribus contrarium erit; itaque fiet, vt in odium apud Populum adducantur, & faciliùs rationi Regiæque auctoritati pareant.

Authoritates & Exempla.

PRima eſſe videtur virorum Illuſtrium ſeu Principum in Rep. virorum diſcordia, quæ ſtatim ſummi Pontificis ſeu Regis iudicio terminanda eſt, ne latiùs ſerpat. Argumento ſunt in vrbe Conſtantinopolitana factiones, Veneta & Praſina, vbi quadraginta ferè hominum millia perierunt, teſte Zonara in Iuſtiniano & Procopio lib. 1. belli Perſici. Item in Italia Guelphorum & Gibellinorum, vt eſt apud Iouium in vita Othonis. Item Athenis Alcmeonidarum & Galliarum, teſte Herodoto lib. 6. Item in vrbe Romana Vrſinorum & Columniorum apud Iouium lib. 1. Item in Ditione Mediolanenſi Vicecomitum & Turianorum etiam apud Iouium in Othone. Item in Valachia Danorum & Draculorum, vt habet Æneas Syluius.

Secunda eſt, *Prætextus quidam boni publici.* Sic in Belgio ſeditio & ciuile bellum à Principe Auriaco excitatum eſt, dum ipſe fingit ſe libertati Populi ſtudere, ac eum aduerſus Regis crudelitatem defendere velle. Penultimi etiam in Francia tumultus, quorum caput Princeps Condæus, pro cauſa prætextum publicæ pacis habuerunt.

Tertia eſt, *Prætextus reformandæ Religionis.* Hanc cauſam arripuerunt Dux Saxoniæ, Lantgrauius Haſſiæ, & quicumque fuerunt in fœdere Smalcaldico, quique grauiſſimam illam in Germania ſeditionem aduerſus Carolum V. Imperatorem excitauerunt. Item in Francia & Belgio.

CAPVT

CAPVT IX.

An nulla ſatis iuſta cauſa videri poßit aduerſus Principem arma ſumendi.

NVlla ſanè omninò. Nam ſi docente gentium Doctore, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt, omnium eſt Regibus ſuis obedire, non in Reges armis conſurgere. Neque obedientiæ ratio bonitas eſt Principis, ſed diuinæ Maieſtatis voluntas. Adeoque cùm omnis poteſtas à Deo ſit ordinata, Dei ordinationi reſiſtit, qui Principum poteſtati reſiſtit. Hoc Oraculum eſt diuinum; Hæc lex æterna. Nullam excuſationem Principum malitia concedit. Si Reges ſunt & veri, & legitimi, iam iuſtam habere cauſam rebellio non poteſt, quia Regibus obediendum eſſe diuina præcipit voluntas. Cenſere ſui Principis mores, conſilia, facta, nemini ſubditorum eſt conceſſum, multò minùs armis corrigere. Vna non obediendi cauſa eſt, ſi quid nimirum aduerſus diuinam Maieſtatem ſubditis lege mandent. Deo tunc, qui Regum eſt Rex, non Regibus eſt obediendum. Sint aliàs peruerſi, promiſſis aliquibus, quemadmodum deberent, non ſtent; receptum aliquem fortaſſe morem ſemel non ſeruent, Ius tamen Maieſtatis non amittunt, & obligatam ſibi ſubditorum omnibus in rebus alijs obedientiam habent. Ipſius conſcientiæ hæc lex eſt. Quod ſi nimium ſæuiant, en remedium, fuge aut patere. Id fas eſt. Arma corripere ſemper eſt nefas. Itaque cùm diuinâ lege ſubditi omnes parere Regibus teneantur, quoties imperium repudiant, leges eorum non admittunt, arma in eos mouent, rebelles ſunt, & læſæ cum humanæ tum diuinæ Maieſtatis rei.

Nunquam vlla eſſe iuſta cauſa poteſt.

Diuinæ Authoritate confirmatur.

NVllam eſſe poſſe eiuſmodi iuſtam cauſam hic exiſtimamus. Vnum fundamentum eſt diuina authoritas. D. Paulus Epiſtola ad Romanos cap. 3. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt poteſtas, niſi à Deo, & poteſtas à Deo ordinata eſt, itaq; qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et vult D. Paulus *omnes obedire Principibus, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

DE BELLO.

TITVLVS IV.

De Natura & cauſis Belli.

CAPVT I.

Quid ſit Bellum & quotuplex.

BELLVM eſt actio hoſtilis ad iniuriam propulſandam vel vindicandam à Principe aut Rep. vi armiſque contra hoſtes, pacis retinendæ vel conſequendæ legitimè ſuſcepta & adminiſtrata. Diuidi ſolet inprimis in Internum & Externum. Internum eſt motus ſubditorum, quo arma in Principem ſuſcipiunt, aut inter ſe. Et hoc propriè ciuile bellum ſeu ſeditio, de qua iam dictum. Externum eſt ea vis, quâ in Principem aut

Definitio Belli.

Diuiſio.

aut populum alienum arma mouentur. Quod tale eſt, verè Bellum eſt. Princeps verò cùm in ſubditos arma ſumit, non bellum, ſed imperij & poteſtatis executio appellatur. Armatâ enim opus eſt manu, cum imperium ſubditi detrectant. Si finem ſpectemus, Bellum aliud eſt defenſorium, quod defenſionis causâ ſuſcipitur: aliud vindicatorium, quod ad iniuriæ vindicationem, damni dati reparationem, vel amiſſorum recuperationem geritur. Rurſum loci ratione aliud eſt nauale, quod in aquis geritur: aliud terreſtre, quod in terra. Vtrumque diuerſum ferè apparatum requirit.

Authoritates & Teſtimonia.

DEFINITVR hic bellum & variè diuiditur. Quæri tantùm hic poteſt an licitum ſit Chriſtianis bellum ſuſcipere & arma mouere. Negant Anabaptiſtæ. At verò D. Ambroſius lib. 1. de Off. *Fortitudo*, inquit, *quæ vel in bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios plena iuſtitia eſt.* Et teſte Imperatore Iuſtiniano in procemio Inſtitutionum Iuris, Imperatoria Maieſtas armis decorata eſſe debet. Imò etiam Deus ipſe peculiaria mandata dedit Abrahamo, Moyſi, Ioſuæ, Dauidi, & alijs de ſuſcipiendo ac gerendo bello. D. Ioannes Baptiſta milites approbauit in officio manentes, monendo eos, vt neminem concuterent, nemini calumniam facerent, contenti ſtipendijs ſuis eſſent, vt eſt apud D. Lucam cap. 3. Et D. Auguſtinus *Militare*, inquit, *non eſt delictum, ſed propter prædam militare, peccatum eſt.*

CAPVT II.

Quæ conditiones iuſtum Bellum antecedere debeant.

QVoniam malorum omnium lerna quædam comitari bellum ſolet, dubiuſque maximè & anceps eſt euentus, multumque in re militari fortuna valet, ideò non temerè & cæco impetu, ſed tardè & diligenti præcedente conſultatione ſuſcipi Bellum debet. Imò experiri omnia priùs conſilio oportet, quàm armis. Quippè principia Belli prudentiſſimè conſtitui multum intereſt, vt æquitatis ſuadente ratione ſuſceptum eſſe Bellum videatur. Tunc enim propitius exercitui Deus adeſt, tunc Milites periculis adeundis ſunt promptiores; & dum ſciunt iniuriam ſe non inferre, verùm illatam propulſare, nullius impietatis conſcij abſolutâ virtute excelſoque animo militiam aggrediuntur. Porrò vt iuſtum ſit bellum, hæ conditiones requiruntur.

Tentanda Primo pax. Deinde Iuris remedia. Tum bellum denunciatur. Inprimis præuiâ deliberatione tentanda pax eſt, ſi haberi honeſta poſſit; alioquin glorioſum Bellum turpi pace eſt optabilius. Deinde Iure experiri oportet, & ſi Hoſtis ſiſtere ſe iudicio velit, ſiſti etiam arma debent. Iniquum eſt aliàs Bellum. Tum ſi tentata Iuris remedia non proſint, ſit Belli denuntiatio ſeu clarigatio; mitti nimirum Heros aliquis debet; is Hoſti, vt quod debet, præſtet, denuntiat; præſtare ſi nolit, bellum ad certum tempus indicit. Illud verò neceſſarium eſt, vt ſummi Principis auctoritate iuſſuque bellum moueatur, armaque ſuſcipiantur.

Authoritates & Teſtimonia.

HÆ nimirum, vt pax primò tentetur, Deinde iuris remedia, tum bellum denuncietur; idque ex Principis ſupremi authoritate & iuſſu. Onoſander in Strategico cap. 4. *Principia*, inquit, *belli prudentiſſimè conſtitui oportere cenſeo,*

cenſeo, ita vt æquitatis ratione ſuadente ſuſcepta eſſe manifeſtò appareat. Tunc enim exercitui contra hoſtes ſocius bellorum Deus propitiuſque aſſiſtet, ipſiq; adeo milites erunt adeundis periculis promptiores. Poſtquàm enim perſpexerint ſe iniuriam non inferre, verum illatam propulſare nullius impietatis conſcij, abſolutâ virtute excelſoq; animo militiæ ſeſe vltro dabunt. Ita ille. Per belle dicebat Baldus, *initio vtendum eſſe verbis*, hoc eſt amicam tractionem eſſe tentandam. *Deinde herbis* hoc eſt omnia iuris remedia adhibenda. *Tertio lapidibus*, vt vbi non ſufficit virtutis ingenium, valeat armorum præſidium & tutela. D. Auguſtinus Epiſtola 205. *Cogita tecum, pugnam neceſſitatis eſſe, quare animo ſemper feraris ad pacem, bellum gere, quod aliter non poſſis, ſed ſi pax coïre poſſit, ne illam negligas.* Bodinus lib. 2. de Rep. *Id iure gentium certum eſt, vbi iure agi poteſt, ab armis abſtinendum: ex quo efficitur, cùm nullus æquitati aut legibus locus, armorum vim ad ſua vel tuenda vel repetenda tutiſſimam eſſe.* Martianus Cæſar dicebat, *Donec in pace viuere licebit, non decere Principem arma ſumere, ac Principi induenda eſſe arma, vt Patriam defendat, non vt aliena oppugnatum eat.* Vnde eius ſymbolum fuit, *Pax bello melior.* Cuius pacis omen, cùm placeret Septimo Seuero Imperatori ſymbolum hoc accepit, *laboremus*, Croeſus, teſte Herodoto, cùm ſe apud Cyrum ob bellum temere ſuſceptum excuſat. Nemo, inquit, tam impudens eſt, vt bellum præferat paci; quippè *in hac liberi parentes, in illo parentes ſepeliunt liberos.*

CAPVT III.

Quænam ſunt iuſtæ Belli cauſæ.

CAuſæ quæ legitimum efficiunt Bellum, reuocari ad duo capita poſſunt. Ad Inuaſionem & Defenſionem: ita vt vna cauſa vindicatoria ſit, altera defenſoria. Inuaſio eſt cùm Princeps ad iniuriam vindicandam, vel repetendas res ſuas ab alijs detentas, vel ob iuſtitiam denegatam alterius Principis, aut Reip. ditionem armis inuadit. Defenſio verò cùm pro ſui ſuorumque propugnatione bellum aduerſus hoſtes aliquos ſuſcepit. Vtraque legitima eſt. Illa quidem quod naturæ gentiumque iure iniuriam vlciſci, ac res ſuas vi repetere, cùm iuſtitia denegatur, omninò fas ſit: hæc verò quod naturalis ſit iuris ſe, ſuos ſocios, & oppreſſos quouis modo tueri. Hoc tamen prætextu aliena apprehendere non licet.

Cauſæ ſunt Inuaſio & defenſio.

Quid Inuaſio.

Quid Defenſio.

Teſtimonia & Exempla.

THeodoſius Imperator Valentiniano dicere ſolebat, vt refert Suidas *Imperatoriam aciem non armis, ſed iuſtis cauſis conſtare.* Comes autem Sancti Pauli, teſte Cominæo. *Qui in bello*, inquiebat, *vincere cupit, videat vt Deum æquitate cauſæ, & belli à ſe ſuſcepti à ſuis partibus habeat.* Vnde rectè Poëta:

> *Non vis aut numerus, tandem bona cauſa triumphat.*

Porrò legitimæ belli cauſæ duæ ſunt potiſſimùm *inuaſio* & *defenſio*, quemadmodum hic referimus. Cic. lib. de Rep. *Nullum bellum*, inquit, *ab optima Ciuitate ſuſcipi debet, niſi aut pro fide, aut ſubditorum ſalute.* Chriſtophorus Warſeuicius in Panegyrico ad Stephanum Poloniæ Regem, *Quæ pro aris*, inquit, *& focis, pro patria, pro tuendis finibus, pro conſeruandis libertatibus ſuſcipiuntur & geruntur iuſta ſunt.* Quod defenſio iuris ſit naturalis docet Cic. Orat. pro Milone, & 1. off. Item l. Verum. 3. de Iuſtitia & Iure. Imò defenſio omni generi animantium à natura tributa eſt l. 1. §. cùm arietes ff. Si quadrup. paup. feciſſ. dicat. Et Propentias elegia ad Cynthiam.

> *Non ſolum taurus ferit vncis cornibus hoſtem*
> *Verum etiam inſtanti læſa repugnat ouis.*

Hinc Mathathias, vt legitur lib. 1. Machab. cap. 2. Maluit ſuſcipere bellum, quàm amittere vitam, & abolere legem diuinam. Illud verò perſuaſum Principibus omnibus eſſe debet, nunquam bellum niſi iuſtis & neceſſarijs cauſis ſuſcipere. Ita fecit Auguſtus Cæſar, qui affirmabat *iactantis eſſe ingenij ob triumphalem pompæ ſuper-*

ſuperbiam & lauream corollam ciuium vitas ac ſecuritatem velle periclitari. Qua virtute modeſtiæ effecit, vt Parthi creandi Regis arbitrium illi permitterent, ſigna erepta M. Craſſo & Antonio referrent; Indi, Sehytæ, Garamantes, Æthiopes, fœdus per Legatos additis donis cum illo percuterent. Ita etiam Carolus V. Imp. fecit, qui ob ſpem lucri ſuſcipere arma non volebat. Vnde dicebat, *quod ſi vniuerſum Galliæ Regnum ſuis armis ſibi ſubieciſſet, totum tamen Regi redderet, modo quod ſuum eſt, exiguum tamen haberet.* Sine iuſta enim cauſa bellum, non tam bellum eſt, quam latrocinium appellandum. Hinc Lucanus & Seneca lib. 1. de Benef. Alexandrum Magnum orbis terrarum prædonem vocant. Id probrum ei obiecit aliquando Demetrius Pyrata. *Nihil*, inquiebat, *præter Pyraticam didici, & à parente tantùm duos Myoparones accepi. Tu verò Alexander à Patre Regnum Macedoniæ florentiſſimum accepiſti, & terra mariq; cum potentiſſimo exercitu latrocinaris.* Quæ oratio non mouit Alexandrum ad vltionem, ſed ad commiſerationem; vnde illum Legioni vni præfecit.

CAPVT IV.

An Legatorum violatio iuſta eſſe Belli cauſa poßit.

Iuſta cauſa eſt. Omninò iuſtiſſima. Sancti enim ſunt Legati, iure diuino & humano vbique ſecuri & inuiolabiles. Horum interneccio grauiſſimo ſemper bello vindicanda eſt, propter quam non paucæ olim æquatæ ſolo ſunt vrbes, & afflictæ Prouinciæ. Iura igitur, & Gentium exempla ſequi hîc licet

Exemplis confirmatur.

Legatorum violatio iuſtiſſima belli cauſa eſt. Id Polybius lib. 1. & 2. fuſe deducit. Sunt enim Legati omni iure diuino, humanoque inuiolabiles, vt oſtendimus lib. 2. vbi de Legatis egimus. Hinc Romani, teſte Liuio lib. 4. graue bellum ob Legatos interemptos contra Fidenates ſuſceperunt. Item bellum Achaicum, in quo Corinthum Ciuitatem opulentiſſimam deleuerunt, quod Legati parum honorificè eſſent tractati. Propter eandem Legatorum violationem Crotoniatæ bellum ſuſceperunt contra Sibaritas, teſte Athenæo lib. 12. cap. 8. Herodes contra Arabes, teſte Egeſippo lib. 1. cap. 32. Dauid contra Ammonitas lib. 2. Regum cap. 10. & Paralip. 9. Tigurini ob nuncium interceptum Galliæ bellum intulerunt, teſte Guicciardino lib. 10.

CAPVT V.

An ad Ditionem ſuam amplificandam iuſte ſuſcipi Bellum poßit.

Iuſta eſſe ea cauſa non poteſt. Nequaquam. Nam id ſaluo iure, illæſâque honeſtate & dignitate fieri non poteſt: nunquam verò ab vtilitate ſeiungi honeſtas debet. Aliena rapere & occupare non bellum eſt, ſed latrocinium. Hoc exercent, qui ſolâ dominandi cupiditate, vt Imperij ſui fines amplificent, arma mouent. Non temerè ſanè ſequi eam cupiditatem oportet: aliena enim appetendo, non raro propria amittuntur. Et hæc eſt iniuſtorum armorum quædam punitio. Pernitioſi ſunt, & è Schola Machiauelli Conſiliarij illi, qui non vitio, ſed laudi tribuunt circumferre per Orbem arma,

ma,& aut fraude,aut Marte regnum augere. Monent tamen ea affectare neminem debere, quæ conſequi viribus ſuis non poſſit. Ita illi Principes ſuos faciunt latrones, & publica latrocinia, & rapinas, & Prouinciarum probant deuaſtationes. Bellum ex ſtultitia & malitia non rarò naſcitur. Tale eſt, cùm eius cauſa non eſt alia, quàm ambitio, gloria, libido dominandi, nocendi cupiditas, mens impacata, luxus, nimia felicitas. Pulchrum ex iuſtitia regnum ſibi comparauiſſe, pulcherrimum iuſtitiam regno prætuliſſe. Nec regni fines gladijs, ſed iuſtitiâ debent terminari.

Authoritatibus conſtarijs conuincitur.

IVſta eſſe ea cauſa non poteſt. Machiauellus tamen lib. de Principe cap. 3. *Cum natura*, inquit, *regnandi cupiditate nunquam ſatietur, nulli vitio, ſed potius laudi damnum eſt, quouis modo ſiue per pellem leoninam, ſiue per vulpinam ditiones ſuas amplificare.* In eo tantum vitium eſſe dicit, ſiquis ea affectet, quæ conſequi viribus ſuis non poſſit. Hippolitus à Collibus lib. de Principe cap. 34. duo media propagandi reperire ſe ſcribit, noſtra augendo, & aliena attrahendo. Olim etiam Lacedæmonij, Cretenſes, Schytæ, Perſæ, Thraces, & plures aliæ nationes finitimos populos nulla iuſta cauſa inuadebant, & ſua confinia aliarum gentium damnis ſpolijſque augebant vt Boterus lib. 8. de Politia Illuſtrium cap 6. atteſtatur & videre eſt apud Iuſtinum lib. 1. At peruerſa illa opinio eſt. *Nam poſſe id demum vnumquemque dicimus, quod iure, honeſtate & dignitate ſaluâ poteſt*, vt ait Papinianus in l. 5. ff. de Condit. Iuſt. Apud Prophetam Habachuc, cap. 2. *Væ qui multiplicant non ſua, væ qui ſpoliant gentes multas, væ qui congregant auaritiam malam domui, vt ſit in excelſo nidus eius &c.* Ariſtoteles 7. Polit. cap. 2. ait, *in amplificandis imperijs & necandis finitimis beatitudinem Ciuitatis nequaquam conſiſtere.* Certè, vt ait, Poëta *Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri.* Imò ſecundùm Claudianum:

——Plus eſt ſeruaſſe repertum,
Quàm quæſiſſe nouum.

Et, vt ait Plutarchus in Numa. *Pulchrum eſt Regnum ſibi iuſtitia comparaſſe, pulchrum eſt etiam Iuſtitiam Regno prætuliſſe.* Ageſilaus, teſte Plutarcho in eius vita dicebat, *Reip. benè conſtitutæ fines non gladijs ſed iuſtitia terminari.* Hannibal verò Scipioni dicebat, *Optimum fuerat eam Patribus noſtris mentem datam à Dijs fuiſſe, vt nos Italiæ, vos Africæ imperio contenti eſſemus.* Pompeius Magnus Phraati Parthorum Regi poſtulanti, vt Ephratem Romanæ ditionis terminum eſſe vellet, imò reſpondit illud magis poſtulandum eſt, vt Romanorum fines à Parthorum Regno iuſtitia diſcernat. Potentia tuta eſt, quæ viribus imponit modum ait Valer. Max. lib. 4. cap. 1. Multi alienis inhiantes propria amiſerunt, & vt dicit Saxo Grammaticus, *Sæpè amborum captator vtriuſque perditor fuit.* De Principe quoddam Tartarorum referunt, quod cùm captum Ducem Moſchorum bellum non neceſſarium mouentem interfeciſſet, ex eius caluaria poculum inauratum fieri curauerit, cui hæc erant inſcripta hæc verba, *Hic appetendo aliena, amiſit propria.* Huc refertur fabula de camelis, qui cùm per Oratorem cornua à Ioue poſtulaſſent, ille offenſus ſtultâ poſtulatione etiam aures illis reſecuit. Vnde natum eſt hoc adagium. *Camelus deſiderans cornua, etiam aures amiſit.* De quo apud Eraſmum in Chiliadibus. Sic canis Æſopicus, qui carnis, quam ore tenebat, cùm vmbram in aqua videret, & capere vellet, ſuam amiſit. Cyrus Rex Perſarum dum non contentus ampliſſimo Regno Aſiam ſubegit, tandem Schytis bellum intulit, vbi infeliciter pugnans cum exercitu eſt cæſus. Noſtra ætate illuſtre exemplum dedit Fridericus III. Palatinus Elector, qui dum Bohemiæ Regnum inuadit, illud & ſuum Palatinatum amiſit.

CAPVT VI.

Aliæ quædam iuſti Belli cauſæ.

Cùm Religio impetitur.

SVbiungendæ hîc aliæ iuſtæ Belli cauſæ. Ac prima quidem cùm Religio noſtra ab improbis ſeu Barbaris, ſeu Hæreticis impetitur. Quæ enim ipſi, eadem Deo iniuria infertur; & qui hanc tuetur, Dei cauſam propugnat. Impetere verò Religionem ipſi vel armatâ vi poſſunt, vel fraude, & ad ſuam impietatem malis artibus ſollicitando. Vtrumuis agant, iuſta eſt Belli cauſa. Quod ſi ſibi tantùm ſint improbi, arma noſtra non ſentiant; vlciſcatur cùm volet Deus.

Cùm Hoſtes iuuantur.

Secunda, cùm Auxilium hoſti bello non iuſto eſt datum, ab ijs nimirum, qui ſubditi hoſti non erant, & iniuſtam hoſtis cauſam non ignorabant. Hoſtium enim loco habentur, qui hoſtes iuuant. Non tamen eſt, fauiſſe tantùm, ſatis.

Cùm Socij defendendi.

Tertia, cùm ſocij iniuſto bello ab hoſtibus petiti opem implorant. Et hæc quidem non iuſta tantùm, ſed etiam ſpecioſa cauſa eſt. Præſtanda enim ſocijs eſt fides, ne opprimi ſinantur. Examinanda verò Belli cauſa, ne iniqua defendatur.

Cùm excitata Rebellio eſt.

Quarta, cùm externus Princeps aliquis Rebellionis eſt in regno cauſa, & in Regem ſubditos concitat. Talis enim Rebellionis eſt auctor, ac proinde iuſta in eum ſunt arma.

Cùm Princeps ignominiâ affectus.

Quinta, Ignominia Principi alicui ab externis facta. Neque enim ludibrio Maieſtatem habere decet. Et quanquam eorum Rex non ſit, Rex eſt tamen, & quaſdam Dei vices in terris agit, ideóque ab omnibus honorandus; etſi obtemperare illi non omnes, qui extra eius ſunt Regnum, teneantur.

De cæteris iudicare prudens Politicus poterit.

Authoritatibus ſingula conſtant.

PRima eſt *Religionis cauſa.* Conſtantinus Imperator grauiſſimum bellum contra Maxentium & Licinium pro Chriſtiana Religione defendenda ſuſcepit, teſte Euſebio lib. 9. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Ita bella quæ contra infideles Turcaſque perpetuos Chriſtianæ fidei hoſtes geruntur, omnium maximè iuſta & licita ſunt. Item quæ contra Hæreticos etiam hoc tempore à Chriſtianis Principibus ſuſcipiuntur.

Secunda eſt *auxilium hoſti datum.* Qui hoſtes enim iuuant hoſtium loco habentur. Sic Romani bellum geſſerunt contra Illyrios, quod ipſi à Perſe Rege tum hoſte conducti militauiſſent, vt habet Florus lib. 2. cap. 13. Item contra Ætolos, Iſtros, Gallogræcos, quod Antiochum Regem bello Syriaco iuuiſſent, apud eundem Florum lib. 2. capitibus 9. 10. 11.

Tertia cauſa eſt, *defenſio ſociorum.* Id ſocietas & fides requirit. Ariſtoteles in Rhetoricis bellum in eos ſuſcipiendum affirmat, qui Remp. aut eius ſiue amicos ſiue ſocios violare moliuntur. Sic Abrahamus armauit vernaculos ſuos trecentos decem & octo, nonnulloſque alios ſibi ſocios adiunxit, vt fratrem ſuum Loth liberaret, vt Gen. 14. cap. legitur.

Quarta eſt, *cauſa rebellionis*, de qua præcedenti titulo diximus, & alia eſſe poteſt, *ignominia Principi illata*, quod tueri ſuam dignitatem famamque Principes & honorem tueantur. Licet etiam *oppreſſis bello opitulari.* Id exigit Chriſtiana charitas, & commune naturæ vinculum, quod homines ad mutuam ſui defenſionem aliaque officia præſtanda copulauit; ſeu vt loquitur Florentinus I. C. ad l. 3. ff. de Iuſt. & Iur. Quod cognationem quandam inter homines conſtituit, efflagitat. Inde Sen. de virtut. *Si iuſtus es*, inquit, *non ſolùm non nocebis, ſed & nocentes prohibebis.* Cic. 1. Off. *Qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, iniuriæ, tam eſt in vitio, quàm ſi parentes aut Patriam aut ſocios deſerat.* D. Ambroſius lib. 1. Off. cap. 37. *Qui non repellit à ſocio iniuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit.*

CAPVT

CAPVT VII.

Monita quædam pro Bello ſuſcipiendo.

BElli mala ij primò ſentiunt, qui mouent; nec in eiuſdem ſunt poteſtate initium & finis. Incipere quiuis poteſt, etiam ignauus; finis non eſt, niſi cùm vult victor. Igitur magnâ curâ ſuſcipiendum, & gerendum eſt Bellum.

Inprimis maturum de Bello ſuſcipiendo adhibendum eſt conſilium: in eo ira ponenda, & verè conſulendum, non adulandum. Imò frænandus hîc totus animus eſt. *Vtendum Conſilio.*

II. Vbi de cauſæ Iuſtitia conſtat, Princeps vires hoſtium, ſuas, vicinorum conſideret. Si omnia faueant, temporum mutationes exhoreſcat. Idcircò Patriam ſuam potenti præſidio inprimis communiat, tum quomodo hoſtibus eripiat victoriam, videat. *Conſiderandæ omnium vires & patria munienda.*

III. Poſtquam de Belli gerendi modo conſtitutum eſt, ſecretum ſit omne conſilium, & omnia timeantur. Dici enim in Bello non debet, Non putabam, & nemo facilius, quàm qui ſecurus eſt, opprimitur. Contemnere hoſtem nunquam oportet; nec exiſtimandus is eſt timidus, qui cautus eſt. Semper ratio timorem adfert, ſed imperitia audaciam. *Secretum ſeruandum & timenda omnia.*

IV. Bellum eo animo ſuſcipiatur, vt Belli Iura & armorum leges ſeruentur. Nec deſit diſciplina, vbi ſperatur victoria. Omnem prædæ agendæ licentiam militibus concedere, eſt publicè latrocinari, non bellare. Seueriores leges Bellum, quàm pax poſtulat. *Seruetur belli diſciplina.*

V. Non alius Belli finis, quàm Pax, conſtituatur. Hæc eſſe Scopus armorum debet, ac tum, cùm hoſtes debellati, habetur. *Belli finis ſit Pax.*

VI. Dei inprimis auxilium eſt poſtulandum. Quippè ab eo eſt omnis victoria; nec eſt vera fortitudo, niſi Dei auxilio nitatur. Et quia nuſquam minùs quàm in Bello, euentus reſpondet, diuinæ Maieſtatis voluntas ſollicitè eſt inquirenda. Imò qui in Bello ſunt, ſani agonizant, ideoq́ue meritò ad Deum modis omnibus recurrunt. *Auxilium Dei poſcendum.*

Authoritatibus ſingula probantur.

PRimum eſt, vt maturo conſilio bellum ſuſcipiatur. Cardinalis Aldobrandinus dicere ſolebat, *Pluris Imperatoris in armis eſſe conſilium, quàm impreſſionem vniuerſi exercitus & impetum.* Docuit id aliquando Fabius Maximus, qui ab vniuerſa Italiæ corona graminea eſt donatus, quoniam non repugnando, ſed cauendo Romanis reſtituerat rem. Vmbone Palladis, hoc eſt conſilio, vis hoſtium maximè reparatur. Quippè res bellica ſine conſilij prudentiâ nec vtilitatem nec laudem habet. Docet id in Pyrrho infauſtus rerum euentus. Hic quippè Epirotarum Rex rerum ſucceſſu elatus contra Antigonum Macedonum Regem nulla laceſſitus iniuria arma accepit vi & potentia fretus; Antigonus verò nullo ab exercitu firmus, conſilio vtens pro armis Pyrrhi exercitum cunctando ſæpè illuſit, ac demum ſpem omnem eius in contemptum adduxit, imò in deſperationem. Pelopidas etiam Thebanus & M. Marcellus Romanus ei potiùs, quàm conſilio freti, turpiter magis, quàm fortiter in bello ceciderunt. Omnis antiquitas conſilio plus, quàm arti vel robori, vel virtuti cuiuis tribuit. Hinc Lacones, quando ſtratagemate hoſtem ſuperauerant Marti bouem immolabant, quando aperto prœlio, gallum gallinaceum. Et ferè ſemper qui viribus ſuperior eſt, facilè vincitur, ſi conſilio ſit inferior. Cyrus cùm exercitus robore, & militum multitudine hoſti concederet, trans Araxem Fluuium caſtra, quaſi timidus poſuit, Maſſagetiſq́ue in ſe irruentibus diripenda reliquit; illos mox cibo potuq́ue graues ac ſomno deditos nocte intempeſta adortus cùm ſuo Rege trucidauit. Facilè quippè eſt ſtruere inſidias, cauere difficile.

Secundum eſt, vt *conſiderentur hoſtium vires, & patria firmo præſidio muniatur.* Q. Fabius Liuium Conſulem cum proficiſceretur, monebat, teſte Liuio lib. 27. *Ne priuſquam genus hoſtium cognoſſet, manum confereret.* Vegetius lib. 3. *Ad rem,* inquit, *pertinet noſſe qualis ipſe aduerſarius vel eius comites optimateſq́; ſint, vtrum temerarij, an cauti, an audaces, an timidi, ſcientes artem bellicam, an ex vſu temerè pugnantes.* Idem eodem lib. 3. *Qui in acie publica vincitur pugna, licet ibi ars plurimum proſit, tamen ad defenſionem ſuam poteſt accuſare fortunam; qui verò ſuperuentus & ſubſeſſas inſidias paſſus eſt, culpam ſuam non poteſt excuſare, quia hoc euitare potuit, & per ſpeculatores idoneos ante cognoſcere.* Liuius de Hannibale ait, *Hannibali omnia hoſtium non ſecus, quam ſua, nota erant.* Et Tacitus lib. 2. Annal. *Nihil ex ijs Cæſari incognitum; conſilia, locos, prompta, occulta nouerat, aſtuſque hoſtium in pernitiem ipſis vertebat.* Vegetius lib. 3. *Difficile vincitur, qui de ſuis & aduerſarij copijs verè poteſt iudicare.*

Tertium eſt, vt *ſecretum ſeruetur, & omnia timeantur.* Nam quod aduerſus hoſtes capitur conſilium, vix prodeſt, niſi occultum. Cardinalis Aldobrandinus dicebat *magnam eſſe artem conſilij capiendi, ſummam autem fidem occultandi.* Illud qui detegunt, non ſolùm officium deſerunt boni viri, ſed etiam vulnerant. Hac de re diximus lib. 1. ad cap. 7. tituli 17.

Quartum eſt, vt ſeruetur belli diſciplina, de qua poſtea.

Quintum eſt, vt belli finis ſit pax. Teſte Liuio, *Pacem etiam colunt, qui vincere poſſunt.* Id declaratur exemplo Pyrrhi Epirotharum Regis, qui cùm illaturus Italiæ bellum eſſet, rogatus fuit à Cynea Oratore, quid tandem eſſet acturus occupata Italia; tranſibimus, inquit, in Siciliam in Carthaginem & in Africam, ac tum alto otio fruemur. Tunc Cynæas, quid obſtat, inquit, quo minus id iam faciamus, cùm iam etiam & pacem habeamus?

Sextum eſt, vt auxilium à Deo petatur. Hic enim eſt Deus exercituum, & ſine cuius ope, fruſtra eſt velle vincere.

TITVLVS V.

De Apparatu Bellico.

CAPVT I.

In quo Belli apparatus conſiſtat.

In pecunia, Militibus, Commeatibus.

OMNIS Belli apparatus in tribus potiſſimùm conſiſtit, in Pecunia, Militibus, Commeatu. Pecunia ſtrenuum, fidelem, & obſequentem militem facit, qui, vbi ea deficit, rebellis eſt. Nec in officio continere militem Dux poteſt, qui neceſſaria non ſubminiſtrat. Hæc enim cùm deſunt, ad prædas & latrocinia ſe miles conuertit. Nec eſt alia coërcendorum in Militia latrociniorum ratio, quàm ſi certa ac prompta habeant milites ſtipendia. Sine militibus geri Bellum non poſſe nemo ignorat. De his poſteà. Sine commeatu verò nullâ Belli lege teneri miles poteſt. Quippè ieiunus exercitus diſciplinam militarem ſeruare non ſolet. Nec ſperanda victoria eſt, vbi inopia eſt: nam cum natura & hoſte pugnare, omnium eſt difficillimum. Benè veſtitus & ſatur eſſe miles debet, & nummorum adhuc aliquid in Baltheo geſtare. Miſerum eſt, cùm inopiæ diſperatio iungitur. Ad Apparatum etiam arma referuntur.

Teſti-

Teſtimonia & Authoritates.

IN pecunia, commeatu, militibus. De prioribus apertè Thucydides *bellum*, inquit, *non eſt in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus, per quos efficacia arma redduntur.* Verè efficacia, cùm ſine pecunia arma flacceſcant, & nonnunquam in ipſiuſmet imperantis perſonam torqueantur, vt Megarenſium exemplo Polybius docet, & noſtra ætas in multis didicit, quando pecuniæ defectu milites rebellarunt. Benè proinde Ioannes Iacobus Triuultius magni nominis belli Præfectus rogatus, quæ res in bello neceſſariæ eſſent, reſpondit tres requiri, *Pecunias, Pecunias, Pecunias.* Alexander Seuerus Imp. aiebat *militem benè veſtitum caligatumq́; ac ſaturum, ſi aliquid præterea nummorum in baltheo geſtaret ſemper dicto obedientem fore, alioquin inopiæ plerumque deſperatio coniuncta eſt.* Fulgoſius lib. 2. de dictis & factis memorabilibus cap. 2. *Exercitus*, inquit, *pecuniæ penuriâ potiùs, quàm pugna conſumitur.* Qui enim frumentum neceſſariumq́ue commeatum non præparat, ſine ferro vincitur. Cùm, teſte Vegetio, *omnium difficillimum ſit cum natura & hoſte ſimul certare.* Ad apparatum arma referuntur de quibus infra. D. Auguſt. tractatu 19. de verbis Domini *militantibus ſtipendia conſtituta eſſe dicit, ne dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur.* Eniti proinde Principes debent, vt militare ærarium habeant, vnde ſubſidia tantùm ad militiam ſumantur, & ſanctè ſeruetur. Idem monet Hyppolitus à Collibus, cap. 12. Ne dum pecunia quæritur, & hinc inde colligitur, belli occaſiones negligantur, & hoſtium celeritas nocere poſſit. Vtopienſes, teſte Moro, in Vtopia lib. 2. ad bellum gerendum theſaurum ineſtimabilem ſeruant, vt in extremis periculis, aut in ſubitis præſidio ſit. Potiſſimùm, vt externos milites, quos libentius, quàm ſuos, obijciunt diſcrimini, conducant, gnari multitudine pecuniæ hoſtes ipſos plerumque mercabiles, & vel proditione, vel infeſtis etiam ſignis inter ſe committi. Athenienſes mille talenta in caſus extraordinarios ſeponebant, teſte Thucydide.

CAPVT II.

Quando fieri Apparatus Belli debeat.

PAcis potiſſimùm tempore, ne cùm ſubita Belli neceſſitas vrget, præſidijs Princeps deſtituatur. Itaque rebus tranquillis cogitare de Bello oportet, ac tunc parare pecuniam, & potens Ærarium ijs, de quibus libro tertio diximus, modis: prouidere Annonæ, & quæ ad victum neceſſaria ſunt in promptu ac copia habere. De Annona dictum quoque libro tertio. Comparare equos & arma, viroſq́ue militares ad omnem armorum occaſionem deſcribere, ac certos habere. Sint numeroſæ Peditum & Equitum copiæ, quæ vel in finibus, vel in præcipuis Regni locis præſto ſint. Mare etiam claſſibus ſit conſtratum. Sic enim aucta erit Maieſtas, & hoſtibus terror incutietur, & tutiſſimum erit Regnum. Atque hæc omnia ratione certâ fieri poſſunt, ſi nimirum modico ſumptu & paulatim parentur: vnde tenue etiam ſufficere Ærarium poterit, nec nouis Vectigalibus ſubditorum animi alienabuntur. Hoc verò fieri ſi non poteſt, adijcere animum ad Bellum non oportet. Porrò ad hanc rem iuuat Armamentarium eſſe in Rep. in quo armorum ſit omne genus; tum Nauale omni bellico & nautico Inſtrumento refertiſſimum. Hinc Apparatus pro diuerſa Belli inferendi ratione deſumetur.

Pacis tempore.

ſi quæ vel repentina neceſſitas, vel improuiſa vis hoſtium ingruat, Remp. & Regnum ſuum à ruina & exitio defendere poſſit. Nam, vt ait Lipſius lib. 5. Polit. cap. 6. *ſubito illa ægrè parantur, & ſemel parata non ſolùm in bellum valent, ſed ne ſit bellum.* Sic Roboam in ſingulis vrbibus munitis fecit armamentaria ſcutorum & haſtarum lib. 2. Paralippomenon cap. 11.

CAPVT IV.

De Commeatu ſeu rebus ad victum neceſſarijs procurandis.

COmmeatuum rerumque ad victum neceſſariarum procuratio magnum eſt omninò in Bello munus. Hæc verò non tam ab arte aliqua, quàm ab induſtria prudentiaque Ducis tota pendet. Sit verò ſummus aliquis annonæ Præfectus, qui rei frumentariæ curam habeat; & commeatum omnem procuret ſummâ prouidentiâ diligentiaque. Nam ab eius officio ſanitas, robur, & vita militum omnium pendet. Is plerumque vir nobilis ſit & opulentus, qui ſubminiſtrare neceſſaria exercitui poſſit, cùm aliquando commeatus deeſt. Iniri cum vicinis & externis amicitiam debet, ac cum ijs potiſſimùm mercatoribus, quorum res in frumentis, vino, & alijs ad victum neceſſarijs rebus aguntur. Vtile etiam eſt ciuitatem aliquam habere commeatibus ſupplendis opportunam, & à qua facilis ſit ad caſtra tranſitus. Diligenter quoque videndum, ne à tergo vel hoſtis vel hoſtilis ciuitas relinquatur, quæ impedire commeatus poſſit. Magna verò Ducis gloria eſt, cùm hoſtem ſpoliare commeatibus poteſt. Tunc enim ſine ferro quodammodo Bellum finitur. Vbi paratus eſt commeatus, ita eo eſt vtendum, vt quod ad plures ſufficere menſes poteſt, vno non abſumatur. Diſtribuenda eſt Annona viritim, & ad ſingulos aliquando dies. Circa eam modeſtè etiam gerere ſe milites debent, vt qui eius curam libenter ſuſcipiant, facilè reperiantur.

Procuratio Commeatuum à Ducis prudentia pendet.

Eius modus.

Teſtimonia & Exempla.

PRocuratio commeatuum à Ducis prudentia dependet. Eius modus aliquis hic deſignatur. Xenophon lib. 1. Cyropediæ, *Eius Ducis Imperium breui periturum*, ait, *cuius culpâ exercitus caret rebus neceſſarijs & commeatu.* De exercitu Perſarum ſcribit idem Xenophon, quod in eo ante omnia commeatus parabatur, comparatis vndique ijs omnibus, quæ rei militaris apparatus exigebant & rei frumentariæ & pecuniariæ. Romani, teſte Tholoſano lib. 11. de Rep. commeatum ſæpè totius anni habebant repoſitum in vſum belli, nempè acetum, frumentum, laridum, paleas ad vſum equorum. Filij Iſraël, vt habetur lib. Iudicum cap. 20. ita aiunt: Decem viri eligantur è centum, ex omnibus tribubus Iſraël, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, vt poſſimus pugnare contra Gabaa & Beniamin. Roboam Rex Iudæ cum clauſiſſet Ciuitates mutis, poſuit in eis Principes, ciborumque horrea, hoc eſt, olei & vini; vt habetur lib. 2. Paralip. cap. 11. Iſraëlitæ etiam congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ contra Holofernem.

CAPVT V.

An pecunia ſit Belli neruus.

Pecunia eſt primus Belli neruus.

PRimus Belli neruus, & vitalis quodammodo ſpiritus, eſt pecunia. Quippè ſine re monetaria progredi Bellum non poteſt, cuius penuria maximus eſt in Rep. nodus, & ad res benè gerendas grande prorſus impedimentum. Illa cùm in caſtris non eſt, in ijs Seditio eſt, cuius vnica ferè cauſa eſt negata, aut non perſoluta ſtipendia. Ferro quidem bella geruntur, non auro; at ſine auro vix ferrum, vix milites habentur. Militare ſpe futuri nemo cupit. Alij duo ſunt nerui, Milites & Commeatus, quorum alterum ſine alterius præſidio ſtare non poteſt. Sunt verò duo conſeruandæ parandæque potentiæ inſtrumenta. Cæterùm expedit, vt in omni Rep. extraordinarium aliquod ſit Ærarium, ex quo nihil niſi ad Belli vſum, & extremis in periculis deſumatur. Sic fiet, vt inferri alijs facilè Bellum poſſit, & inferre hoſtes non audeant.

Duo alij Milites & Commeatus.

Authoritates & Teſtimonia.

CAroli V. Imperatoris apophtegma fuit. *Neruos belli eſſe pecuniam, commeatum, & milites; verum ſi ex ijs aliquo carendum eſſet, militem veteranum ſe electurum eſſe; cuius induſtria & fortitudine reliqua duo ſe comparaturum confideret.* Machiauellus negat *pecuniam eſſe belli neruum, ſed milites. Ferro bella geri non auro; aurum ferro eripi.* Henricum IV. Galliæ Regem ſine pecunia bellum geſſiſſe alij referunt, non verò ſine ſtrenuis militibus. Quicquid ſit Auguſtus Cæſar militare Ærarium inſtituit, teſte Suetonio in Auguſto cap. 49. Centeſimam rerum venalium poſt bella ciuilia inſtitutam deprecante populo edixit Tiberius, *militare ærarium eo ſubſidio niti.* Tacitus ita refert lib. 1. Annal. Magna anxietas magnumque periculum Romanorum bello ſecundo punico inopiam ſubleuauit. Antonius Perez, ait, *plura Regna hominum penuria, quàm argenti periſſe.* Iulius Cæſar dicere ſolebat, *potentiæ parandæ & conſeruandæ duo eſſe inſtrumenta, milites & pecuniam; eorum alterum alterius ſtare præſidio.*

TITVLVS VI.

De Belli Duce.

CAPVT I.

Quis ſit Belli Dux, & quæ eius Virtutes.

Definitio Belli Ducis.

BELLI Dux is eſt, qui acceptâ à ſummo Principe ſeu Rege poteſtate, toti exercitui præeſt. Idem dicitur ab imperando Imperator. Eius fidei atque virtuti omnium fortunæ committuntur, vrbium tutela, militum ſalus, Reipub. gloria creditur. Ideò etiam ſummis præditus eſſe virtutibus debet; ac multùm omninò refert, quis in Ducem eligatur, cùm eius vilitas perniciem, eius virtus ſalutem exercitui adferat. Eius virtutes ſunt hæ præcipuæ.

Eius virtutes.

I. Pru-

I. Prudentia, vt conſilio non minùs, quàm vi multa perficiat. Non eſt verò prudentia, niſi à præſtanti ingenio, cuius perſpicacitate & celeritate multa agitare Dux debet, ac multa omninò prauidere, circumſpicere, explorare. Adeò eius cogitatio inſtar volatus ſit oportet. Sæpenumero tumultus ingruunt inopinati, qui tumultuariam quoque vtilis conſilij rationem expedire cogunt; & inſperata ſæpius accidunt, quàm quæ ſperes. Quo fit vt è re nata & difficili promendum non rarò ſit ſubitum conſilium, quod non poteſt, niſi qui ingenio acerrimo eſt. *Prudentia.*

II. Pietas, vt nimirum illi exercituum Deus faueat. Neque verò facilè ſe & fortunas credere impio oportet, quippè ſemper ei exitium impendet. Pius ad vires & arma ſua Dei auxilium precibus imploratum adiungit. *Pietas.*

III. Eloquentia, Hæc prudentiæ iuncta eſſe debet. Hortatrix enim ad virtutem & gloriam oratio intrepidas expeditæ aciei mentes ad oppoſita pericula erigit, ſtabilitque. Et ſanè vox Imperatoris exercitus calamitates ſolari lenireque docta, multò vtilior eſt longo Medicorum vulneratiorum agmine. Mitti ſine Eloquentia Imperator nunquam deberet. Et multi linguâ priùs, quàm armis vicerunt. *Eloquentia.*

IV. Temperantia, Facit hæc virtus, vt multa Ducis cogitatio moliatur ac perficiat, ſilente etiam ac quieſcente animo. Intemperantiæ motus liberas mentes ſubigunt, & ad libidinem trahunt. Qui alijs verò imperare vult, parere ipſe voluptati, dedecori ac turpitudini non debet. Præeſſe exercitui non poteſt, qui ſubeſt amori. *Temperantia.*

V. Frugalitas. Nam rerum agendarum penu firmiſſimum eſt parſimonia. Et ita Imperator belligerare hodie debet, vt cras etiam belligerare poſſit. Nimirum benè omnia diſpenſando & partiendo. *Frugalitas.*

VI Labor & Diligentia. Vt non primus otium ſectetur, ſed ad labores alacriter ſuſcipiendos ſit exemplum. Promptiùs eunt, & quæuis tolerant ſocio Imperatore milites. Quare ſit plerumque in opere, in agmine, & nonnunquam gregario militi permixtus, ſaluo ſemper Ducis honore. Diligentia facit, vt quamcunque agendi & vincendi occaſionem prudenter arripiat. *Labor & Diligentia.*

VII Humanitas, Per hanc benignus eſt, affabilis, facilis; hocque modo milites in officio continet, & eorum ſibi beneuolentiam conciliat. Sed temperanda hæc humanitas eſt aliquâ ſeueritate. Interim ita ſit bonus, vt magnam habere militum curam deprehendatur, iuuando, conſulendo, ſanando. *Humanitas.*

Denique omnis propemodum in Imperatore virtus neceſſaria eſt, & magnus ille animus, qui ſupra aurum eſt, & vinci tantùm ferro poteſt.

Authoritates, Teſtimonia & Exempla.

QVANTVM in belli Duce poſitum ſit declarauit Dux Athenienſium Gobrias cùm dixit, *magis timendum eſſe ceruorum exercitum, cui Leo Dux præſit, quàm Leonum, qui Ducem habeat ceruum.* Vnde Iulius Cæſar in Hiſpaniam proficiſcens contra Petreum aiebat, *ſe non magni eum facere, quod rem cum exercitu ſine Duce haberet.*

Prima Ducis virtus eſt *Prudentia* quam in Alexandro, Iulio Cæſare, Hannibale, C. Mario Cn. Pompeio alijſque plurimis fuiſſe varij caſus docuerunt. Scribit Polybius lib. 1. *ab huiuſmodi Imperatore exercitus, licet exiguus, ductus fortior ſit, quàm maximus exercitus, quem Dux imperitus gubernat.* Xenophon lib. vltimo. *Si rei militaris non periti*, inquit, *ſed cuiuſuis vocationis homines ex fauore, non ex virtute & merito exercitui præficiantur, ſtudium militare periit.*

Secunda *Pietas.* Ea fuit in Theodoſio, de quo Claudianus:

O nimium

O nimium dilecto Deo, cui militat Æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Tales plures alij, quibus ſingulari beneuolentiâ fauit, & auxilium præſtitit Deus.

Tertia eſt *Eloquentia.* Oſonander *Efficax*, inquit, *eſt Imperatoris elocutio, exercitus ſtrages generoſe ſolari ac lenire docta, vtilior multo eſt longo vulnerariorum militum agmine.* Vnde idem monet, *ne vlla Reſp. aut exercitum ſine Imperatore, aut Imperatorem ſine Eloquentia mittat.* Sic apud Romanos dicendi facultate plurimum valuit I. Cæſar, apud Græcos Alexander Magnus, apud Thebanos Epaminondas, qui, teſte Plutarcho *lingua prius, quàm armis vicit.*

Quarta. *Frugalitas.* Cyrus apud Xenophontem, *parſimonia eſt firmiſſimum penu rerum agendarum.* Vnde Scanderbegus inclytus militiæ Dux dicere ſolebat, *Ita belligerandum eſſe, vt cras etiam belligerare poſſimus*; habendus ita apparatus, diſpenſandæ ita vires, partiendum ita patrimonium, vt quotidie emergentibus nouis creditoribus ſoluendo eſſe poſſimus.

Quinta. *Temperantia.* Onoſander, *intemperantis animi motus*, inquit, *ſemel admiſſi liberas mentes ſubigunt, & impotentes feruntur in libidines.* Fuit I. Cæſar dum fortunam ſibi fabricaret Temperantiæ addictiſſimus, adeò vt M. Cato dixerit, *vnum ex omnibus Cæſarem ad euertendam Remp. acceſſiſſe ſobrium.* Cicero pro lege Manilia, *non poteſt*, inquit, *exercitum is continere Imperator, qui ſeipſum non continet.*

Sexta, *Labor & diligentia.* Iulius Cæſar, teſte Suetonio, laboris vltra fidem patiens erat, & in agmine nonnumquam in equo, ſæpiùs pedibus anteibat capite deiecto, ſeu ſol, ſeu imber eſſet. Apud Lacedæmonios Ageſilaus exiſtimabat *Imperatorem decere potiùs, vt tolerantia, quam mollitie priuatis hominibus præſtaret.* Claudianus lib. 4. Hon.

—— Tum promptius ibunt,
Te ſocio, cùm conſpicuus gratuſq; geretur
Sub te teſte labor.

Quare vt monet Tacitus lib. 5. Hiſt. loquens de Tito Veſpaſiano *plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus incorrupto ſemper Ducis honore.*

Septima, *Humanitas.* Vt nimirum ſit benignus, affabilis, facilis, denique bonus Imperator. Hermocratis, teſte Xenophonte, tanta valuit apud milites Humanitas, vt quotidie mane & veſperi circa eius tabernaculum verſarentur, ſciſcitantes quid dicendum faciendumve eſſet. Pyrrhi Epirotarum Regis tanta affabilitas fuit, & ars conciliandi ſibi homines, vt eius imperium, quàm populi Romani Italicæ Gentes mallent. Hac arte multum Sulla, teſte Saluſtio, apud milites valuit. In Alexandro Magno ea bonitas fuit, vt militem frigore algentem ſua in ſede ad ignem collocauerit. Traianus Imp. vulneratos ita curabat, vt etiam veſtem ſuam in ligamenta & fomenta diſcinderet. Laudandi etiam ea in parte Hiſpani, qui in agris curandis, nullis ſumptibus aut periculis parcunt.

CAPVT II.

An Belli Dux illuſtris genere eſſe debeat, & cuius ætatis.

PAuperem virtute ſolâ glorioſum nemo ſanè improbabit, Nobilem tamen & Illuſtrem Belli Ducem eſſe præſtat. Ignobilis Ducis Imperio ſubijci vix eſt, qui velit. Illum hoſtis deſpicit, obtemperare ſocij non volunt, ſub eius ſignis miles eſſe dedignatur. Qui genere illuſtris eſt, dignitate ſe tuetur, Maiorum gloriam pro ſplendore habet. Ipſa etiam ad imperandum nata Nobilitas, & ad militiam videtur; dumque cæteris opulentiores ſunt Nobiles, ſuis ipſi opibus iuuare milites poſſunt, & belli malis quandoque mederi. Facilè & libenter omnes Nobilitatem ſequuntur, in qua plus animi generoſi, & fortitudinis eſt. Accedit, quod ſummi Principis in Bello vicarium non benè agere poſſit, qui nullo familiæ ſplendore ad Principem accedit. Eligi verò conſtanti & mediâ ætate Dux Belli debet, vt nec iunior ſit, nec ſenior. Qui iunior eſt, facilè ſuâ temeritate rem perdit, qui ſenior,

Præſtat eſſe genere illuſtrem.

ſenior, non rarò infirmitatis vitio delinquit. In multis tamen vegeta eſt, alacris, robuſta, & prudens ſenectus.

Teſtimonia & Exempla.

PRæſtat genere eſſe Illuſtrem. Agrippa apud Dionem lib. 52. *ſi parui pretij hominibus*, inquit, *Remp. committas mox Nobilium iram propter contemptam eorum fidem in te prouocabis, & maximis in rebus clades patieris.* Quid enim præclari homo ignauus aut ignobilis gerat? quis eum non deſpiciet hoſtis? quis ei ſocius obtemperet? quis militum non dedignetur ſub ſignis eius eſſe? Iure proinde reprehenſus fuit Vitellius Cæſar, quod magnam imperij partem non niſi conſilio & arbitrio viliſſimi cuiuſque hyſtrionum & aurigarum adminiſtraret, vt Suetonius teſtatur. Quod attinet ad ætatem, eam mediam requiri iudicamus.

CAPVT III.

An Belli Dux conſtitui cum abſoluta poteſtate debeat.

EXpedit omninò. Abſolutam enim cùm poteſtatem habet, rebus turbidis conſulere pro tempore poteſt, & pro re conſilium capere. Qui ex diſtantibus locis mittere ad Principem pro imperio debet, multas victoriæ perdit occaſiones. Sæpè poſt res ipſas ſerò conſilium & imperium adfertur. Cui congrediendi cum hoſte facultas non conceditur, ei, vt ab hoſte vincatur, anſa datur; vt hoſtem vincat, tollitur. Retineant ſummi Principes ſibi belli indicendi ius, & pacis faciendæ poteſtatem; cætera in armis gerenda arbitrio prudentiæque Ducis committant. *Præſtat habere abſolutam poteſtatem.*

Vno Teſtimonio & Exemplo confirmatur.

ITa expedire putamus. Cùm hac de re Marchio Sauoranus, cùm Principibus quibuſdam ſermonem haberet, ait, *Duci interdicta decernendi facultate, anſam, vt vincatur dari; ac vt hoſtem vincat ac ſuperet, omninò tolli.* Hinc eſt, quod Turcici Impp. Ducibus ſuis cum hoſte pugnandi, omniaque in bello gerendi arbitrium concedant, nihil ſibi præter belli indicendi & pacis faciendæ poteſtatem retineant.

CAPVT IV.

Vnde exiſtere bonus Belli Dux poßit.

PArari vtcumque in vmbra poteſt præceptis quibuſdam & hiſtoriarum lectione; at verò è campo & puluere, hoc eſt, ab experientia perfectus exiſtit. Hæc illi vſu ipſo militiæ præcepta animo imprimit, dum conſilijs & expeditionibus bellicis intereſt, & dum ipſos dubij Martis euentus videt. Ex hoc vſu ſi iam ante felix ingenium adſit, vt obſeruare & iudicare poſſit, naſcitur prudentia, quæ potiſſimum in eo conſiſtit, vt occaſionibus vti ſciat, vires ſuas cum hoſtium viribus componere, ad omnem euentum & caſum parata ſubſidia habere, conſilia ad res præſentes accommodare, res, quibus opus eſt, prouidere, temporibus inſidiari, hoſtium incommoda ad ſuam vtilitatem trahere, ſeueritatem cum humanitate temperare, alia denique ſcire & efficere, quæ bellum exigit. Sed adeſſe inſuper felicitas debet & fortuna quædam fauens, quam quidem *Ex Campo & ab experientia.* *Inde naſcitur prudentia.* *Sit etiam felix.*

dem optare ipſe poteſt, non parare, ſine qua tamen fruſtra Martem laceſſet, non tam victorijs, quàm cladibus obnoxius. Ad hæc ſi auctoritas ſeu bona de eius virtute exiſtimatio non deſit, exiſtet viuum quoddam & efficax exemplum, quo ad imitationem & fiduciam milites prouocabuntur.

Teſtimonia & Exempla.

AB experientia, vnde naſcitur prudentia. Ita qui apud Romanos ſummi bellorum Duces extiterunt, ſub alijs militauerunt, & vſu ipſo, ſcientiam militarem didicerunt. Marius ſub Metello militauit, ſub Mario Sulla, ſub Sulla Pompeius. Vnde de Pompeio Cicero in Oratione pro lege Manilia ait, *nullum eſſe belli genus, in quo non eum populi Romani fortuna exercuerit.* Parari tamen quis etjam poteſt velut in vmbra & libris. Sic Alexander Magnus Homerum ſibi militiæ Magiſtrum, aſſumpſit, & quaſi proprium aſſeruit. Alphonſus Aragoniæ Rex *ſe armorum tractationem ex libris hauſiſſe aſſerebat.* Scipio Africanus, Lucullus, Iulius Cæſar, & plures alij per hiſtorias in arte militari inſtructiſſimi fuerunt.

CAPVT V.

Vtrùm Belli Dux Conſiliarios habere in Bello debeat.

Dux Belli vti aliorum Conſilio debet.

CVm non minùs ſit Imperatoris conſilio, quàm gladio ſuperare, rariſſimum autem ac difficillimum ſit, eundem aliquem, prælio ſtrenuum & conſilio bonum eſſe, debet Belli Dux in exercitu ſuo Conſiliarijs quibuſdam & Aſſeſſoribus vti. Quippe inconſulta, rerum bellicarum tractatio non ſatis eſt tuta. Cogitare ipſe prudenter ſolus poteſt, proprias autem opiniones non rectè ſolus ſtatuere confirmareque. Solitaria illa & abſque adſtipulatore ſententia facilè errat, & molimine ſuo labitur, quæ verò Conſultorum cautionibus comprobatur, tutò ipſa conſtituitur. Quemadmodum autem non ita præfracto eſſe animo Dux Belli debet, vt ad aliorum conſilia non attendat, ita nec animo ſit incerto, vt ſoli ſibi omninò diffidat, aut conſilij inopem ſe putet. Audeat ſuo aliquando ac ſolo conſilio vti; & ſi abſolutam habet decernendi poteſtatem, cogitet nunnumquam ſolus ac decernat.

Teſtimonia & Exempla.

DVx belli omninò audire aliorum conſilia debet, ita vt quoſdam habeat in exercitu Aſſeſſores. Ideò Leo Imperator cap. 4. *Inprimis*, inquit, *præcipimus tibi ô Imperator, vt ante omnes res ſuſcipiendas, maximè autem bellicas, conſilium cum ijs Præfectis habeas, qui tibi ad hoc idonei videbuntur, quia inconſulta rerum tractatio, non ſatis eſt tuta.* Idem ſentit Onoſander cap. 3. *Cogitata quidem*, inquit, *diligenter putanda tractandaq́; ſunt ſolus autem proprias opiniones, non rectè ſtatuit, aut confirmat. Sententia quippè abſque adſtipulatore ſolitaria, molimine proprio facilè labitur ac decrrat, quæ verò conſultorum cautionibus comprobatur, tuto ipſa conſtituitur.* Placuit hoc adeò Carthaginenſibus, vt in crucem tolli eos Imperatores iuberent, qui ſine conſilio, etſi alioquin proſperè & feliciter rem bellicam adminiſtraſſent. Etenim exiſtimabant, nec falſo, non tam numeroſo exercitu, quàm conſilio rem bellicam adminiſtrari. Ideò rectè dicebat Iulius Cæſar. *Non minus eſſe Imperatoris conſilio ſuperare quàm gladio. Quamquam perrara eſt vtriuſque facultas in vno eodemq́; , quod difficillimum ſit*, vt ait Saluſtius, *vt quis prælio ſit ſtrenuus & bonus conſilio; quorum alterum ex prouidentia timorem, alterum ex audacia temeritatem ſolet adſerre plerumque.*

CAPVT

CAPVT VI.

Qui eſſe debeant Belli Ducis Conſiliarij.

Conſiliarij Ducis ſunt alij Duces.

ALij in exercitu Duces & Præfecti, non quidem omnes, ſed honoratiſſimi, qui rerum periti, vſu docti, prouidi & perſpicaces, ſoleıtes, fideles, incorrupti, ærumnarum & proſperitatum ſocij ſunt. Quod ſi vſus ita ferat, & occulta res omninò non ſit, adeſſe etiam alij poſſunt, & conſilij fieri participes. In occultis verò negotijs pauci adhibeantur temperantes, taciturni, quiq; in ſua, non aliorum, ſint poteſtate. Res ſecretæ multitudine non indigent. Porrò in ſententia dicēda adhibiti illi Cōſiliarij duo hæc ſpectabunt, poſſe fieri, & vtile eſſe: tempus deinde & locum idoneum iudicabunt. Sine duobus illis infirmum eſt conſilium; & Conſilijs finis eſt, vt vbi & quando ſit agendum, cognoſcatur. Conſilij auditis, quod optimum videbitur, eliget ac apud ſe conſtituet de re tota, vel certè cum pauciſſimis communicabit. Rem deinde ad exitum omni ſtudio perducere contendet, excubante tamen ſemper in omnes partes animo, ne quid Cōſilio contrarium accidat. Qua in re præſtare pulſo timore prudentem audaciam oportet, nec temerarios quoſuis caſus timere. Vſum hîc ſuum rei agendæ Magiſtrum habeat, nec ab vtilibus negotijs ſuſcipiendis abhorreat.

Forma Conſultationis.

Conſilio res confirmatur.

ESſe debent alij in eodem exercitu belli Duces, vt Tribuni & Centuriones. Ita paſſim receptum eſt, & qui belli ſummus eſt Dux cæteros conuocare Centeriones ſolet, & ex eorum conſilio iudicioque ſtatuere; præſertim cùm ſæpè multi ſint, qui longo tempore vſum armorum didicerunt. Nihil hic proinde addimus.

CAPVT VII.

An Belli Dux pugnare ipſe in acie debeat.

Pugnare Dux ipſe non debet.

PRæcipere eſt ſummi Ducis, non manum cum hoſte conſerere. Cùm enim ab eius ſalute ſalus exercitus dependeat, facilè obijci diſcriminibus non debet. Intereà verò dum pugnant alij, ordines ſingulos obequitabit, periclitantibus aderit, ſtrenuos laudabit, ignauos & pauidos increpabit, cunctantes excitabit, imminutis Ordinibus milites alios ſubſtituet, ſuppetias feret laborantibus, opportunitates omnes, momenta, & euentus obſeruabit. Quod ſi ita eueniat, vt exercitus totus periclitetur, ac res ſuas venire in periculum animaduertat, tùm nullum conſtantis Ducis aut fortiſſimi Militis officium omittere debet.

Niſi extremum ſit periculum.

Teſtimonia & Exempla.

IPſum nomen Imperatoris, ait Quintilianus, ſatis ſignificat non exigere manum ipſius. Imperare enim debet, & præcipere. Et, vt inquit Seneca, *Ille eſt vinculum, per quod Reſp. cohæret, ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia habent, nihil perſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperij ſubtrahatur.* Hoc Gallorum exercitus experimento didicit capto Franciſco eorum Rege ad Pauiam. Hoc ſenſerunt Hungari in acie contra Solymannum Turcarum Imperatorem, in qua occubuit Rex eorum Ludouicus. Adeò nihil verius illo Poëtæ:

—— Rege incolumi mens omnibus vna eſt,
Amiſſo, rupere fidem.

In antiquis Hiſtorijs non minora incommoda notata ſunt. Iuſtinus teſtatur Epaminonda cæſo Thebanorum vires ita fuiſſe hebetatas, vt non tam illum amiſiſſe, quàm cùm illo interijſſe omnes viderentur. De Scipione Liuius, quod cum ille è vulnere viſus eſſet ex equo delabi, hoſtes alacres gaudio cum clamore diſcurrerint per totam aciem, Imperatorem Romanum cecidiſſe nunciantes, quæ vox fecit, vt hoſtes pro victoribus, Romani pro victis haberentur, fugaque confeſtim ex acie fieri cepta eſt. Idem de Hannibale, qui dum muros incautius ſubit, & ictus in femore cadit, trepidatio ſtatim & fuga circa eum. Quem caſum in eo mirari licet quem vel hoc ſolo nomine inter ſummos Duces celebratum legimus, *quod ipſe conſulendo potiùs quàm audiendo Ducis munia ſubiret*, vt inquit Polybius. Quod ſi tamen perecliteтur exercitus, & res in periculum veniant, tum belli Dux nullum conſtantis Ducis aut fortiſſimi militis officium omittere debet. Ita Iulius Cæſar nutante in fugam exercitu rapto fugientis è manu ſcuto in primam volitans aciem manu prœlium reſtituit. Vide Florum lib. 3. de Bello Gallico. De eo pulchrè Poëta Lucanus lib. 7.

Ipſe manu ſubicit gladios, ac tela miniſtrat,
Promouet ipſe acies, impellit terga ſuorum,
Verbere conuerſa ceſſantes excitat haſta.

Non eſt proinde temeritatis arguendus Alexander Magnus, qui in eiuſmodi euentu, teſte Iuſtino, periculoſiſſima quæque aggrediebatur; & vbi confertiſſimos hoſtes accerrimè pugnare conſpexiſſet, eo ſe ſemper immergebat, periculaque ſua eſſe, non militum volebat. Nec imprudentiæ notatus Ferdinandus de Toledo Dux Albanus, cùm in Portugallia lectica delatus caſtris, etſi æger, præfuit. Officium Ducis, inquit Onoſander, eſt *Ordines ſingulos obequitare, adeſſe periclitantibus, gnauos ſtrenuoſq́; laudare, ignauos pauidoſq́; increpare, cunctantes excitare, immunitis ordinibus milites alios ſubſtituere, quoſdam etiam ſi opus ſit traducere, opportunitates, momenta, euentus obſeruare.*

CAPVT VIII.

An Belli Dux ſeuerus in milites eſſe debeat.

Sit ſeuerus. SIt talis, vt delictis ignoſcere vix credatur, adeoque ſeuerus. Optimè enim Ducis ſeueritate militum improbitas, nimia audacia, rapinæ, & quæuis ſcelera compeſcuntur. Nec vlli diligentiùs aut promptiùs milites obediunt, quàm illi, cuius ſeueritatem formidant. Si illi aliquando iraſcantur, aut malè de illo loquantur, colunt tamen, & rariùs peccant. Ne tamen nimia ſit ſeueritas. *Prudenter tamen & cum Comitate.* Neque enim multa ſupplicia dicenda ſunt bona diſciplina; facilè illa milites impellunt in abruptas ſeditiones, & Duci interitum accerſunt. Ne diſpliceat ſeueritas; illam amabilem reddat benignitas. Vbi occaſio eſt, beneficijs aliquibus milites afficiat, & cùm ſupplicia decernit, nullâ atrocitate verborum vtatur. Suos commilitones, ſuos fratres, ſuos amicos & fideliſſimos appellet. Optimus ſeueritatis modus eſt Comitas.

Authoritates & Teſtimonia.

PLacet vt belli Dux ſit Seuerus, prudenter tamen & cum comitate. *Imperij militaris, præcipuum decus & ſtabilimentum eſt, diſciplinæ tenaciſſimum vinculum*, vt inquit Valerius Max. lib. 2. cap. 7. *Ea diſciplina militaris antiquis Romanis antiquior, fuit charitate liberorum*, vt inquit Iuriſconſultus in l. Poſtliminium 19. §. filius ff. de Captiu. & Poſtlim. reuerſ. *Quod in eius ſinu & tutela ſerenus tranquilluſq́; beata pacis ſtatus conquieſcat*, vt ait Valerius dicto loco. Vel vt Alexander Seuerus loquitur apud Lampridium, *Remp. contineat, quæ ſi dilabatur & nomen & imperium Romanum amiſſum iri.* At ea tamen hodie non dicam languet apud nos, ſed obijt, nec mala, ſed nulla eſt, vt inquit Lipſius lib. 5. Polit. cap. 13. An. noſtro ſæculo expectandus ſit exercitus benè diſciplinatus diſputat Scipio Amiratus in diſcurſibus in Tacitum cap. 4. Quare belli Duces, vt monet Vegetius lib. 3. cap. 10. *omnes culpas militares legibus vindicare, nulliq́; errantium ignoſcere debent.* Ideò Andreas Geilius de pace publica lib. 1. cap. 4. *vtinam*, inquit, *hac noſtra tempeſtate ſuperiorum temporum militaris diſciplina & ſeueritas caſtrenſis,*

ſtrenſis. De qua Alexander ab Alexandro lib. 2. Genialium dierum cap. 13. adhuc ſerta tectaque conſeruaretur. Exclamare licet cum Virgilio hoc tempore lib. 2. Geotgicorum

Quippè vbi fas verſum atque nefas, tot bella per orbem
Tam multæ ſcelerum facies, non vllus aratro
Dignus honos; ſqualent abductu arma colonis.

Sed de diſciplina militari poſtea dicemus, quam hic benignitate & humanitate temperandam eſſe iudicamus. Nam, vt ait Tacitus lib. 1. Hiſtor. *Militum ille fauor vt, largitione & ambitione malè acquiritur, ita per bonas artes haud ſpernendus.* Nimia auſteritas in cauſa fuit, cur à militibus ſuis deſertus fuerit Lucius Lucullus Romanorum Dux, qui ſi comem ſe præſtaret, etiam dignitate paribus, ſuæ authoritatis ruinam arbitrabatur. Propter crudelitatem Beliſarius Iuſtiniani Imperatoris Dux militibus ſuis odioſus fuit. Certè nõ tam verbis aut verberibus, quàm authoritate Ducis famæque opinione in officio continentur milites.

CAPVT IX.

An Rex ſeu ſummus ipſe Princeps in exercitu eſſe debeat.

CVm ingruit difficile bellum, omninò arma induere Rex ſeu ſummus Princeps debet, & in caſtris apparere. Scio in eius incolumitate omnium ſalutem ſtare, & in eius prouidentia omnes Reip. partes contineri, ideoque non temerè periculis obijciendum. Neque id volo. Quippe eſſe in Bello poteſt, nec ſemper in periculo. Sanè cùm Princeps imbellis Bellum aduerſatur, illum & milites & Ciues contemnunt. Maieſtatem, quam viribus proprijs niti non vident, vix opinione dignâ apprehendunt. Quando verò cum militibus eſt, & in caſtris verſatur, omnium oculi & vota illum ſequuntur. Paucis otium in vrbibus placet, cùm in armis eſt Princeps. Sequuntur qui poſſunt: qui non poſſunt, nec debent, vota pro eius incolumitate patentibus templis ſuſcipiunt. Nec deliciæ placent, cùm in puluere eſt Princeps. Milites verò teſte & arbitro Principe omnia adire pericula ſunt parati; nec quicquam eſt iucundius, quàm in oculis Principis mereri. Suo ſanguini parcere, pro tam generoſo Principe, nemo vult. Tantam Principis præſentia alacritatem adfert; nec minorem hoſtibus terrorem. Qui Conſilium dare in Bello debent, præſente Principe nihil diſſimulant; laudatur, & in pretio eſt, qui fortiter conſilium ſuum & prudenter explicat. Summâ beneuolentiâ Principem milites omnes complectuntur, cùm ita eum inter ſe vident, vt non tam eum timeant, quàm pro eo. Si Duces, ſi turmarum Præfectos, ſi Teſſerarium militem nominibus ſuis compellat, iam omnium animos vincit, & eiuſmodi conſuetudine ſui amorem in omnium pectoribus imprimit. Ne deſideat igitur domi ſemper Princeps, ne Bellum ſemper vicarijs gerendum mandet, ipſe veniat aliquando & interſit.

Debet Princeps in exercitu eſſe.

Teſtimonia & Exempla.

IN *milite vnius ſors eſt, in Imperatore vniuerſorum periculum,* inquit Egeſippus lib. 5. cap. 30. *Exercitus* ſecundum Plutarchum in Apophtegmatibus & vita Pelopidæ, *ſimilis eſt corpori humano, vbi cum manibus conſeruntur pedites, cum pedibus equites, acies ipſa cum pectore & thorace, cum capite verò ipſe Dux.* Hinc Iſraëlitæ Dauidi Regi contra Abſolonem filium ad pugnam egredi volenti, *non exibis,* inquiũt, *ſiue eum fugerimus non magnopere ad eos de nobis pertinebit; ſiue media pars reciderit è nobis, non ſatis curabunt, quin tu ſolus pro decem millibus computaris: meliùs eſt igitur, vt ſis nobis in vrbe præſidio.* Ad quos Rex ait. *Quod vobis videtur rectũ faciam. Stetit ergo* Rex iuxta portam, egrediebatur populus per turmas ſuas, centeni & milleni Ducibus Ioab, Abiſai & Ethai vt habetur 2. Regum cap. 18. Deterrere debent tormenta bellica, quibus etiam ab ignauo ſtrenuus quiſque Dux & miles necari poteſt. Mauritius Dux Saxoniæ cùm ex conflictu cum Marchione Brãdeburgico iam victoria reportata tor-

mento manuario traiectus ad illa fuiſſet, biduo poſt vitam finiuit, teſte Sleidano lib. 25. Commentariorum anno 1553. His non obſtantibus expedire iudicamus, vt in exercitu ſit Princeps, *magnum incitamentum animorum eſt, cum Dux adeſt, obſeruatq; cuiuſque fortitudinem & ignauiam*, inquit Appianus lib. 2. de prœlio Pharſalico. Virg. lib. 9. *Vrget præſentia Turni*. Et Hippolitus à Collibus, *Princeps*, inquit, *in exercitu, velut Numen quoddam, ex quo milites ſpiritus capere videntur*. Plutarchus in comparatione Alcibiadis & Coriolani, ait. *Illud ambobus pariter tribuendum puto, quod eorum præſentia res ſemper florere augeriq; videbantur, abſentia verò aut debilitari, aut corruere*. Homerus ſemper præſentem inducit Agamemnonem & ſuos adhortantem. Alexander Magnus tantam feciſſe legitur militibus ſuis fiduciam, vt ſe præſente nullius hoſtis arma, nec inermes timuerint, cum hoſte nullo congreſſi, quem non vicerint, nullam vrbem obſederint, quam non expugnauerint, nullam gentem adierint, quam non ſuperauerint, vt teſtantur Iuſtinus lib. 12. & Curtius lib. 3. Edouardus IV. Rex Angliæ nouies ex prœlio victoriam reportauit, quod ei ideo contigiſſe putatur, quia exercitui ſemper præſens imperauit. Et refert Polydorus Virgilius lib. 27. Hiſt. Anglicanæ in vita Henrici octaui Anglos nullo alio Duce, niſi Rege, cuius auſpicijs bellum inceptum feliciter gerere. Tam victorioſi fuerunt Henricus V. & Carolus V. Imperatores, ſed quia ipſimet ſemper in exercitu præſentes erant. Sicut Luna, dicebat Carolus V. quia terris propior eſt, efficacius in hoc elementari orbe vim ſuam exercet; ita Regum præſentia & vicinitas plurimum in motibus bellicis, ac togata Reip. adminiſtratione momenti habet, vt refert Cythræus lib. 19. Saxon Antigonus trepidanti gubernatori in prœlio contra Ptolomæi Duces, & multitudinem nauium hoſtis accuſanti. *Me verò*, inquit, *præſentem cum quot comparas?* Albertus Auſtriæ Dux antequam eſſet Imp. in bello contra Bohemos, cùm interrogaretur, quem copijs præficere ſtatuiſſet, *Si alium*, inquit, *quàm me ductorem exercitus petitis, fruſtra me Auſtriæ Ducem appellatis*, vt refert Æneas Syluius lib. 3. cap. 37. Macedones aduerſus Illyrios & Thraces belligeraturi infantem Regem in cunis efferri curarunt, euius vnius aſpectu animati & exhilarati, acrius certamen repetiuerunt & cladem ante acceptam compenſauerunt, vt legere eſt apud Iuſtinum lib. 7. Idem de Francis refert Æmilius lib. 3. de geſtis Francorum cap. 82. qui cum Clothario alacriter pugnabant contra Childebertum, cùm Clotharium in cunis, & ab vberibus matris Fredegundis pendentem exercitum præcedere viderent. Pari modo cum Eumenes Imperator ægrotaret, exercitus pugnam detrectauit, ni lectica adueheretur in campum, vt eius auſpicijs ac ductu prœlium inirent, vt habet Plutarchus in eius vita.

Porrò ita hac in re ſentiendum eſt, vt Princeps ſi bellicoſus ſit & felix, interſit; ſin autem male ſit fortunatus, & vt dicitur, equo Setano vehatur, ſaltem à pugna abſit. Vulgare Adagium eſt, *Timidi nunquam ſtatuerunt Trophæum*.

TITVLVS VII.

De alijs Militaribus officijs.

CAPVT I.

Quæ prima ſint in exercitu toto officia.

POST primùm illud Belli Ducis officium, de quo iam dictum, alia plura ſunt, quæ in exercitu toto & auctoritate nituntur magnâ, & vtilitate ſunt neceſſaria.

Varia totius exercitus officia. Eſt inprimis, vt perſonas ſimul & officia deſignemus, ſummi Ducis Vicarius, cuius eſt ea omnia peragere, quæ ſummi ſunt Ducis, vel eius iuſſu, vel cùm abeſt. Nonnunquam verò Vicarij partes agit Equitum magiſter.

Præfe-

Præfectus rei Armamentariæ, qui machinarum bellicarum & armorum ſupremam curam habet.

Præfectus excubiarum, qui excubias ordinat, inferiorum ordinum Præfectos in officio continet, teſſeram militarem à magiſtro Equitum acceptam diſtribuit.

Supremus metator. Hic caſtra locat, locum explorat ne quid ſit extimeſcendum, & omnia magiſtri Equitum iuſſu expedit.

Supremus Commiſſarius, qui receptioni, luſtrationi, faciendæque militibus ſolutioni præeſt, & Belli ſubſidia procurat. Sunt præterea cum eo Conſiliarij bellici.

Supremus Quæſtor, Ærarij nimirum caſtrenſis Præfectus, qui pecuniam conquirit, aſſeruat, diſponit.

Præfectus ſupremus Annonæ; cuius officium eſt rei frumentariæ præeſſe, Commeatus adducere & diſtribuere.

Præfectus rerum capitalium ſeu Iuſtitiæ adminiſter, cuius eſt delinquentes milites coërcere, & inferioribus Iuſtitiæ Præfectis tradere. Proſpicit etiam militum ſecuritati, & ne quid in tranſitu milites diripiant, curat.

His addi ſolent, Ducis Secretarius, Amanuenſes, & Fecialis, qui quod publicè denuntiandum eſt, denuntiat.

CAPVT II.

Quæ in Equitatu & Peditatu ſint officia.

IN Equitatu ſummus eſt Magiſtratus Magiſter Equitum; deinde eius Vicarius, Præfecti & Decuriones Equeſtres, Equeſtris diuerſoriorum deſignator. Vexilliferi, Præfectus excubiarum. *Officia Equitatus & Peditatus.*

In Peditatu, Decuriones, Signiferi, Ordinum Structor, & eius Vicarij, qui in expeditione militem intra ordines continent, pulueremque intactum diſtribuunt. Iudex Peditum. Præfectus Vigilum. Metator pedeſtris. Executor rerum capitalium. Ordinum Ductor, Decuriones pedeſtres.

CAPVT III.

Quæ ſunt rei Armamentariæ Officia.

EST ſupremus inprimis rei Armamentariæ Præfectus. Deinde eius Vicarius, Quæſtor Armamentarius, Præfectus aggerum ſtruendorum, Quæſitor, Præpoſitus Aurigarum, Præfectus vehiculorum ſeu quadrigarum, Præfectus Foſſorum & Cuniculariorum, Pontium Magiſter, Præfectus machinæ fulminalis, Cuſtos pulueris nitrati.

Plura alia ſunt eiuſmodi officia, ea etiam ab his fortaſſe diuerſa pro Gentium variarum vſu & moribus. Hîc in genere officia neceſſaria deſignamus, ſuos mores populis ſingulis reliquimus.

Plures etiam aliæ reperiri in caſtris perſonæ ſolent, vt Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, Mercatores, Nautæ, Aurigæ, Inſtitores, & id genus alij plures. Id videndum, ne plures, quàm neceſſitas exigat, admittantur; ne turba plerumque inutilis caſtris & exercitui ſit impedimento. Ij maximè neceſſarij, qui victum procurant. *Officia rei Armamentariæ.*

Monitiuncula.

HOc titulo, qui tribus capitibus conſtat, varia exercitus alicuius, tum in peditatu, tum in equitatu & re armamentaria officia recenſentur; quæ omnia, quia alia olim fuerunt, alia verò hoc tempore; tum etiam diuerſa pro Gentium & populorum diuerſitate, nihil omninò hic eſt adijciendum.

TITVLVS VIII.

De Militibus.

CAPVT I.

Qui Milites, & quam varij.

Qui Milites. *Varia diuiſio.* MILITES ſunt homines à Principe, ſeu ſummo Magiſtratu ad bellum tractandum electi & ordinati. Hi non vnius generis, ſed varij ſunt. Inprimis alij Primarij ſunt, qui nimirum honoratiores in bello partes habent, vt Præfecti omnes. Alij Gregarij, qui nullo in officio ſunt, ac tantùm milites agunt. Deinde alij Tyrones, alij Veterani: illi noui ſunt milites, hi, quia diu militauerunt, emeriti. Tum Ordinarij, qui in omnem belli euentum ſunt conducti; & Subſidiarij, qui tantùm propter maiorem neceſſitatem ordinarijs ſunt ad tempus adiuncti. Et illi quidem ordinarij, vel in caſtris ſunt & expeditionibus bellicis, vel in regni limitibus ad repentinas incurſiones intenti, vel in vrbium & propugnaculorum præſidio ſunt quieti. Præter hos Prætoriani ſunt milites, quos circa ſe paratos Princeps habet. Denique alij Pedites ſunt, alij Equites.

Duæ Authoritates.

SOLA hic definitio militum & eorum varia diuiſio ponitur. Miles, inquit Vlpianus, in l. 1. ff. de teſtam. milit. appellatur vel à malitia, id eſt duritia, quam pro nobis ſuſtinent, aut à multitudine, aut à malo, quod arcere milites ſolent, aut à numero mille hominum, quaſi milleſimus quiſque. Laurentius Valla lib. 1. elegantiarum militem dicit, quaſi vnum ex mille lectum.

CAPVT II.

Quis modus conſcribendi Milites, & quæ in ijs attendenda.

Modus conſcribendi. MOdus conſcribendi Milites hodie hic in vſu eſt. Conquiſitores emittuntur, qui publico dato ſigno ad expeditionem & militiam aliquos alliciunt. Allecti ſua nomina profitentur, & ſtipendij partem accipiunt. Tum ad certum diem ac locum conuocantur, eorum mores & arma

arma explorantur, quiſque recepti ſunt, iuramentum præſtant. Et hæc luſtratio eſt.

Porrò in militibus legendis attendi quinque debent, Patria, Ætas, Corpus, Animus, vita. Et Patria inprimis, nam alij alijs ſunt bellicoſiores, & ad arma quaſi nati. Semper verò ex agris potiùs, quàm ex vrbibus ſunt legendi, quod ex agricolis ſtrenuiſſimi milites gignantur, & ferè ſub dio, inque laboribus enutriti, hyemem & æſtatem iuxtà pati, humi quieſcere, Inopiam & laborem eodem tempore tolerare ſciant, duritiæque & patientiæ aſſueuerint. Vrbani plerumque delicijs effœminati, laſciuiæ aſſueti, & laborum impatientes ſunt. Plaga Cœli ad robur corporum & animorum plurimùm valet; & quantò Cælum aſperiùs eſt, tantò corpora & ingenia duriora ſunt. Quod attinet ad Ætatem, attigiſſe decimum ſeptimum annum vel exceſſiſſe paululum debent: quâ ætate ad omnem virtutem & diſciplinam inſtrui poſſunt, quam continuum exercitium perficiet. Circa corpus, ſtatura & membrorum compoſitio conſideratur. Statura media placet: quanquam non tam eius, quàm virium habenda ratio eſt, quod vtilius ſit fortes milites habere, quàm proceros, & corpore grandi. A viribus enim probandi milites ſunt. Compoſitio membrorum ea bona eſt, quæ durum corpus & velox faciat, artuſque ſtrictos, & vultum minacem. Animus attendi maximè debet, hoc modo, an audaces ſint, & gloriæ cupidi, an Fati ſui ſecuri & non meticuloſi. Debet Miles quâdam confidentiâ mortem contemnere, & ad ferrum pugnamque promptiſſimè currere. Poſtremò, vitæ genus eſt conſiderandum, vt an ad duritiem vel mollitiem, ad otium an ad laborem ſint educati, cognoſcatur. Ideoque vt aliquis ſit delectus, mollium Artium cultores & ſedentarij non facilè ad caſtra ſunt admittendi, neque illi omninò, qui quæ ad Gynæcea ſpectant, tractauerunt. Nam qui voluptatibus aſſueti ſunt, à robore ac virtute degenerant.

Quæ in militibus attendenda. *Patria.* *Ætas.* *Corpus.* *Animus.* *Vita.*

Remoueri à Militia debent muti & ſurdi; illi examinari non poſſunt, hi imperium Ducis vel tubæ ſignum audire non valent. Nec infames & iudicio damnati, nec ſerui & abiecti ingenij olim admiſſi.

Teſtimonia & Exempla.

Apud Romanos cum tumultus vel ſubitum ingruebat bellum euocabantur milites per Ducem exercitus duobus vexillis roſeo & cæruleo ad Capitolium fixis, illo pedites, hoc equites. Et quidem his verbis Dux eos vocabat. *Qui vult ſaluam Remp. me ſequatur*, vt tradit Seruius lib. 7. & 8. Æneidos. Quod ſi res moram non pateretur, Conſules pro tribunali ſedentes vel ſellis in foro poſitis ſingulorum ciuium nomina citari iubebant, & ad militiam, niſi iuſtam excuſationis cauſam haberent, cogebantur, vt habet Liuius lib. 22. Quod ſi aliqui ad delectum non reſpondiſſent, vt proditores libertatis in ſeruitutem redigebantur, l. 4. §. grauius ff. de re milit. Quis hodiè ferè ſit modus hic deſcribimus. Non debent autem paſſim quicumque in militiam adſcribi. Ferdinandus Hiſpaniæ & Aragoniæ Rex dicere ſolitus fuit, vt eſt apud Gomeſium lib. 6. in 3. parte Hiſtoriæ Hiſpanicæ de geſtis Ximenij, *Delectus, qui ex ignotis & vagis hominibus habentur, perniciem potius, quàm vtilitatem in Remp. inducere.* Obſcuri illi, immodeſti, & impuri homines, peſſimiſque exemplis famoſi quocumque accedunt ex rapto viuunt, vicos & agros miſerè vaſtant, infimam plebem & ruſticos homines affligunt, milleque alia ſcelera patrant. Vnde ſapientiſſimus Rex ſæpenumero expeditiones aliquas, non alia de cauſa parandas aiebat, quàm vt furibus, ſicarijs, ganeonibus, & perditis hominibus iuuentus Hiſpanica expurgaretur, quæ malorum conſortio inutilis & vitioſa paulatim reddebatur. Hoc quoque conſilio olim vſus eſt in Athenienſium Rep. Pericles, qui ſingulis annis claſſem ornare ſolitus erat, vt ignaua, turbulenta & ſeditioſa plebe

plebe ciuitatem ſuam leuaret, ac velut ſentinam improborum è naui Reip. exhauriret.

Porrò in conſcribendis militibus attendi primò *patria debet*. Vegetius lib. 1. de re militari cap. 2. *Gens gentem in bello præcedit, plaga cæli non ad robur tantùm corporum, ſed & animorum plurimum valet. Locorum aſperitas hominum quoque ingenia indurat*, vt ait Curtius lib. 7. Sic Septemtrionales populi inconſultiores quidem, ſed tamen largo ſanguine redundantes ad bellum ſunt aptiſſimi, vt ait Vegetius lib. 1. cap. 2. *Ipſo terra ſuæ ſolo & cælo acrius animantur*, vt refert Tacitus lib. de Moribus Germanorum. *Quanto enim cœlum aſperius, tanto & corpora & ingenia duriora*, vt ait Iuſtinus lib. 2.

Attendi ſecundus *Ætas* debet. Saluſtius in Catilinam, iuuentus olim ſimul ac belli patiens erat, in caſtris per laborem vſu militiam diſcebat.

Seruius Tullius Romanorum Rex pueros exiſtimauit in bello, qui minores eſſent annis ſeptemdecim. Ab eo anno vſque ad 46. iuniores appellabat, ſupra illum annum ſeniores, vt refert Gellius lib. 10. cap. 28. Hinc Sen. de breuitate vitæ cap. 7. *A quinquageſimo anno lex militem non cogit; à Sexageſimo ſenatorem non citat*. Lipſius lib. 5. Polit. cap. 12. non tam veteranos intuendos in delectu arbitratur, quàm qui poſſint aliquando eſſe veterani. Et, vt ait Vegetius lib. 3. cap. 10. *Facilius eſt ad virtutem inſtituere nouos milites, quàm reuocare præteritos; nec annorum numerus artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis meditatio* lib. 2. cap. 23.

Attendi tertio debet *Corpus*. Caius Marius grande & prælongum corpus probabat, teſte Vegetio lib. 1. cap. 5. Item Pyrrhus, teſte Frontino lib. 4. cap. 1. Iulius Cæſar militem neque à fortuna, neque à moribus probabat, ſed à viribus, teſte Suetonio in eius vita cap. 65. Ventricoſus Gaſtrodes abeſto; Tydeus etſi parua ſtatura inter grandes eſto ait Kirchnerus de Rep. diſput. 11. Placet Lipſio media ſtatura, ſic tamen vt ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eligantur; nempe quibus dura ſunt corpora, ſtricti artus, minax vultus, maior animi vigor. *Tyro*, ſecundum Vegetium, debet *eſſe vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachijs, ventre modicus, exilior cruribus, ſuris & pedibus non ſuperflua carne diſtentis; ſed neruorum duritie collectis*. Mutus aut ſurdus miles eſſe non poteſt; talis enim nec iuramenta præſtare poteſt, nec Ducis imperium aut tubæ ſignum audire.

Proinde qui in eiuſmodi vitium in bello incidit, mitti ſolet l. 4. ff. de teſtament. militum. Qui etiam vtroque teſticulo caret miles idoneus eſſe non poteſt, vt habet Baldus in l. Milites omnes ff. ex quibus cauſis maior. Qui tamen vno teſticulo natus eſt, vel vnum amiſit, iure militare poteſt ſecundum Traiani reſcriptum l. 4. ff. de re milit.

Attendi quarto *Animus* debet. *Hoc eſt, in quo totius Reip. ſalus vertitur*, ait militaris ſcriptor Vegetius lib. 1. cap. 7. *vt Tyrones non tantum corporibus, ſed etiam animis præſtantiſſimi deligantur*. Vt ait Cic. lib. 2. de Oratore. *Animus acer & præſens, & acutus, idem atque verſutus, inuictos viros efficit. Habeant confidentiam militarem*, inquit Vegetius lib. 1. cap. 7. Et tales ſint, *quibus ſudor, puluis, & alia talia epulis iucundiora ſint*. Vtque ait Lucanus lib. 1.

——*Quibus ille timorum*
Maximus haud vrget lethi metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis.

Saluſtius in Iugurtha. *nihil metuant, niſi turpem famam*.

Attendi poſtremò debet *Vitæ genus*, quod ad mollitiem aut duritiem, ignauiam aut ferociam haud leuiter facit. Vegetius lib. 1. cap. 7. *Piſcatores, aucupes, dulciarios, linteones, omneſque qui aliquid tractaſſe videbuntur ad gynecæa pertinens, longe arbitror repellendos à caſtris*. Et Liuius lib. 8. *Opificum vulgus & ſellularij minimè militiæ idoneum genus*. Tacit. lib. 2. Hiſt. *Degenerat à robore ac virtute miles adſuetudine voluptatum*. Sen. in epiſtolis. Fortior, inquit, miles è confragoſo venit, ſegnior eſt vrbanus & verna. Et ex ſententia Vegetij lib. 1. cap. 3. aptior armis eſt ruſtica plebs, quæ ſubdio in labore nutritur, ſolis patiens, vmbræ negligens, balneorum neſcia, deliciarum ignara, ſimplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre conſuetudo de rure eſt. *Aſſueuit hyemem & æſtatem iuxta pati, humi quieſcere, eodem tempore & laborem, & inopiam tolerare*, vt ait Saluſtius in Iugurtha.

tha. Cato in libro de re ruſtica cap. 1. *Ex agricolis & viri fortiſſimi & milites ſtrenuiſſimi gignuntur.* Quibus de cauſis videtur Vegetio ſupplendum, ex agris præcipuè robur exercitus. Nam bellicoſus ille miles & neruoſus haberi debet, qui ſudo & vdo eſt cœlo aptus, qui ad omnes labores impiger inuenitur: qui famem pro condimento, naſturtium pro cibo, humum pro cubili, arbuſtum pro tabernaculo habet. Vult Vegetius vt eligantur fabri, laniſtæ, cetuorum & ferocium ferarum Venatores. Duæ præterea valdè notandæ ſunt militum conditiones, videlicet, *ne inopes ſint, neu vagi.* Etſi hodie viliſſimi quique conſcribantur, ex ſtabulis, ex culinis, ex popinis, calones, lixæ, vt non tam exercitus colligatur, quàm vilis hominum & ignauus numerus oneretur.

Lacedæmonij craſſos & obeſos non ad bellum admittebant, ſed in exilium mittebant, quod officio militari officere crederent curam illam obeſi corporis & propendentis aqualiculi. Apud eoſdem opprobrio erat corporis molem circumferre. Hoc ipſum cùm diſplicerret Henrico VI. Imperatori, Dedo filius Conradi Miſniæ Marchionis à pinguedine dictus craſſus, vt Imperatorem ſequi in Apuliam poſſet, partem adipis ſibi exſecari peritiſſimi Chirurgi induſtriâ paſſus eſt. Pyrrhus Rex Epirotarum Delectori ſuo dicebat, *Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.* Valentinianus & Theodoſius Imperatores edixerunt, ne educerentur ex caupona, ex miniſtris tabernarum famoſarum, ex coquorum & piſtorum numero. Serui olim niſi in extremâ neceſſitate militabant. Hinc ab Antonio, Octauio, Lepido Triumviris de ſeruo inter numeros deprehenſo ita ſupplicium ſumptum eſt, vt de rupe Capitolina deijceretur. I. Cæſar milites etiam vnguentaros benè pugnare dicebat, vt habet Suetonius in eius vita cap. 67. Ita quidem inquit Caſaubonus non ad conſeruandam, ſed ad euertendam Remp. ſunt apti, & ab ipſis veteribus Romanis improbati. Sed Cæſar id moliebatur, Idem milites auro & argento politos amabat, & habebat, quod alijs tamen diſplicebat. Illum imitatus Alphonſus Neapolitanus exercitum habebat, quo nihil erat ſplendidius. Quem irriſiſſe traditur Sfortia Mediolanenſium Dux: ſicut olim Hannibal copias Antiochi auro & argento ornatiſſimas irriſit. Videtur hoc etiam in militum delectu ſeruandum, vt pauci potiùs boni, quàm inutiles multi conſcribantur. Miltiades, teſte Iuſtino & Thucydide, cum decem millibus, trecenta Perſarum millia fudit. Gedeon, Scriptura ſacra teſte, cum trecentis infinitas hoſtium copias deleuit. Alexander Magnus cum triginta peditum, & ſex equitum millibus Regnum Perſarum vicit. Romani totum ferè orbem vnius vrbis viribus. Anthiſthenes dicebat, *melius eſt pugnare cum paucis bonis, aduerſus multos malos, quàm cum multis malis aduerſus paucos bonos.* Hinc illud Eraſmi. *In bello plus habet momenti, quales ducas milites, quàm multos.* Tacitus lib. 14. Annal. *In omni conflictu non tam prodeſt multitudo, quàm virtus.* Agis cùm pauci eſſent Spartani, interrogatus, quot eſſent? *tot,* inquit, *ſunt, quot improbis expellendis ſufficiunt.* Eodem modo Ariſto de iiſdem. *Tot, quot hoſtibus vincendis ſufficiunt.* Item. *Permulti erunt ſi cum illis pugnaueris.*

CAPVT III.

Vtri in Bello ſint præferendi Equites an Pedites.

Magnus eſt Equitum in Bello vſus. Ipſi hoſtilem aciem perfringunt, hoſtes aut circumueniunt, aut perſequuntur, auxilia & Commeatum hoſtium impediunt. Valent ad Pedites protegendos, ad excurſiones & prædas agendas, ad equitatum hoſtilem ſuſtinendum. Quin imò ſæpè, cùm occaſio eſt, fieri ipſi pedites poſſunt; & equitum robore pluſquam peditum viribus ſemper eſt effectum. At verò qui certare omni in loco Pedites poſſunt, vbiquè proſunt; & ad ea penetrant loca, ad montes, ſyluas, paludes, valles, quò aſpirare equites non poſſunt. Nec equitum magnus eſſe vſus videtur, ſi propugnanda aut oppugnanda ſint oppida:

Rationes pro Peditibus.

Rationes pro Equitibus.

oppida : Pedites verò hîc vſui maximè ſunt, qui etiam nullam fugæ ſpem in equorum celeritate pohunt, atque ideò maiori animo ſunt, etiam cùm victoria eſt amiſſa. Minori quoque ſumptu ſtipendioſque Pedites, quàm Equites aluntur ac retinentur. Quare cùm in vtriſque magna ſit vis, & ingens vtilitas, dicendum eſt prælij ratione ac plani loci reſpectu præferendos Equites eſſe, plus tamen roboris penes Pedites videri extra prælium & locis non planis.

Quid ſentiendum.

Teſtimonia & Authoritates.

PRo vtriſque rationes hic ſunt. Polybius lib. 3. *Melius eſt*, inquit, *ad belli vſus dimidiam partem peditum habere & præualere numero equitum, quàm omnia paria hoſtibus nactum in aciem deſcendere.* Tacitus lib. de moribus Germanorum, ait, *Equeſtrium virium proprium eſſe, citò parare, citò cedere victoriam.* Ariſtoteles lib. 4. Polit. cap. 13. aſſerit *apud Antiquos omne robur belli in equite fuiſſe.* Sicut Machiauellus lib. 2. diſcurſuum teſtatur. *Italos omne ſtudium circa equeſtrem militiam collocaſſe, & peditum nullam aut paruam rationem habuiſſe.* Henricus Rantzonius lib. 1. Commentariorum bellicorum cap. 11. affirmat noſtrà quoque ætate equitum robore plus ſemper effectum, cùm in acie hoſtili perfringenda, tum in ipſis hoſtibus aut opinione celeriùs circumueniendis, aut ab ijſdem commeatu & auxilijs auertendis. Equires etiam peditibus potiores eſſe bella Hungariæ declarant. Turcæ enim potiſſimùm ab equitibus Chriſtianis profligati ſunt, quoties reportata de ijs victoria eſt, vt memorabilibus hiſtorijs oſtendit Camerarius centuria 3.

Boterus lib. 10. & Machiauellus lib. 2. de Rep. Robur exercitus in peditibus conſiſtere putant. Romani plus ſemper virium ac ſpei in pedite habuiſſe videntur. Quippè legionibus ſuis orbem terrarum ſubegerunt, in quibus equites vix decima pars erant, vt ait Polybius lib. 1. Etiam in exercitu Alexandri Magni peditum circiter triginta duo millia, equitum verò quatuor millia fuiſſe perhibetur, quibus tamen vniuerſum orbem aggreſſus eſt, & debilitauit. Tacitus lib. de moribus Germanorum. *Cattis*, inquit, *omne in pedite robur.* Machiauellus loco ſupradicto author eſt, quod pedites in aciem rectè inſtructi ac diſtributi longè faciliùs equitum ordines perturbent ac frangant, quàm ipſi ab equitibus frangi & perturbari poſſint. Et Lipſius *impetum*, ait, *& procellam equeſtrem facilè excipit peditatus, ſi idoneus illi ordo & arma; quod fit per diſciplinam.* Sine ordine etenim inutilis pedeſtris armatura. Quod pedites longè minori ſumptu & ſtipendio alantur, quàm equites, cùm notum ſit, tum docet Vegetius lib. 2. de re milit. cap. 1. Xenophon lib. 3. de expeditione Cyri refert, quod Cyrus milites ſuos equis carentes animaturus dixerit, *Decem millia equitum non ſunt amplius, quàm decem millia hominum. Nam ab equi morſu vel calcitratione nemo facile in prælio perijt. Viri ſunt, per quos in pugnis omnia geruntur, atque nos quidem multo, quàm equites tutiores ſumus. Nam illi in equis hærentes non nos tantùm metuunt, ſed illud etiam ne ab equis excutiantur. Nos terræ firmiter innixi vehementius feriemus & certius. Vnâ tantùm re nobis præſtant equites, ſecuriùs, quàm nos fugam arripiunt.* Tacitus loco ſupradicto. *Tardius vincit fortaſſe pedes, ſed certius.*

Decidimus hanc quæſtionem hoc modo, prœlij ac plani loci ratione præferendos eſſe equites, plus tamen roboris penes pedites videri extra prœlium, ac locis non planis. Id ex hiſtorijs conſtat. Inprimis Hannibal cùm equitatum ſuum Romano præſtantiorem eſſe ſciret, Romanos in planitiem prouocauit, & victor euaſit. Id cum multa ſuorum clade didiciſſet. Fabius Maximus ſemper in iugis & locis aſperis hoſtem eſt præſtolatus. Xantippus Lacedæmonienſis in auxilium Carthaginenſium vocatus cum animaduerteret eos equitatu & Elephantis præſtare, in planum copias abduxit, & victoria contra Romanos haud difficulter eſt potitus. Vnde dicebat, *Carthaginenſes antea non tam Romanorum fortitudine, quàm ſua incuria victos eſſe, quod in locis acclinibus, cum Romano pedite decertaſſent.* Boterus lib. 9. de Politia Illuſtrum cap. 20. aſſeuerat cauſam victoriarum, quas Turcæ de Chriſtianis reportauerunt, in eo ſitam fuiſſe, quod ſemper cum equitatu ſuo in locis planis conflixerint. Vide fuſiorem hac de re locum illum.

CAPVT

CAPVT IV.

Vtri præferendi ſint Domeſtici, an Peregrini Milites.

Militares Copiæ ex ciuibus & ſubditis potiùs, quàm ex hominibus externis conſtare debent. Ciuibus enim maior & ſanctior, eſt fidei cura, ardentiorique pro patria affectu pugnant, in qua nati ſunt, & amicos ac opes habent. Pugnant, inquam, pro patriæ, parentum, coniugum, liberorum ſalute, proindeque conſtanter, ac vſque ad mortem pro aris focisque dimicant. Fidem magis, quàm fortitudinem colunt. Mercenarij illi ſeu externi milites pro mercede, non pro patriæ ſalute pugnant. Vnde cùm affulgere paruam victoriæ ſpem vident, aut reſiliunt, aut tranſfugiunt, & proditores fiunt. Fortitudinem illi, non fidem colunt. Si quid in ſtipendijs deſit, ſi tardiùs fortè ſoluantur, facilè ſeditionem excitant. Id audere domeſtici milites non poſſunt, qui ſemper ſub Principe domi viuunt. Et dum externi non rarò luxum & otium quærunt, diſciplinamque & laborem aſpernantur, cogi quandoque ciues poſſunt & ſubditi. Quid, quod qui alieno auxilio bella gerit, in manu ac poteſtate ſit illius, à quo adiuuatur? ſi ſtipendia à Principe, ad quem ſunt miſſi, non accipiant, eius imperium contemnent, prædæ, vltrà quàm par eſt, operam dabunt, omnia vaſtabunt, regi non volent. Interea patriam vniuerſam; eius opes ac facultates cognoſcent, non vt iam defendant, ſed oppugnent aliquando. *Præferendi Domeſtici.*

Neque tamen ita præferendi ſunt milites domeſtici, vt ſpernendi omninò ſint externi. Cùm neceſſitas exigit, etiam hi adſcribantur. Hæc tamen ſit cautio. Imprimis ne numero domeſticos ſuperent. Deinde ſint in auxilijs, non verò ipſum Belli & Exercitus corpus conſtituant, ſed membrum. Quod ſi fieri aliter non poſſit, neceſſitaſque plures exteros eligere cogat, tunc cauere belli Dux debet, ne eos ſimul iungat, ſed in loca diuerſa deducat. Ita moliri nihil contra patriam poterunt. *Aliquando tamen vtendum externis.*

Teſtimonia & Authoritates.

Præferendos eſſe domeſticos milites certis rationibus hic iudicamus, aliquando tamen externis vtendum auxilijs. Diuerſæ hac in re opiniones fuerunt duæ olim potentiſſimæ Reſp. Carthaginenſis & Romana; illa peregrino milite vtebatur, hæc Ciue, quo terrarum orbi iugum impoſuit. Galbæ Imperatoris ſymbolum fuit, *Miles legendus, non emendus.* Vegetius lib. 3. de re militari. *Vtilius*, inquit, *conſtat armis erudire ſuos, quàm alienos mercede conducere.* Lucanus Poëta:

> *Nulla fides pretaſq; viris qui caſtra ſequuntur*
> *Venaleſq; manus; ibi fas, vbi maxima merces.*

Xenophon lib. 2. de Pædia Cyri. *Qui pro nobis*, inquit, *pugnaturi ſunt, ità amici eſſe debent, vt in rebus ſecundis Imperatori non ſint inuiſi, neque in aduerſis eam prodituri.* Tales verò non ſunt conducti milites. Claudianus:

> *Perdurat non empta fides; nec pectora merces*
> *Alligat.*

In pugna contra Phocenſes, qui erant Ciues Coromenſes conſtanter ad finem vſque perſtiterunt, Mercenarij autem Bæotij poſt primum impetum fugam ceperunt. Vnde Machiauellus, *imperio*, inquit, *in armis mercenarijs conſtituto qui præeſt, nihil firmitatis, nihil ſecuritatis habet.* Cauſam addit, quod mercenarij non alia cauſa in caſtris, quàm ſtipendio, retineantur. Carthaginenſes primo contra Romanos confecto bello ferè à militibus mercenarijs oppreſſi fuerunt,

etſi

CAPVT V.

An tum priùs, cùm indictum eſt Bellum, conſcribendi ſint Milites.

DAnda opera eſt, vt ordinariorum militum ſemper aliquæ ſint in Regno copiæ. Quippe ſubitò bella conſurgunt, & celeri remedio eſt opus. Illi ad omnem incurſum erunt expediti, & cùm opus erit, interea dum maiores vires cogentur, patriam vniuerſam ſeruabunt. Porrò habendus ordinarijs militibus eſt honor; pro patria enim & omnium ſalute excubant: ali tamen in otio non debent, ſed exerceri ſemper, & bonâ diſciplinâ contineri.

Teſtimonia & Exempla.

ORdinariorum militum aliquæ ſemper eſſe copiæ, etiam pacis tempore, in regno debent. Bodinus lib. 5. de Rep. *Sane iura*, inquit, *iudicia*, *leges*, *religio, omniumque Rerump. opes & potentia ſub militaris diſciplinæ clypeo continentur*. Nam, vt inquit Augerius Busbequius in Conſil. de re militari, *non tam diadema aut ſceptrum prodeſt, quā ferrūm* proinde, monente Saluſtio, *Reſp. firmanda eſt & armis aduerſus hoſtes, & pacis artibus*. Demoſthenes populo ſe ſuaſiſſe ſcribit, quatuor perpetuò legiones alendas eſſe, & belli & pacis tempore, ne ex improuiſo opprimeretur. Romana Reſp. nullà re magis floruit, quam arte militari. Pacis tempore alebat armatas militias l. 5. §. 1. ff. de re milit. quæ armorum quotidiano exercitio ad bella ſe præparabant, l. 15. Cod. eod. vt bellorum neceſſitate ingruente, ab ea Remp. defendere poſſent, l. 31. Cod. de locat. & conduct. Ioſephus lib. 3. de bello Iudaico cap. 3. *Nimis admirandam*, inquit, *quis exiſtimauerit Romanorum prouidentiam ita ſeruos inſtituentium, vt non ſolùm vitæ miniſterio, ſed belli etiam neceſſitatibus vtiles ſint. Quod ſi quis eorum aliam quoque reſpexerit militiæ diſciplinam, profectò cognoſcet tantùm eos imperium non fortunæ munere, ſed propria virtute quæſiſſe. Armis enim vti non in bello incipiunt, neque ſolùm ſi neceſſe ſit, manus mouent, cum in pacis otio ceſſauerint; ſed armis veluti natura cohærentes nullas capiunt exercitationis inducias, nec tempora præſtolantur.* In Rep. Iudaica Dauid conſtituit, qui docerent Iudæos arcum, 2. Regum cap. 1. Ex tribu Beniamin erant ſeptingenti viri fortiſſimi ita ſiniſtra & dextra prœliantes, & ſic fundis lapides ad certum iacientes vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur, Iudicum cap. 20.

CAPVT VI.

Quibus rebus boni reddantur Milites, & in officio contineantur.

NEceſſarium inprimis eſt, vt mali militum mores frænentur. Modeſti ſint in verbis, factis, veſtibus. Continentes ſint in cibo & Venere. Proinde non conuiuia aut ſcorta quærant, ſed omnem gloriam in decoris armis & equis militaribus ponant. Nam horridi eſſe milites, non auro cælati, debent. Deinde exerceri quotidie debent. Quæ verò militum exercitia? Concurrere inter ſe in pugnæ modum, & campeſtri meditatione ea omnia, quæ euenire in prælijs ſoleant, prænoſcere: ordinibus non turbatis celeriter & æqualiter incedere; iaculari, ſcutum tractare, ictus deflectere. Amplius verò etiam laborare, ſolem pulueremque fere,

Frænentur mali mores militum.

Exerceantur.

re, arma & annonam ſuam portare, foſſam ducere, caſtrorum munitiones facere, quicquid demum vſui eſſe poteſt. Multùm etiam iuuat, ſi bene ordinatus ſit exercitus per legiones, cohortes, centurias, decurias, omnes ordine quodam obediant, & in acie & in itinere Ducis imperium ſentiant, & ordinem ſeruent. Quod ſi præmij ſpes, & pœnæ metus accedat, tùm boni exiſtent milites. Puniantur ſanè qui peccant, vt Imperatorem potiùs, quàm hoſtem timeant. Qui verò inſigne aliquod facinus edunt, honorem & præmium ferant.

Sit ordinatus exercitus.

Præmijs ornentur qui bene agunt.

Nihil hic addendum.

IMprimis ſi mali militum mores frænentur, deinde ſi exerceantur, tum ſi ordinatus ſit exercitus, & præmijs qui benè agunt ordinentur. Hæc de re plura in titulo de diſciplina militari.

CAPVT VII.

An expediat vt milites ſuas ſecum habeant in Bello vxores.

Vxores comitari maritos ad bellum non debent.

NOn expedit. Quippe militum animos iſta vxorum blandimenta, & arctiſſimi complexus planè eneruant, & in laſciuiam reſoluunt. Difficile eſt ab vxorum ſinu ad haſtam corripiendam ſurgere; turpe verò ad vxorem oſculandam galeam deponere. Cùm periculum aliquód eſt præſenſque pugna, omne earum in lachrymis perfugium eſt, & his animum maritis tollunt. Pugnaces quidem ſunt, ſed inter ſe, ſuiſque totum exercitum diſcordijs replent. Plerumque etiam inſatiabilis eſt earum cupiditas; inde decoctis ſtipendijs ad rapinas maritos excitant, & aduerſus colonos ſunt crudeles.

Sint aliqua tamen ad munditiam.

Quare quæ militum ſunt vxores, cùm ſuſcipienda expeditio eſt, & ad arma procedendum, relinqui in præſidijs, aut patria debent. Quia ad munditiem aliquæ neceſſariæ ſunt, prudens Imperator certum earum numerum ſingulis legionibus præſcribet.

Teſtimonia & Exempla.

VEteres Germani, Tacito teſte, Cimbri etiam & Tigurini non niſi in vxorum conſpectu pugnabant, earum vocibus excitabantur, & ſi quando vulnus accepiſſent, curabant ipſæ protinus, & ſuis manibus obligabant. Cùm ijdem illi Germani veteres diuinum aliquid in fœminis eſſe iudicarent, eas ad conſilium de bello aut Rep. ſuſcipiendum adhibebant. Plato lib 5. de Rep. vult bella eum mulieribus eſſe communia, ſicut omnia alia officia & exercitia virilia. Perſarum Matronæ, Iuſtino teſte, lib. 1. cum maritis fugientibus ſublatâ veſte vteros oſtenderent, eos à fuga reuocauerunt. Quærebant enim num redire in vteros vellent? Notæ ſunt res geſtæ Semiramidis Aſſyriorum Reginæ, Amazonum, Puellæ Aurelianenſis, & aliarum plurium, de quibus in omnibus paſſim Hiſtorijs. In nuperrima Montis Albani obſidione in Francia non minus animoſæ fœminæ armatæ, quàm viri excurrerunt. Cum natura ſua aſtutæ ſint & fraudulentæ ſuggerere poſſe putantur aſtuta conſilia & ſtratagemata. Eas verò cùm pugnaturi mariti intuentur, non parum ad pugnam animantur. Accedit quod iniquum videatur milites matrimonij fructu & vſu priuare, qui ſi vxores præſentes habeant à ſcortis & meretricibus abſtinebunt, laſſati à pugna in illarum ſinum redibunt, leuamento vxorio reficientur. Quam ob cauſam & Romani olim, & multæ aliæ gentes in caſtra mulieres duxerunt.

His non obſtantibus non expedire iudicamus, vt maritos ad bellum comitentur. Ariſt. lib 2. Polit. c. 4. *Non ad virilia, ſed ad propria & diſtincta officia puellas dirigendas cenſet, vt etiam per naturam diſtinctâ quâdam conditione prædita ſunt.* Sapiens de muliere ait Prou. 31. *Manum ſuam miſit ad*

colum

ſolum (non ad haſtam) *& digiti eius apprehenderunt fuſum, quæſiuit lanam ac telam* (non telum) *& operata eſt in conſilio manuum ſuarum.* Ouidius lib. 12. Metam.

——columque
I cape cum calathis, & ſtamina pollice torque
Bella relinque viris.

Virgilius lib. 7. Æn.

Cura tibi Diuum effigies, & templa tueri,
Bella viri pacemque gerant.

Debent familiam colere, & rationem habere pudicitiæ. At verò, vt ait Poëta *Lis eſt cum bello magna pudicitia.* Rationes aliæ hoc capite ſunt explicatæ.

CAPVT VIII.

An Meretrices, Calones, Lixæ in exercitu cum Militibus eſſe debeant.

DVx Belli ſeuerâ lege meretrices omnes proſcribet, & ab exercitu abeſſe iubebit. Sunt enim dehoneſtamenta, impedimenta, & onera caſtrorum. Milites eneruant, & ad ſcelera quæuis impellunt. Turpe profectò eſt prima exercitus alicuius equis, haſtis, & omni armorum genere eſſe terribilia poſteriora verò in meretrices deſinere. Seruari diſciplina non poteſt, vbi pudorem mulieres proſtituunt, & ſuâ Venere milites emungunt. Quod attinet ad Calones, non minus turpe eſt plus eſſe aliquando Calonum & Lixarum in exercitu, quàm militum. Itaque hi etiam remouendi ſunt. Poterunt tamen ſingula cùm equitum, tùm peditum contubernia Calonem vnum & Lixam habere. Item iumentum vnum aut alterum, quo contubernij ſarcinæ ferri commodè poſſint.

Meretrices expellendæ.

Item Calones.

Teſtimonia & Authoritates.

HI omnes ſunt expellendi. Non tantum enim eneruant vires militum, ſed etiam nihil aliud ſunt, quàm impedimenta & onera, vt ait Curtius lib. 5. Romanis certè pernitioſiſſimum videbatur ineſſe mulierem Comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine moretur, & Romanorum agmen ad ſimilitudinem barbari, inceſſus conuertat, teſte Tacito 3. Annal. Scipio ad Numantiam maximum inſtitorum & lixarum numerum cum duobus millibus ſcortorum reiecit è caſtris, teſte Valerio Max. lib. 2. cap. 7. & Floro lib 2. cap. 18. Idem fuiſſe vſu receptum, temporibus Frederici I. Imp. tradit Guntherus hiſce verſibus:

Non erit in noſtris nobiſcum fœmina caſtris
Qui reus extiterit, ſpolijs nudatus abibit
Turpiter, & naſo mulctabitur ille reſecto.

Ridiculum eſt, ait Facius, Axiomate Politico 91. *In exercitu, vt cum priora terribilia ſint, equi, haſta, arcus, ſcuta; poſteriora ſi deſinant in meretrices.* Turcæ etiam hoc tempore ex caſtris fœminas eijciunt, teſte Renato Luſingano lib. 1. cap. 5. Hinc Lipſius lib. 5. Polit. c. 13. *Hac mea hæc pulchra militia eſt, non iſta noſtra, vbi in agmine plus calonum, imò & Scortorum eſt, quàm militum.*

CAPVT IX.

Quanam Militum ſint priuilegia.

VAria ſunt, & hæc ferè. Inprimis Vectigalia aut Tributa nulla ſoluunt. Carceri ob æs alienum mancipari non poſſunt, nec quæſtioni ſubijci. Condemnati non vltrà, quàm facere poſſunt, tenentur. Filiusfamiliâs miles caſtrenſe peculium ſuum & proprium habet. Non datur contra milites tempus reſtitutionis in integrum. Ignorantia iuris milites excuſat, quod arma magis, quàm iura ſcire præſumantur. In omni

Varia militum priuilegia.

causa

cauſa, vel coram Iudicibus Caſtrenſibus citari milites debent. Scribere teſtamentum, etiam non obſeruato ſolemni ritu, poſſunt. Plura alia ſunt, ſed ijs omnibus frui miles vagus non poteſt. Addo militis abſentis bona creditoribus addici non poſſe. Capite damnatos propter delictum militare adhuc condere teſtamentum poſſe. Milites à tutela dicendoque teſtimonio excuſari.

Videndi Iuriſconſulti.

VAria hic enumeramus. Omnia autem legibus & Principum conſtitutionibus probari confirmarique poſſunt, quas hic referre non eſt opus. Videantur Iuriſconſulti.

TITVLVS IX.

De Itinere Militari.

CAPVT I.

Vtrùm ſatius ſit hoſtem aggredi, an exſpectare, cùm indictum eſt nobis Bellum.

Expectare ſatius videri.

EXSPECTARE quidni ſatius ſit? Intret Regionem alienam hoſtis, ſubtrahentur illi commeatus, eius conſilia, quod Regionis ſitum alij meliùs nouerint, irrita reddentur, maioribus ipſi viribus, dum faciliùs congregabuntur, prouinciales, reſiſtetur. Intret, inquam, & vrbes aliquas ſuæ ditionis faciat, relicto in ijs præſidio; debilitabitur eius exercitus, vt faciliùs expugnetur. Ipſe procul à domo, procul à patria omnia inimica infeſtaque experietur, nullæ illum vrbes accipient, nihil vſquam ſuum videbit, rapto in diem viuet. Si profligetur, reparare exercitum non poterit. At verò qui bellum ſuſtinet, inter aras & focos verſatur, in medijs ciuibus ſuis agit, commeatum habet, ferre laborantibus auxilium poteſt, & cum fluuios, pontes, vias, ſua habeat in poteſtate, hoſtem poteſt intercludere; omnia denique amica videt, & pro ſe armata; vnâ aut alterâ clade non deletur, qui mox nouum in patria exercitum conſcribit.

Conſultius eſt tamen, ſi reformidandus ſit hoſtis, non in pacato eum exſpectare, ſed aggredi, & eius in Regionem infeſto exercitu penetrare. Qui enim vltrò laceſſit, iſtâ virium fiduciâ formidabilem ſe fecit. Sua verò non defendere tantùm poſſe, verùm etiam aliena vindicare, multum ad exiſtimationem profectò facit. Et illa tot belli incommoda, direptio bonorum, agri deuaſtatio, domorum & templorum exuſtio, quæque alia innumera ſunt, in hoſtes transferuntur, cùm in eorum terris bella geruntur. Maior ſpes eſt & animus inferentis, quàm arcentis & propulſantis periculum. Nec quiſquam eſt, qui non alienos fines libentius populetur, quàm ſuos vri videat & exſcindi.

Quid ſentiendum.

Porrò ita quidem Politicis quibuſdam placet, vt cùm inſtructa rebus omnibus & munita Regio eſt, domi potiùs, quàm foris bellum geratur, hæc vbi deſunt, longè eſſe à patria belligerandum. Ego non exſpectandum, ſed inuadendum ſemper hoſtem eſſe ſuaſerim, ita tamen, vt priùs, vnde expediri commeatus poſſint, certum ſit: deinde totius Regionis, & omnium

nium in ea locorum cognitus ſit ſitus; nec cuiquam, quâ parte futura ſit inuaſio, innoteſcat. Ita fiet, vt in variorum locorum præſidia, hoſtium vires diuidantur. Et verò ſemel hoſtem graui in patria clade affeciſſe, eſt patriam vniuerſam viciſſe. Eodem motu Ciuitates omnes concutiuntur, & reſpirare non poſſunt, cùm in iugulo hoſtile ferrum eſt. Imò qui ſuo in Regno profligatur, hoſtes habet externos & ſuos. Hi enim fidem mutant, cùm Rex fortunam. Multi foris inuicti ſunt, qui domi fragiles; & vincere quædam facilius eſt, quàm aliqua retinere. Qui inuadit, ſui terrorem ad hos præmittit, & perculſos aggreditur; cumque alere magnis impenſis exercitum deberet, ex hoſtium agro alimenta capit.

Teſtimonia & Authoritates.

EXPECTANDVM hoſtem aliqui volunt. Nota ſunt prouerbia. *Nullibi periculoſior eſt vrſus, quàm in ſuo antro. Nullibi canis audacior eſt, quàm in ſuo fimo.* Liuius lib. 30. ait. *Quintum Fabium haud fruſtra canere ſolitum, grauiorem in ſua terra futurum hoſtem Hannibalem, quam in aliena fuiſſet.* Iuſtinus lib. 1. loquens de Tomyri Schytarum Regina, *Cùm prohibere eos tranſitu Araxis fluminis poſſet, tranſire permiſit, & ſibi feliciorem pugnam intra Regni ſui terminos rata; & hoſtibus obiectu fluminis fugam difficiliorem.* Appianus lib. 1. de bello Punico, *Non oportet aliena captare, priuſquam domi ſit ſecuritas.* Liuius lib. 18. *Natura prius eſt, tua cùm defenderis, aliena ire oppugnatum.* Aggredi tamen hoſtem oportere conſultius videtur. Liuius lib. 34. de Hannibale loquens *ſententia eius vna atque eadem ſemper erat, vt in Italia bellum gereretur.* Iuſtinus lib. 31. *Negabat Romanos niſi in Italia opprimi poſſe.* Ibidem. *Quippè Romanos vinci non niſi armis ſuis poſſe.* Ibidem. *Neque ſe vnquam victum, priuſquam terris eorum ceſſerit, reuerſo Carthaginem ſtatim cum loco belli fortunam mutatam.* Idem Iuſtinus lib. 22. *Quippè aliter domi, aliter foris bella tractari; domi ea auxilia eſſe, quæ patriæ vires ſubminiſtrant, foris etiam hoſtem ſuis viribus vinci.* Liuius lib. 28. *Multum intereſt alienos populere fines, an tuos vri exſcindique videas. Plus animi eſt inferenti periculum, quàm propulſanti.* Xenophon. in Cyrop. lib. 3. *Præterea abs te ipſi nunc alimur magna tua cum impenſa, ſi aduerſus hoſtes eduxerimus exercitum, ex illorum agro alimenta capiemus.* Idem eodem lib. *Longe etiam magis nos metuent, vbi audierint nos nequaquam ſuo terrore tanquam examinatos domi ſedere.* Frontinus lib. 1. Stratagematum. *Scipio*, inquit, *manente in Italia Hannibale tranſmiſſo in Africam exercitu neceſſitatem Carthaginenſibus impoſuit reuocandi Hannibalem, ſicque à domeſticis finibus hoſtile tranſtulit bellum.* Hannibal & Scipio ſibi probro duxiſſent, ille ſi cùm Romanis extra Italiam: hic verò ſi extra Africam cum Carthaginenſibus conflixiſſet. Imperatóres etiam Turcarum nunquam domi deſidentes Chriſtianorum copias expectauerunt, ſed vel eorum cogitationes, nedum opus bellicum, anteuerterunt. Philippus Landgrauius Haſſiæ, vt refert Kirchnerus de Rep. diſp. 21. crebro dicebat, conſultius eſſe extra fines, quàm intra pugnare.

CAPVT II.

Quid primò agendum, cùm Regio hoſtilis inuaditur.

ID omni induſtriâ conatuque agendum, vt vrbs, ſeu locus aliquis alius occupetur, & muniatur. Hîc pedem figet, qui inuadit; hinc ad alia perget. Refugij hîc locus erit; Commeatuum receptaculum & prædarum, ægrorum ſedes. Ingens hinc hoſtibus terror erit; nam ita compa- *Locus aliquis occupandus & muniendus.*

ratum eſt; vt captiuos tum ſe putent, cùm munitum apud ſe hoſtem ſuum vident. Vnâ clade non vincitur, qui locum eiuſmodi habet. Qui eiuſmodi habere locum ſtatim non poteſt, aliquem ipſe ſibi paret, & temporarias quaſdam excitet munitiones, potiſſimùm in fluminum ripis. Vbi hoſtem loco aliquo deiecerit, eas protinus demoliatur.

Monita & Exempla.

Locus aliquis ſtatim occupandus & muniendus eſt; id ſi fieri non poſſit temporaria excitanda munitio eſt, quæ vbi primum ciuitas aliqua vel arx occupata eſt, deſtrui debet. Ambroſius Spinola cum in partes Rhenanas ante annos octodecim expeditionem ſuſcepit, cùm omnia hoſtilia eſſe videret, Rhenum ponte iunxit, & temporarias munitiones excitauit, vt ad omnia paratus eſſet; poſtea vbi Bergham ad Rhenum occupauit, munitiones diruit, ſicque Lingam, Grollam, & vicina loca ſuam in poteſtatem redegit. Idem cùm tempore induciarum iterum in partes transrhenanas profectus eſſet, Weſaliam ſtatim ſibi ſubiecit, & munitionibus præſidioque firmauit, vt ea belli arx eſſet, & commodus ad bellum locus. Simili modo Carolus de Longueual Comes Bucquoius ſumma vi & induſtriâ contendit, cùm expeditionem in Bohemiam ſuſcepiſſet, vt Budewicium vrbem occuparet, quæ poſtea ipſi ſedes fuit, & oportuniſſimum refugium, vnde non minorem gloriam, quam tota occupata Bohemia, reportauit. Eadem arte vſus eſt Ioannes Auſtriacus, qui inuaſurus Belgium rebelle, Arcem Namurcenſem ſumma induſtria occupauit armorum ſuorum ſedem. Idem fecit Dux Albanus. Idem faciunt Turcæ, quoties terram aliquam hoſtilem inuadunt.

CAPVT III.

Quomodo duci exercitus per propriam vel alienam Regionem debeat.

Per propriam Regionem. IMperator per regionem propriam exercitum ducturus, id ſedulò curabit, ne ſubditis damnum milites inferant, néve prædentur, aut quicquam deuaſtent. Hîc extare nulla rapinarum veſtigia debent, vt intelligant ſubditi ſuum eſſe militem, non hoſtem, ac proinde iuuerit libenter. *Per hoſtilem.* Quod ſi per hoſtiles terras ducendæ ſint copiæ, loca omnia priùs ac diligenter per exploratores cognoſcenda ſunt, tum cautè prouideque tranſeundum; nec copiæ diuidendæ, nec prædis agendis immorandum. Imò circumſpicere in partem omnem, & omnia timere oportet, ne inſidiæ alicubi ſint ſtructæ. Inſtructâ etiam ſemper acie procedendum eſt, & id omninò curandum, vt quæ facienda ſunt ne ſuſpicetur quidem hoſtis, alia facturos ſemper putet. Multâ ſimulatione hîc eſt opus. Præire pars Equitum debet, & explorare omnia, facilè vbi opus erit, agmini iterum ſe iunget. Imperatoris. prudentia hîc omnia diriget, & quicquid in via eſt, montes, ſyluas, flumina, diligenter cognoſcet.

Per Regionem Sociorum. Si tranſeunda ſit ſociorum vel Confœderatorum Prouincia, continendi ſeuerâ diſciplinâ ſunt milites in officio, ne moleſti ſint, ne damnum inferant. Omni maleficio carere tranſitus hîc debet.

Vbique curandum, vt militum ac totius exercitus ſanitas conſeruetur. Ideò cùm caſtra metari oportet eligendus locus, in quo ea ſuppetant, quæ neceſſaria ſunt, & qui ſit ſalubris. Caſtrorum locus is commodiſſimus eſt, ad quem difficilis eſt acceſſus, & facilis diſceſſus. Ne tamen vicinus aliquis mons ſit, quem occupare hoſtes poſſint, nec ſylua denſior. Dum caſtro-

caſtrorum munitiones parantur, collocandi ſunt circumcirca Equites, ne quod exſtruitur, cerni poſſit. Excubiæ etiam ita diſponendæ, vt nec vis, nec dolus hoſtium nocere poſſit.

Authoritates & Exempla.

PEr propriam Regionem nullum damnum inferendo; per hoſtilem omnia diligenter per exploratores cognoſcendo, nec copias diuidendo; per ſociorum prouincias efficiendo, vt omni maleficio tranſitus careat. Frontinus lib. 1. cap. 4. monet vt ſi per alienam eamque hoſtilem terram iter ſuſcipiatur, fiat id cautè, prouide, diligenter exploratis omnibus, inſidiæ ſtudioſè euitentur, ne exercitus inter prædandum opprimatur. Vopiſcus etiam in vita Aurelij Imperatoris monet, vt ſi per regionem alterius cuiuſdam amici exercitus ducatur, ille in officio contineatur, ne vel moleſtus, vel damnoſus ſit ijs, per quorum fines ducitur, & ductio illa per amicorum agros non minus maleficio careat, quàm quæ per proprios fiat. Henricus Rantzouius lib. 2. Commentariorum de bello cap. 10. docet quomodo oporteat ducere exercitum per loca anguſta, perque flumina, quæque inſtrumenta, ad eam rem idonea ſint comparanda. Semper verò diligenter explorandus eſt locus, per quem fieri tranſitus debet, an ſit anguſtus, ſyluoſus, montoſus, aut quauis aliâ ratione impeditus. Vbique curanda ſanitas exercitus, quod fit locis, aquis, temperie, medicina, exercitio, vt videre eſt apud Vegetium lib. 3. cap. 2. Vegetius ſuadet in itinere militari præmittendos eſſe equites hoc conſilio, quia facilè ſe recipere & agmini iungere poſſunt. Sunt tamen etiam aliqui retro relinquendi. Ageſilaus per anguſtias tranſiturus cum videret ſocios tergiuerſari, ſequi eos iuſſit, & Lacones præire; vnde cum hoſtis poſtremùm agmen inuaderet, ſocij fortiter pugnare ſunt coacti, vt refert Polyænus lib. 2. Dubia verò ea fuit alea; nam hoſti iungere ſeſe potuiſſent. Hoc tempore ita ferè exercitus ducitur. Explorantur primo viæ, & præcurſores aliqui præmittuntur; tum procedit agmen, cui addun-tur campeſtria quædam tormenta. Subſequuntur deinde currus onuſti palis, ſarculis, ligonibus, & alijs foſſorum inſtrumentis, ac tum minora maioraque tormenta cum fabrorum inſtrumentis, plumbo, funibus, puluere, ad quorum omninò præſidium, ſunt equites bombardarij, & lancearij, quos currus globis onuſti claudunt. Demum quæcumque ad machinas pertinent, commeatus, & ægri ſi qui ſint. Dux in medio agmine. Vnde in omnes partes mandata mittit; aliquando tamen etiam inter primos eſt. Si diuerſæ viæ occurrant, eæ cuſtodiuntur, donec impedimenta tranſiuerint. Si ſylua occurrat, eam ſclopetarijs inſidere ſolent, vt tutum ſit iter.

CAPVT IV.

Quomodo tranſire flumina exercitus debeat.

VArij in vſu aliquando modi. Nimirum Pontibus, Nauibus, Natatu, deductis in riuos fluuijs. Priores illi in vſu adhuc hodie ſunt. Solertis Ducis ingenium excogitare multa poteſt, & grauem illam tranſmittendorum fluminum moleſtiam tollere. Certè tota ars in eius prudentia eſt, vt hoſtem, ſi vicinus ſit, decipiat, & aliquando aliò tranſeat, aliò tranſiturum ſe ſimulet. Quippè ſtratagemata multùm hic proſunt. Cùm hoſtis vicinus non eſt, parari ad hoc opus multa poſſunt, & protinus diſſolui. Si glacie conſtrictus ſit amnis, quantum fieri poteſt, hoſtium periculo probetur. *Varijs modis, ſed ſolertiâ Ducis potiſſimum.*

Exemplis confirmatur, & varijs modis.

VArij hic ſunt modi, ſed ſolertia Ducis præcipua eſt, & ferè opus eſt ſtratagemate aliquo. Vide Vegetium lib. 3. de re milit. cap. 7. Tota ferè ars in eo conſiſtit, vt alio tranſituros ſe ſimulent, & alio tranſeant. Anno 1594. Sinan Baſſa cùm pluribus locis tranſiturum ſe Danubium ſimulaſſet, vno in loco tranſijt à caſtris Chriſtianorum remoto, & illis impedimentorum partem eripuit. Eodem anno Tartari Danubium tranſierunt vnâ manu caudam equi tenentes, & alterâ gladium, ſed cæſi ipſi poſtquam tranſierunt, fuerunt. Periculoſus autem eſt iſte modus. Quod ſi fluuius glacie ſit concretus, paleas ſpargunt & aquam, vt concreſcant, affundunt, ne in lubrico iumenta aut milites cadant; atque hoc modo Iulius Secundus Eridanum aliquando tranſijt. Tartari cùm metuentes tranſire Iſtrum congelatum redirent, viderunt Hungaros ex altera parte cum armentis tranſeuntes, moxque quaſi cognita via reuerſi tranſiuerunt, & Hungariam vaſtauerunt, vt tradit Fulgoſius lib. 7. Solent aliquando compingi naues, vt pons fiat. Multi ſtratagematibus ſunt vſi. Pompeius perduxit & reduxit exercitum ſæpiùs in caſtra, quo facto cùm hoſtis ſe ludificari putaret, negligens factus eſt, & Pompeius ſubito impetu tranſijt. Lacones per diſpoſitam Carthaginenſium claſſem Syracuſas nauigarunt: decem naues Punicas habebant captiuas, eas veluti victrices primas egerunt, à latere iunctis ac puppi religatis alijs; quâ ſpecie deceptis Pœnis, tranſierunt. Plura alia ſtratagemata paſſim in Hiſtorijs leguntur.

TITVLVS X.

De Pugna ſeu Prœlio.

CAPVT I.

Quæ conſideranda ſint Imperatori ante pugnam.

IMPERATORI, ſeu Belli Duci, priuſquam cum hoſte manum conſerat, multa profectò ſunt conſideranda.

Reconcilietur Exercitus Deo. I. Imprimis, vt totus exercitus diuino Numini reconcilietur, curabit. Si tempus ferat; ſinguli milites piaculari confeſſione expientur. Si occaſio tantæ moræ non ſit, omnes ſimul Sacerdos à delictis abſoluat. Præmittantur etiam preces aliquæ & diuinæ Maieſtatis auxilium imploretur, eique futura pugna commendetur.

Cibus ſumendus ante pugnam. II. Non educantur ad pugnam milites, niſi pranſi & vegeti. Vbi enim fames eſt, ibi addi labor non debet. Et qui feſſus eſt, facilè opprimitur. Quare præcipiendum eſt ante pugnam militibus, vt cibum ſumant, ſeſeque corroborent. Quod ſi tamen adoriendi hoſtem ex improuiſo occaſio detur, occaſione vtendum eſt. Tutum conſilium celeritas faciet, quod mora temerarium redderet.

Continendi omnes ſimul, animandi non fatigandi. III. Quia prœlium nunquam ſuſcipiendum eſt niſi cùm maior emolumenti ſpes, quàm damni metus oſtenditur, ideò hæc curanda ſunt ante pugnam Imperatori. Inprimis cohortes omnes ſuas ſimul habeat, illas priorum commemoratione victoriarum animet, nullæ excurſionibus fatigentur, hoſtium ſtatum, multitudinem, & vires cognoſcat.

IV. Quo-

I V. Quoniam etiam magnam victoriæ partem locus poſſidet, magna huius habenda ratio eſt. Omnia quæ circa locum attendi poſſunt, trahere in ſuum commodum, & hoſtium exitium Imperator debet, Solem ipſum, puluerem, ventum. Sol ante faciem viſum eripit, ventus contrarius multa deprimit, puluis à fronte congeſtus oculos implet. Si pauci aduerſus multos pugnaturi ſint, placent anguſtiæ. Si Pedites aduerſus Equites, loca aſpera & inæqualia eligant: contrà ſi Equites aduerſus Pedites, plana, patentia, non ſyluis, non paludibus impedita. Ampliùs prodeſt aliquando locus, quàm virtus. Iniquo proinde loco nunquam ad hoſtes ſubeundum.

Habenda ratio loci.

V. Diuidere exercitum, & partem tantùm hoſti objicere nunquam oportet. Nocuit id ſæpè plurimùm. Qui per interualla aduentant, conſtantiam turbatis non addunt, & aliquando fugientium pauore auferuntur.

Non diuidendus exercitus.

VI. Non parua temporis habenda ratio eſt. Et inprimis vitanda nocturna prœlia, incerti enim ſunt ictus, hoſtes ignorantur, ignaui velamen habent, ſtrenui nullum virtutis ſuæ teſtem; ſeruari ordo non poteſt, & omnia plerumque confuſa ſunt. Fauere tamen aliquando nox poteſt, cùm ex improuiſo inuadendi hoſtes, aut ſubducendæ ſunt copiæ. Pluuias, ventos, nebulas prudens Imperator ad ſuam trahet vtilitatem.

Habenda ratio temporis.

V I I. De tota futuri prælij ratione deliberare Dux cum Præfectis alijs, antequam pugnæ alea ſubeatur, debet. Deinde hoſtium vires velitationibus, ſeu leuibus prælijs primò tentare. Hæc enim animos paulatim augunt.

Deliberandum ante prælium.

V I I I. Excitandi quoque ante pugnam aliquâ allocutione militum animi. Eâ enim etiam aliquando deſperantibus creſcit animus. Oſtendenda pugnandi neceſſitas, victoriæ ſpes; ignauia vel error hoſtium.

Admonendi Milites.

Teſtimonia & Exempla.

VARIA hoc capite conſideranda proponuntur. Onoſander monet debere Imperatorem educere exercitum reconciliatum Numini diuino. Modum hic deſcribimus. Ita Theodoſius Imp. pugnaturus aduerſus Eugenium Tyrannum per Legatos efflagitauit preces à Ioanne Anachoreta, vt teſtis eſt Baron. Similiter Dux Mercurius nunquam cum Turca manum conſeruit, quin prius Diuino Numini ſuas copias reconciliaret. D. Chryſoſtomus de Machabæis, *Ad bellum*, inquit, *euntes non tragœdias excitabant, non pæanas canebant, ſed Dei ſupremi auxilium inuocabant, vt adeſſet, opem ferret, manum præberet, propter quem bellum gerebant, pro cuius gloria decertarent.* Scipio Amiratus monet Milites in prælium pranſos & vegetos, non ieiunos & fatigatos ducendos eſſe. Hinc Scipio cum Aſdrubale conflicturus *Teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri equique pranſi eſſent.* Quo conſilio adiutus eſt, & Aſdrubal ſiti fameque ſuorum deuictus eſt. Nec mirum, cum Hippocrates doceat, *Vbi eſuries eſt, ibi non eſſe addendum laborem.* Æmylius quoque Romanus cùm intelligeret Thuſcos prœlium cogitare, extemplo teſſeram dari iuſſit, vt prandeat miles, firmatiſque viribus arma capiat. Eodem modo Vlyſſes cùm audiuiſſet ab Achille Græcos ad arma ſine mora conuocatos eſſe, diſertè monuit non eſſe ieiunos illos ad pugnam mittendos, ſed iubendum, vt cibum & vinum guſtent, vnde robur & fortitudo. Idem eſt de fatigatione dicendum. Hinc apud Cornelium Tacitum Celſus & Paulinus abnuunt militem itinere feſſum & ſarcinis grauem hoſti objicere. Qua de re pulchra eſt oratio Æmylij coram militibus apud Liuium lib. 7. Et P. Æmylius, vt eſt apud Appianum, duo potiſſimùm militibus præcipiebat, vt corpus quam validiſſimum ac perniciſſimum haberent, cibumque paratum ad ſubita imperia. Iulius Cæſar cùm Ptolomæi Regis copias Alexandriæ fudiſſet, & confertam armorum multitudinem collocatam in vallo vidiſſet, laſſos itinere, ac præliando milites ad oppugnanda caſtra ſuccedere noluit. Vtendum tamen etiam ſubitâ occaſione. Hinc cùm Claudio Neroni contra Aſdrubalem properanti quidam dicerent, feſſum via & vigilijs militem

litem

litem reficiendum eſſe orauit ne conſilium ſuum, quod tutum celeritas feciſſet, temerarium morando facerent. Perrexit & Aſdrubalem debellauit. Videri poteſt Leo Imperator lib. de re milit. cap. 13. vbi præcipit quæ facienda ſunt eo die, qui pugnam præcedit. Boni Ducis eſt non quandocunque & quomodocunque pugnare, ſed tempus occaſionem, neceſſitatem, & commodum ipſum ſpectare. Nam, vt dicebat Auguſtus Cæſar, *Prælium aut bellum nunquam ſuſcipiendum eſt, niſi cum maior emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur.* Et Paulus Æmelius dicebat, *Perraro bonum Imperatorem ſignis collatis decertare, niſi ſumma neceſſitas aut ſumma occaſio data eſſet.* Vegetius, *Elabora*, inquit, *vt conſerturus manum primum auxilium captes ex loco, qui tanto vtilior iudicatur, quanto ſuperior fuerit iudicatus.* Pompeius in Capadocia, locum caſtris editum elegit, vnde adiuuante procliuio militum impetum facile ipſo decurſu Mithridatem ſuperauit. Cæſar contra filium Mithridatis aciem in colle inſtruxit, quæ res ei expeditam victoriam fecit. Idem fecit Lucullus in Armenia contra Tigrauem & vicit. Cleomenes Lacedæmonius aduerſus Hippiam Athenienſem; qui equitatu præualebat, planum pugnæ locum ſtratis arboribus impediuit, & inuium equiti fecit. Xantippus Lacedæmonius cùm aduerſus Romanos vocatus eſſet, animaduertit Afros, qui equitatu & elephantis valebant colles ſectari, Romanos verò, quorum in peditibus robur erat, campeſtria tenere, tum Afros in plana deduxit, turbatiſque per Elephantos Romanorum ordinibus, ſolâ penè loci commutatione fecit ſuam belli fortunam, quæ in illum vſque diem Romanis fauerat. Fabius Max. contra Hannibalem, ſummam ſemper habuit loci rationem. Proſper Columna & Franciſcus Maria, primus Dominus Vibinatium nunquam prælиandi copiam ſuis facere voluerunt, niſi locus, tempus, occaſio maximè ſuaderent. Quod ipſum quoque Antigono Regi proprium fuiſſe ſcribit Plutarchus. Cum pauci aduerſus multos pugnare debent, tum anguſtiæ loci placent. Sic trecenti Lacedæmoniorum innumeram Perſarum multitudinem in anguſtijs Thermopylarum ferè totam deleuerunt. Sic M. Curius cùm in aperto loco Pyrrhi exercitui reſiſtere non poſſet, dedit operam vt in anguſtijs confligeret. Sic Themiſtocles pugnaturus contra multitudinem nauium Xerxis, eum in anguſtias Salaminias pertraxit & deuicit. Vegetius agens de loco pugnæ, *Tria*, inquit, *proſpicere ante oportet, ſolem, puluerem, ventum.* Hâc arte vſus eſt Hannibal aduerſus Romanos in pugna Cannenſi; Item Marius aduerſus Cimbros. Epaminondas. Dux Thebanorum aduerſus Lacedæmonios aciem directurus miſit turmam aliquam equitum, qui ante aciem decurrerent, vnde excitato multo puluere eoque hoſtium oculis obiecto, cum illi putarent certamen equeſtre futurum circumdixit pedites ab ea parte, ex qua decurſus in aduerſam hoſtium aciem ferebat, inopinantiumque terga adortus cecidit.

CAPVT II.

Quibus rebus animari Milites ad pugnam poßint

Præſentiâ Ducis. MAgno & inuicto animo proruere ad pugnam milites multum ſanè prodeſt. Illum in militibus animum non res vna, ſed multæ faciunt. *Exemplo.* Facit inprimis Dux ipſe in prælio præſens, qui teſtis ſpectatorque virtutis & ignauiæ cuiuſque eſt. Quod ſi verò pugnet etiam, ac non tantùm ſpectet, aut adhortetur, multò tum ampliùs ſingulorum animos *Eloquentiâ.* accendit. Omnium militum manus Ducis manus quodammodo impellit, cùm arma vibrat, & hoſtem ferit. Ad exemplum iungenda eſt diſertæ *Æmulatione.* vocis adhortatio, quæ ex timido fortem exercitum non rarò facit. Sed & *Cauſâ bona.* æmulatio generoſa laudis magnus eſt ad pugnam ſtimulus, potiſſimùm cùm per nationes diſpoſitus eſt exercitus, & ſingulæ honorem alijs præripere conantur. Cauſa belli iuſta non parum animos ad certamen acuit, *Neceßitate.* quod promittere victoriam videatur. Neceſſitas autem & extremum periculum

riculum vehemens omnino res eſt, & deſperatis ſpem, & meticuloſis au-
daciam addit. Nam magnus eſt ad reſiſtendum animus, vbi parua ſpes eſt *Præmio.*
ad effugium. Non minus tamen ad omne facinus præclarum animos mili-
tum honor & præmium erigit. Quippe nihil non homines aggrediuntur
cùm magnis conatibus magna præmia proponuntur. Addicta militibus *Spe prædæ.*
præda mirum quantam addat alacritatem. Tum enim bellum putant
ſuum, ac ſe pro ſe pugnare. Magnum eſt incitamentum præda, Ipſe aliquan-
do pudor audaciam extorquet, dum victos fuiſſe pudet, & ſi iterùm vin- *Pudore.*
cerentur, amplius puderet. Horum igitur modo aliquo, cùm opus erit,
prudens Imperator milites ſuos ad pugnam incitabit.

Teſtimonia & Authoritates, & Exempla.

PRimo *præſentiâ Ducis.* Liuius lib. 26. *Hortatur Imperatorem quæ in rem ſunt; quodque plurimum ad accendendos militum animos intererat, teſtu ſpectatorque virtutis atque ignauia cuiuſque adſit.* Germanicus, teſte Tacito lib. 2. Annal. ſemper in pugna caſſidem ſuam aperiebat, vt à militibus agnoſceretur. Reges Perſarum nudo capite in acie verſabantur. *Iulius Cæſar ſingulis legionibus Legatos & quæſtorem præfecit, vti eos teſtes ſuæ quiſque virtutis haberet,* vt habet lib. 1. de bello Gallico. Cyrus, Xenophonte teſte volebat vnumquemque ſcire ſe à Rege noſci, vt eo maiori animo pugnarent, & quæuis mandata ſua exequerentur, potiſſimùm cum ſuo quemque nomine compellaret.

Secundò *exemplo.* Liuius lib. 2. *Et nos vt decet, Proceres, vt Fabio nomine dignum eſt, pugnando potiùs, quam adhortando accendamus militum animos.* Artaxerxes ante copias ſuas, teſte Plutarcho, incedebat pedes. Alexander Mag. teſte Curtio primus ex equo deſcendebat, vt glaciem frangeret, aut per niuem viam faceret, Imp. Antoninus, teſte Herodoto lib. 4. ferè ſemper cùm militibus pedes incedebat, militari menſa vtebatur, ipſe haſtam ſuam ferebat.

Tertiò *Eloquentia.* De ea iam ſupra dictum eſt in virtutibus Generalis belli Ducis. Liuius lib. 27. *Ille pugnantes hortando pariterque obeundo pericula ſuſtinuit; ille feſſos abnuenteſq; tædio ac labore, nunc precando nunc caſtigando, accendit, ille fugientes reuocauit.* Vna reprehenſio Marcelli apud milites plùs eos afflixit, quam ictus hoſtium, aut labor dierum præcedentium. Polybius lib. 8. *Qui ſtipendia apud aliquos faciunt, ac quibus prælij alea eſt duriſſima, belli verò euentus parum eos attingit, cohortatio ijs eſt neceſſaria.*

Quartò *Æmulatione.* Tacitus lib. 3. hiſtoriarum, *In inſtituenda acie,* inquit, *plerumque eſt vtile, eam per gentes nationeſq; diſponi, vt diſcretus labor fortes ignauoſq; diſtinguat, atque contentione decoris accendantur.* Iulius Cæſar cum videret ſuos aduentu Germanorum eſſe conſternatos, declarauit ijs conſtitutum apud ſe eſſe ijs occurrere, quare ſi illis is animus non eſſet, iturum ſe tamen cum decima Legione. Quibus verbis ita perculſi fuerunt, vt ne vnus repertus fuerit, qui comitari eum nollet. Liuius lib. 7. *Pugnatum haud procul porta Collina eſt totis viribus vrbis, in conſpectu parentum coniugumq; ac liberorum, quæ magna etiam abſentibus hortamenta animi.*

Quintò cauſa bona, de qua dictum eſt in cauſis belli. Liuius lib. 6. *Tamen acrius crediderim vos pro libertate, quam illos pro dominatione certaturos.*

Sextò neceſſitate. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 8. *Vehemens res eſt neceſſitas, & extremum periculum ſatis eſt ad indendam audaciam, ſi cui non eſt innata.* Et Tacitus lib. 3. Hiſt. *Quanto,* inquit, *plus ſpei eſt ad effugium, tanto minor animus eſt ad reſiſtendum.* Neceſſitatem reſiſtendi, vt militibus ſuis inijceret Philippus Macedo, cùm occupauiſſent Methonam vrbem, amoueri ſcalas à muris iuſſit. Philippus Auguſtus Franciæ Rex diſijci pontem ſupra ſcaldim curauit tranſmiſſo iam exercitu, ne reditus pateret, in expeditione contra Othonem Imp. Guilielmus Normandiæ Dux cum appuliſſet in Angliam, quam ſubijcere ſibi conabatur, incendi naues omnes iuſſit, quibus totum exercitum ſuum eò tranſportarat.

Septimò præmijs. Liuius lib. 4. *Eo impendi laborem ac periculum, ait, vnde emolumentum atque honos ſperetur, nihil non aggreſſuros homines, ſi magnis conatibus magna præmia proponantur.* Hannibal cum ineunda eſſet pugna ſingulis militibus ſuis aut pecuniam, aut agros aliquos, aut libertatem, aut quiduis aliud eiuſ-

modi

Digitized by Google

Teſtimonia & Exempla.

PRæſtare aggredi iudicamus; tempora etiam & occaſiones oſtendimus. Iulius Cæſar tranſiens per Helleſpontum cum vnicam nauem haberet, & ei Caſſius aduerſæ partis cum decem triremibus occurreret, illum aggreſſus, eſt tantà vi tamque repente, vt dedere ſeſe ille cogeretur. Fatendum quidem eſt præſtare eorum impetum ſuſtinere, qui initio vehementiſſimus & furioſiſſimus eſt, at ea non ſemper occaſio eſt. Iulius Cæſar lib. 3. de bello ciuili reprehendit Pompeium, quod hoſtem ſuum expectauerit, ac non prius aggreſſus ſit. *Sed Pompeius*, inquit, *ſuis præixerat, vt Cæſaris impetum exciperent, neue ſe loco mouerent*. Et poſtea *quod nobis quidem nulla ratione factum à Pompeio videtur, propterea quod eſt quadam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, hanc non reprimere, ſed augere Imperatores debent*. Vegetius lib. 3. *Semper ſtudere debes, vt prior inſtruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi vtile iudicatur, cum nullus obſiſtit; deinde auges tuis confidentiam, & aduerſarijs minuis, quia fortiores videntur, qui prouocare non dubitant*. Liuius lib. 24. *Qui prius ſtrinxerit ferrum, eius victoria erit*. Thucydides lib. 6. *Magis*, inquit, *terrorem incutit, vt inuadere volenti prior occurras, quam vt te repugnaturum ſignifices*.

Quod attinet ad occaſiones Liuius lib. 22. *Neque occaſioni tuæ deſis, neque ſuam occaſionem hoſti des*. Et Xenophon in Cyro lib. 7. *Qua in re noueris vos eſſe imbecilles, hac tibi maximè cauenda, in quâ verò ſenſeris hoſtes eſſe captu faciliimos, in hac eos potiſſimum adorire*. Vegetius autem lib. 3. *Imparatis*, inquit, *cibum capientibus, in itinere laſſis, equos ſuos paſcentibus, ac nihil tale ſuſpicantibus ſuperuentus aſſolet fieri*. Iterum etiam Xenophon lib. 1. *Armatus inermes, vigilans dormientes, apertos improuiſus; & qui in locorum difficultate ſunt, tu eos tuto loco excipito*. Monet etiam Tacitus, *videndum eſt quando hoſtis imprudentia ruat, & quod loco ſapientiæ eſt, alienam ſtultitiam operiri*. Liuius lib. 21. *Ea*, inquit, *P. Cornelio Conſuli cauſa fuit, cum Piſas nauibus veniſſet, exercitu à Manlio Attilioq́; accepto tyrone, & in nouis ignominijs trepido ad Padum feſtinandi, vt cum hoſte nondum reſerto manum confereret*. Regem Perſeum vt habet Liuius lib. 42. reprehenderant hoſtes, quod non ſtatim eos adortus eſſet itinere longo & difficili, feſſos. Sempronio Duce victi à Carthaginenſibus Romani fuerunt, qua de re Liuius lib. 21. *Pedeſtris*, inquit, *pugna par animis magis, quàm viribus erat, quas recentes Pœnus paulo antè curatis corporibus in prælium attulerat: contra ieiuna feſſaque corpora Romanis & rigentia gelu torpebant*. Videri idem Liuius poteſt lib. 2. 3 5 24. Aulus Cornelius Dictator, cùm intelligeret Samnites profectos eſſe ad prædam agendam noluit eos impedire, vt vagos poſtea, & præda præpeditos opprimeret, vt habet Liuius lib. 8. Facile etiam poſt victoriam aliquam hoſtis negligentior fit. Vnde Liuius lib. 6. *Ita expedito exercitu profectus ad Sutrium, id quod rebatur, ſoluta omnia, rebus vt fit ſecundis, inuenit*. Ouidius:

Tunc cùm triſtis erat defenſa eſt Ilion armis
Militibus grauidum læta recepit equum.

Romani facilè Syracuſas occupauerunt, quia vt ait Liuius lib. 25. *Magna pars in turribus epulati aut ſopiti vino erant, aut ſemigraues potabant*. Tiberius Cæſar vt refert Tacitus lib. 1. An. *cùm attuliſſent exploratores feſtam Germanis noctem ac ſolemnibus epulis ludicram, ſtatim profectus contra eos, reperit iacentes in lectis, ſtratos ſub menſis, ſine armis, ſine excubijs, facileque ſuperauit*. Non negligenda etiam occaſio eſt, cùm turbati ſunt hoſtium ordines. Hinc Liuius lib. 29. *Romani Imperatores vt turbatos hoſtium ordines, & trepidationem pauoremque & fluctuantia viderunt ſigna, hortantur, orant milites, vt perculſos inuadant, neu reſtitui aciem patiantur*. Vel certè cum diuerſæ ſunt hoſtium copiæ. Hinc Cæſar, vt habet lib. 1. belli Gallici, *cum intelligeret tres partes exercitus Heluetiorum tranſiuiſſe Ararim fluuium, ad eam partem peruenit, qua nondum flumen tranſierat*. Nimirum antequam ſe alijs iungeret. Diſcordia in exercitu hoſtili magnam aggrediendi occaſionem præbet. Tacitus lib. 3. *Vbi hæc*, inquit, *comperta Antonio, diſcordes animis, diſcretos hoſtium exercitus, aggredi ſtatuit*. Idem lib. de moribus Germ. *Nihil præſtare maius fortuna poteſt, quam hoſtium diſcordiam*. Et Vegetius lib. 3. cap. 9. *Inter hoſtes diſcordiarum ſerere cauſas ſapientis eſt Ducis*.

CAPVT IV.

Contemnere Hoſtem ſuum non oportere.

Nocet ſemper hoſtem contemnere.

MAgna potentia contemptum hoſtium ſolet generare. Credunt inuicta ſua arma, qui multum poſſunt: quaſi illa hoſtis neque loco vllo, neque tempore poſſet ſuſtinere. Admodum verò noxia hæc opinio eſt. Quantacunque belli ſit moles, cogitet Imperator maiores interdum copias à minoribus ſterni, & à debilioribus potentiores debellari. Cùm per omnia humana potens ſit fortuna, tum in res bellicas maximè. Nihil in hoſte ſatis tutò deſpicitur. Illum qui contemnit, in ſuo exercitu & negotijs negligens eſt, ſicque ſuâ negligentiâ hoſtem facit valentiorem. Sæpè qui ſibi prædam promittit, ab hoſte ſpoliatur; & qui minatur, dat pœnas. Bona de hoſte opinio vigilantiores & cautiores reddit milites.

Teſtimonia & Authoritates.

CVrtius lib.4. *Nihil tuto in hoſte deſpicitur, quem ſpreueris valentiorem negligentia facies.* Cum Tyriorum vrbem obſideret Alexander Magnus, vt eodem lib. habet Curtius, *Tyrij paruis nauigijs admotis per ludibrium exprobrabant, illos armis inclytos dorſo ſicut iumenta onera geſtare: interrogabant etiam num maior Neptuno eſſet Alexander.* Victi tamen vrbem amiſerunt. Darius Perſarum Rex ſe Regem Regum, & Alexandrum Magnum ſuum ſeruum appellabat per contemptum; at vero ei vitam & regnum Alexander ademit. Galli Senones Romanos contemnendo dum illis aurum Romæ appenderetur, clamabant: *Væ victis*; ſed adueniente paulò poſt Camillo cæſi ſunt. Pompeius & Scipio; vt habet Cæſar lib. 3. de bello ciuili, *iam inter ſe palam de præmijs ac ſacerdotijs contendebant, in annoſque conſulatum definiebant. Alij domos bonaq; eorum qui in caſtris Cæſaris erant*, petebant. Victus tamen poſtea Pompeius.

CAPVT V.

Quanam in pugna & circa eam ſint attendenda.

PRopoſitum non eſt nobis pugnandi modum præſcribere. Docere illum ſolus poteſt, qui militiæ peritiam cum vſu coniunxit. Nos aliqua, quæ attendi circa pugnam debent, ſuggeremus.

Explorandus Militum ad pugnam animus.

Illud primum, quo die cum hoſte pugnandum eſt, conſiderare militum vultus, verba, inceſſum, atque omnem motum oportet, vt ex iis cùm fiducia, tum formido, ſi quæ in eorum animis ſit, cognoſcatur. Quod ſi Tyronibus pugnare volentibus conflictum veterani detrectent, differenda eſt pugna. Aut ſi neceſſitas ſit, potenti Ducis adhortatione erigendi ſunt ſeniorum ad pugnam animi. Iuuat aliquoties antè militibus ſuis hoſtium agmen oſtendiſſe, vt eorum mores, arma, equos, omnia denique cognoſcant, & velitationibus aliquando leuibus aggredi paulatim, nec reformidare conſueſcant.

Seruetur Ordo.

Secundò, ſeruato ſemper ordine in pugnam milites deſcendant, cùm vt minori clade, ſi pedem referre debeant, premantur, tum vt perniciem hoſtibus maiorem inferant, & ſint fortiores, ſi feliciter rem gerant. Nihil omninò melius eſt, quàm ordines ſeruare? nihil periculoſius, quàm ſoluere.

Acies ſplendide procedat.

Tertiò, Curæ ſit Imperatori, vt acies ſplendidè inſtructa ad pugnam procedat. Sic enim terribiliores apparent milites, & maiorem hoſtibus terrorem inijciunt.

Quartò, Vtile eſt in ipſo conflictu læta & fauſta militibus acclamare, etſi etiam falſa. Sic enim excitantur ampliùs milites, & hoſtes perculluntur. Cùm in aliqua aciei parte eſt Imperator, exclamet iam aliam vincere; & ipſe læto ſemper & bono ſit animo. Ab eius enim vultu audaciam milites ſumant. Etiam cùm afflictæ res ſunt, hilaritatem præ ſe ferre, & de induſtria ſimulare lætitiam oportet, ne militum animi collabantur. Cùm Dux deſperat, miles de fuga cogitat.

Læta acclamentur & Dux ſit lætus.

Quintò, Tibicines Cornicineſque & Tympaniſtæ clangore tubarum, & tympanorum ſtrepitu animos tempore conflictus excitent.

Audiantur tuba & tympana.

Sextò, initâ pugnâ ſi ſuos inclinare ac cedere Imperator animaduertat, ne diffidat tamen, ſed cedentes retineat, & conſilio, voce, manu aciem reſtauret. Plerumque enim prælij euentus inter initia contra eos eſt, quibus victoria debetur.

Non diffidendum ſi initium non ſit felix.

Septimò, Cùm initiò ſtatim noſtri milites vincunt, cohibendi nonnihil ſunt. Nam inſtare pertinaciter cedenti hoſti non oportet, ne illis ex deſperatione creſcat audacia.

Moderatum autem ſit initium.

Poſtremò, quicquid in prælio aduerſi accidit, diſſimulandum eſt. Siquidem exercitus incommoda tanquam corporis vulnera ſunt tegenda.

In commoda diſſimulanda.

Teſtimonia & Authoritates & Exempla.

HÆc omnino videntur attendenda 1. explicandus militum animus, 2. ſeruandus ordo, 3. acies ſplendidè procedat, 4. læta acclamentur & Dux ſit lætus, 5. audiantur tubæ & tympana, 6. non diffidendum ſi initium non ſit fœlix, 7. moderatum ſit initium, 8. incommoda diſſimulentur.

Vegetij præceptum eſt vt ipſo pugnæ die exploretur, quid de pugna ſentiant milites, & quo animo ſint. Si detrectare pugnam videantur, & neceſſarium tamen ſit pugnare, tunc opus eſt potenti Ducis adhortatione. Henricus Angliæ Rex cum ab exercitu Francorum circumuentus eſſet (vt refert Æneas Syluius lib. 3. Comment. in Panormitanum) omnia quæ in Galliâ habebat Regi Gallo tradere voluit, ſi ſibi ſuiſque abitus tantummodo permitteretur. Id cum obtinere non poſſet, Centurionibus noctu conuocatis ita eos alloquutus eſt. *Neque fugere, Commilitones, neque ex hoſtibus incolumitatem conſequi precibus noſtris valemus: ſola nos arma adiuuare poſſunt. Non eſt quod numeroſum exercitum formidetis. Deus iuſtæ cauſa aderit: is deuotè iam orandus, & die craſtinâ ſtrenuè pugnandum.* Hic dictis cum nox in diem abire inciperet, commiſſo prœlio octo Anglorum millia (incredibile auditu) ſexaginta hoſtium millia fudêre; ita vt eum potiſſimum diem Gallorum opes fregiſſe ſcribant.

Pulchra etiam eſt illa adhortatio Catonis maioris, *Inter nos, Commilitones, & caſtra noſtra medij hoſtes ſunt; à tergo hoſtium ager eſt; quod pulcherrimum, idem vtiliſſimum eſt, in virtute ſpem poſitam habere, & in prælio potius, quam in fuga, mortem oppertere.* Pulchrè etiam Poëta:

——Moriamur, & in media arma ruamus,
Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Amiratus lib. 9. diſcurſuum ſuggerit hoc conſilium, vt antequam prœlium ineatur, hoſtis vires velitationibus ſeu leuibus prœlijs tententur. Nam vt ait Botetus lib. 9. Politiæ Illuſtrium, animoſos reddunt milites conflictus & velitationes cum hoſte, aliaque quibus eius vires periclitantur & mores ediſcuntur. Romani Duce Mario, cum aduerſus Cimbros gentem ferociſſimam infeliciter aliquoties dimicaſſent, adeoque animos percellerentur, vt ſibi negotium eſſe cum gigantibus putarent, Marius hanc ijs opinionem dempturus, aliquot dies velitando cum hoſte, & quaſi ludrica tractando inſumpſit; donec Romani Barbarorum vocibus & clamoribus aſſueti ferre Cimbros didiciſſent. Idem Botetus teſtatur Turcas aſſiduis velitationibus ſæpè à noſtris fuiſſe fractos. Apud eoſdem Turcas vſu adhuc receptum eſt, vt in congreſſibus præliorum inconditos quoſdam clamores, tum in hoſtium terrorem, tum in ſuorum incitamentum excitent. Similibus clamoribus vti ſoliti ſunt Syri Æthiopes, Indi Occidentales, Parthi, & huiuſmodi alij populi, de quibus Alexander ab Alexandro lib. 4. Gen. dierum cap. 7.

Et Boterus lib. 9. cap. 19. Item Plutarchus in vita M. Craſſi. Romani autem cum ad hoſtem irent in conſpectu longinquo diſtantem, gradu lento & ſilentio vtebantur. At cùm prope ad manus ventum eſſet, ardentiſſimum clamorem tollebant, vt hoſtis & impetu propulſaretur, & clamore terreretur. Ita refert Gellius lib. 1. Noctium Atticarum. Et Amiratus lib. 14. diſc. 5. Polydorus Virgilius in vita Henrici ſexti. *Ea eſt*, inquit, *Natura Francorum, vt diutius præliando laborem nequeant tolerare, quod terroris incutiendi cauſa plus ab initio virium animosè effundant, quam deinde in certamine retineant*. Camerarius in 1. parte horarum ſucceſſiuarum cap. 77. de Turcis refert, non ſolùm eos in prœlijs vti tympanis alijſque clangoribus ad animandos milites inuentis, quos ſua lingua, Neubet, vocant, verum etiam horribili & truci vlulatu; *Alla egbir Tegbir*, *Alla Alla*, *Allahu*. *Brebreberi*. Item *Tzaccatzue*, *heia*, *hui*. Item *Gaur*, *gaur*, *vur vur*. Item *Draba drabahu*. Cum Conſtantinopolim occuparent, teſte Leonhardo Chienſi altiſſime clamabant. *Illalla*, *illalla*, *Mahomet Ruſſollalla*, Deus eſt & ſemper erit, & Mahomet eſt ſeruus eius. Cato ſenior cum doceret iuuenes intrepidè pugnare, dicebat, *verba plus quam gladium & voces plus quam manum hoſtes in fugam vertere*. Quamquam generoſi milites parum hos clamores curant. Prouerbium eſt, *Canes timidi plus latrant, quam mordent*. Vnde Rex quidam Mauritanus cum Luſitanis pugnaturus ſuis militibus dicebat, *Non clamoribus, ſed iuribus eſt agendum*.

Valde tamen vtile eſt fauſta & læta, in ipſo conflictu militibus acclamari, etſi falſa. Valerius Læuinus aduerſus Pyrrhum occiſo quodam gregario milite tenens gladium cruentum exercitui vtrique perſuaſit interemptum eſſe Pyrrhum. Quamobrem hoſtes putantes ſe Duce deſtitutos in caſtra conſternati ſeſe receperunt. Onoſander, *Cùm Imperator*, inquit, *eſt in dextro ſuorum cornu exclamet, eos qui in ſiniſtro ſunt vincere; cum in ſiniſtro eſt, idem de alijs dicat*. Fabius Dictator contra Hannibalem pugnans alacri ſemper & læto animo fuit. Ageſilaus ita conſueſecerat ſe, vt quoties in metu eſſet, hilaritatem præ ſe ferret, rebus contra ſecundis humilis eſſet. De Iulio Cæſare Lucanus,

——Vultu ſemper celante timorem
Intrepidus.

Scribit Sen. Duces rebus afflictis hilaritatem de induſtria ſimulare, & aduerſas res adumbrata lætitia abſcondere, ne militum animi, ſi fractam Ducis ſui mentem viderint, & ipſi collabantur. Vegetius, *Neceſſe eſt*, ait, *vt ad fugam parati ſint, qui Ducem ſuum ſentiunt deſperare*. Præceptum Imperatorium eſt Pyrrhi, *Non eſſe pertinaciter inſtandum hoſti fugienti in pugnâ; nam ſæpè ex deſperatione creſcit audacia*. Benè autem dixit quidam, *Exercitus incommoda tanquam vulnera corporis tegenda eſſe*. Vnde L. Sylla cum auxiliares eius miſſi ab ipſo circumuenti ab hoſtibus & interfecti eſſent verereturque ne propter hoc damnum vniuerſus exercitus trepidaret, pronunciauit auxiliares, qui ad defectionem conſpiraſſent conſilio à ſe in loca iniqua deductos eſſe: ita manifeſtiſſimam cladem vltionis ſimulatione, & militum animos hâc perſuaſione confirmauit. Datanes verò Rex Perſarum cum in Cappadocia videret partem equitum ſuorum transfugere, cæteros venire ſecum iuſſit, allocutuſque transfugas laudauit, quod eum præceſſiſſent, hortatuſque eſt, vt eos fortiter adorirentur. Pudor transfugis attulit pœnitentiam, & conſilium ſuum, quia non putabant deprehenſum, mutauerunt.

Illud hic adijciendum eſt non facile eſſe pugnandum, ſi regni amittendi ſit metus. Sic Dux Albanus cum Guiſio in Regno Neapolitano pugnare noluit: nam Galli victi duntaxat exercitum Hiſpani Regnum perdidiſſent. Carolus V. cum Germanis pugnare noluit, quod non dubitaret exercitum eorum breui diſſipatum iri; nam in fœdere videbat Ciuitates, quæ neruum ſuppeditabant, contemni & merito quæri; quare putabat eos à fœdere diſceſſuras, quod & fecerunt.

CAPVT VI.

Quid agendum ſit cùm inita pugna conſilium diſplicet.

IMminere periculum maius non poteſt, quàm cùm Imperator ordinato in pugnam exercitu intrauit, & recedere tamen putat ſalutare. Nam tum recedere eſt ſuis fiduciam minuere, & hoſtibus audaciam addere. Prudens & peritus belli Dux ita aget, vt ſui ideò ſe reuocari credant, vt cummodiori loco hoſtem operiantur, ac faciliùs vincant, non verò, vt pugnam declinent. Ignorare id ipſum hoſtes debent, qui vt fallantur, diſcurentibus ante Pedites Equitibus, abducendi paulatim ſunt Pedites. Dum autem diſcedunt aliqui, remanere cæteri in ordine & acie debent. Imò ſimulare munitionem aliquam exſtruendam oportet, & aliquos, qui in ea laborent, relinquere. Beneficio etiam noctis vti licet. *Tegere oportet cauſam receſſus ſimulatione.*

Teſtimonia & Authoritates.

TEgere oportet receſſus cauſam aliquâ ſimulatione. Id quomodo fieri debeat, fuſe hic exponitur. I. Cæſar in bello Ciuili relictis in opere duabus cohortibus, quæ ſpeciem munitionis præberent, reliquas copias alio abduxit.

CAPVT VII.

An Stratagematibus vti in Bello liceat.

STratagemata ſunt callida & occulta quædam ad hoſti nocendum conſilia, ſeu ingenioſa quædam in bello inuenta, quæ ad eius, qui excogitauit, vtilitatem, & hoſtium perniciem multum habent momenti. *Quid Stratagemata.* An verò ſtrenuum hæc belli Imperatorem decent? O cultè hoſtem aggredi contra ius & fas eſſe videtur. Non fraude, ſed palàm & armatum hoſtem vlciſci veri militis eſt. Verùm cùm perdere fas ſit hoſtem, parum profectò refert, vi apertâ an occultâ perdatur. *Vti iis licere.* Neque quiſquam ſuum hoſtem monere, vt ſibi caueat, aut ſe muniat, tenetur, multò minùs ſua illi conſilia manifeſtare. Quæ dolo & opportunè perficiuntur, non minoris momenti ſunt, quàm quæ apertè & cum violentia fiunt. Fœderatos quidem fallere iniuſtum eſt, & impium; at hoſtes ſuaue, & fructuoſum, & iuſtum. Quâcumque arte quærere victoriam licet. Et ferè tutius, imò præclarius eſt ingenio hoſtem & ratione, quàm ferro vincere, quod ingenioſa victoria melior ſit, quàm cruenta.

Porrò duplicia ſunt Stratagemata, alia Belli, alia Prælij. Stratagemata belli totius ſunt callida quædam ad bellum meliùs ſuſcipiendum aut promouendum inuenta. Eiuſmodi ſunt hæc. *Duplicia ſunt. Belli,*

I. Pacis aut Induciarum mentionem inijcere, interim ad bellum neceſſaria parare.

II. Cùm plures ſunt, qui inuadunt, hoſtes, vnum illorum muneribus aut quouis alio modo ad ſe traducere.

III. Amicos in hoſtili Patria aut vicina quouis etiam modo ſibi facere.

IV. Auxilium ei magnum mittere, quem facilè in ſua habiturus ſit poteſtate.

Stratagemata Prælij ſunt callida quædam ad hoſtem in ipſo prælio cir- *Et prælij.*

 cumue-

cumueniendum inuenta. Horum plenæ ſunt omnes Hiſtoriæ. Id curandum, vt abſit crudelitas & mendacium. Optimum Stratagema eſt hoſtium Stratagematibus decipi non poſſe.

Teſtimonia & Exempla.

VTi ijs omninò licet. Ea verò vel belli ſunt totius, vel prœlij, quemadmodum hic explicamus. Exiſtimant equidem aliqui nefas eſſe hoſtem occultè aggredi. Tacitus 2. Annal. *Veri militis*, inquit, *eſſe, non fraude, ſed palam & armatum eundem vlciſci.* Achæi, teſte Polyæno, lib. 13. exiſtimantes parum generoſam eſſe victoriam, quæ aperta manu & virtute non pararetur, abhorrebant à dolis & occultis machinationibus. Diuico Legatus Heluetiorum miſſus ad Cæſarem, vt eſt in lib. 1. belli Gallici, dicit Heluetios ita à Patribus maioribuſque ſuis didiciſſe, vt magis virtute, quàm dolo contenderent. Euripides in Rheſo, *Vir nemo*, inquit, *altamentu clanculum deſiderat occidere hoſtem.* Vbi dolus ac ſupplantatio, vix fides eſſe poteſt ac dignitas ſalua. Lipſius lib. 5. Polit. cap. 17. Et Florus lib. 1. cap. 12. *Veram illam eſſe victoriam*, ait, *quæ ſalua fide & integrâ dignitate paretur.*

At vero Virg. 2. Æn. *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Antigonus rogatus, quomodo oporteat hoſtes aggredi, *Aut dolo*, inquit, *aut vi, aut apertè, aut per inſidias.* Ita Plutarchus. Item *Fœderatum fallere iniuſtè, impium eſſe, at hoſtes non ſolum iuſtum, ſed etiam ſuaue & fructuoſum.* D. Auguſtinus lib. 6. quæſtionum ſuper Ioſuam quæſtione 10. teſtatur, cùm iuſtum bellum ſuſcipitur, vtrum apertè quis pugnet, an ex inſidijs, nihil ad iuſtitiam intereſſe. Cyrus, vt eſt apud Xenophontem lib. 1. Cyropæd. patrem interrogat, quâ maximè ratione vincendum ſit: tum pater, *Si victoriam cupis, quacumque arte vincendi ſunt hoſtes, occultis inſidijs, dolo fraudeque fallendi, & furto ac rapinis exhauriendi.* Ad hæc Cyrus, *O qualem me pater virum eſſe ſuades? contrariam enim diſciplinam ab ineunte ætate didici.* Ait pater, *Verum eſt*, inquit, *ô fili, ſed ea inter amicos & ciues ſeruanda; hoſtes verò quacumque fraude inuadendi ſunt.* Teſte Polybio lib. 9. *In Bellicis rebus minoris ſunt momenti, quæ manifeſtè & cum violentia perficiuntur, quàm quæ cum dolo & opportunè fiunt.* Periclis hæc ſententia fuit: *Tutius eſt, imo præclarius ingenio hoſtem, quàm ferro vincere.* Braſidax Dux apud Thucydidem lib. 5. de bello Peloponenſi: *Illa belli furta pulcherimam habent laudem, quibus & hoſtes maximè decipiuntur, & amici plurimum iuuantur. Magna quippe in manu & gladio laus eſt, maxima in virtute.* Polyænus lib. 11. Stratag. *Summa laus*, inquit, *ſine periculo parta victoria, tum maximè ſi fortes hoſtes ſint.* Zenobia Regina Orientalis ſcribens ad Aurelianum Auguſtum, vt eſt apud Vopiſcum in eius vita, *Virtute faciendum eſt*, inquit, *quicquid in rebus bellicis eſt gerendum.* Hinc monet Vegetius lib. 3. de re militari c. 19. vt boni Duces non aperto Marte prœlium, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentent, vt integris ſuis, quantum poſſint, viribus, hoſtes interimant, vel certè terreant. Callidis enim conſilijs ſæpè fit, vt hoſtes deſperent, aut terreantur, certè fallantur. Philippus Macedo Rex magis de prudentia, aſtu Imperatorio, & ſucceſſu gloriari ſolitus eſt, quàm de copiarum & auxiliorum viribus. Subiungebat hanc rationem: *Rerum benè in prœlijs geſtarum laudem ſibi cum ſuis militibus communem eſſe, ſed eorum, quæ prudentia tranſegiſſet, titulum ad ſe ſolum ſpectare*, vt habet Diodorus Siculus. Hannibal numquam ſine callido conſilio prœlium commiſit, & ad decipiendum hoſtem ſemper fuit intentus. De Iulio Cæſare dubitat Suetonius, vtrum cautior, an audentior in obeundis expeditionibus fuerit. Dicebat Lyſander: *Quò Leonis pellis non attingit, inſuenda eſt vulpina*, teſte Plutarcho in eius vita. Aquila cum ceruo conflictura priùs in puluere ſe volutat; deinde cerui cornibus inſidens, puluerem pennis collectum, in oculos eius ſpargit, alis ora verberans, donec exoculatum in rupes det præcipitem, vt refert Eraſmus Chiliade III. Adagiorum, centuria 7. adag. 1. Vt exempla Stratagematum habeantur, legendi ſunt Frontinus & Polyænus, qui Stratagematum libros conſcripſerunt: quanquam etiam paſſim in hiſtorijs notantur, tum ſacris, tum profanis. Non oportet autem ijſdem Stratagematibus frequenter vti, ſed noua ſemper inuenire.

CA-

CAPVT VIII.

An Hoſti fugienti intercludenda ſit via.

IMò pons argenteus fugienti ſternendus eſt, & munienda via, vt vulgaris iam vox eſt. Itaque fugientibus hoſtibus intercludere viã non oportet, ne extrema eos neceſſitas victores efficiat, aut deſperatio rabidos, ac nihil, ne mortem quidem, timentes. Rarò vincuntur, qui ad pugnandum extremâ neceſſitate coguntur; qui deſperant, aut vincunt ſemper, aut magnâ clade vincuntur. Quam ob cauſam cautè ac non ita fortiter fugentibus eſt inſtãdum, vt aliàs faciliùs fugiant. Qui diſperſos ac fugientes nimis violentus inſequitur, ſæpè quam acceperat, aduerſarijs reddit victoriam; nec alia eſt cauſa, quàm quia deſperauerunt. Vltimum & maximum telum eſt neceſſitas, quæ etiam ignauiam acuit.

Hoſti fugienti intercludenda non eſt via.

Teſtimonia & Exempla.

NOn exiſtimamus. Scipio dicebat *fugientibus hoſtibus viam eſſe minuendam.* Themiſtocles etiam Xeuxem de fuga admonuit, ne nimirum tanta Barbarorum multitudo intra Græciam contineretur. Alphonſus Rex cenſebat fugienti hoſti pontem argenteum ſternendum eſſe. Iphicrates ſenſim fugientes ſequebatur, & cum ad flumina ventum erat, non vrgebat, ne deſperarent. Vrbe capta cum in foro concurrerent, iubebat portas aperiri, vt effuſi ſine periculo cæderentur. Cauſa eſt, quia raro victi ſunt, qui extremâ neceſſitate pugnarunt. Romani Legati inſigni prudentia Thuſcis viam aperuerunt, qua de re Liuius lib. 2. Liuius lib. 34. ait, *non eſſe includendum hoſtem, Romani etiam Senatus prudentiam ſatis docuiſſe.* Gallis data fugiendi poteſtas per agrum Pomptinum. Ijdem Romani cenſuerunt danda eſſe nauigia ad Gallos tranſuehendos, & eos commeatibus iuuandos eſſe. Lucius Martius Pœnis deſperatione repugnantibus cùm eſſent circumuenti, fugæ ſpatium dedit, & fugientes ſine periculo concidit. Sic Cæſar contra Germanos fecit, ſic Hannibal ad Thraſymenium. Antigonus Ætolos fugere permiſit, cùm erumperent, tum auerſos cecidit. Pyrrhi præceptum erat: *Non eſſe fortiter inſtandum fugientibus, vt alias faciliùs fugerent.* Poëta verè:

Vna ſalus victu, nullam ſperare ſalutem.

In Lycurgi legibus erat: *Hoſtem fugientem non occidere.* Spartani fugientem, quàm reſiſtentem videre malebant.

CAPVT IX.

Quid poſt pugnam ſit agendum.

POſt pugnam vel clades eſt, vel victoria. Si accepta clades eſt, & victores ſint hoſtes, prudenter ac fortiter ferenda fortuna eſt. Expendenda tamen eſt clades. Si exigua ſit, iram, non metum faciet. Si magna, non abijciendus idcircò tamen animus, nec propter vnius prælij euentum nimiùm eſt expaueſcendum. Inſiſtere contra fortunam ſpe oportet, & vnde nouæ vires auxiliaque haberi poſſint, circumſpicere. Interim muniendæ vrbes, ne qui campum victor hoſtis tenet, vim obſidionis admoueat. Vbi iuſta belli cauſa eſt, deeſſe ſpes non debet.

Si clades ſit, fortiter ferenda fortuna eſt.

Quod ſi verò parta ſit victoria, regi ea debet cautè, leniter, modeſtè, magnâ omninò prudentiâ. Inijciendus eſt victis timor, non deſperatio; aliquid ſemper ſpei ſuperſit. Nihil gratius poſt victoriam clementiâ, quæ dum parcit, parcis irritamenta reducit. Nunquam eſt nimiùm hoſti inſultandum, alioquin graues ſunt neceſſitatis irritatæ morſus. Solet humanum

Si victoria, non inſoleſcendum.

ingenium in magna fortuna humanitatis obliuiſci; non obliuiſcatur tamen Imperator cùm vicit, nec ob res ſecundas ſit elatus, ſed placidus & benignus ciuilem omnibus & amabilem beneuolentiam exhibeat.

Authoritates & Exempla.

INprimis, ſi clades ſit, ferenda fortuna eſt; ſi victoria, non inſoleſcendum. Seneca:

——Regi frenis nequit
Et ira & ardens hoſtis, & victoria,
Gladiuſque fœlix, cuius infecti ſemel
Vecors libido eſt.

Tacitus, *Vbi ſatis*, inquit, *terrueris, parcendo rurſus pacis irritamenta oſtenta.* Monet Onoſander, *vt poſtquam omnia ex animi ſententia ceſſerunt, caueat Imperator, ne ob res ſecundas elatior videatur, ſed placidus & benignus, & vt ciuilem & amabilem beneuolentiam omnibus exhibeat. Quia ingenium humanum*, vt inquit Gregoras, *in magna fortuna ſolet humanitatis obliuiſci.* Hinc reprehenditur Carolus Audax, quod deuictâ vrbe Leodienſium non ſatis habuit ſæuire in obuios, ſed etiam mandauit, vt clauſi in domibus in flumen præcipitarentur. Et qui in ſyluas profugiſſent, ad internecionem delerentur. Aliter Philippus Macedoniæ Rex, qui ſubiugatis Athenienſibus alioquin infenſiſſimis hoſtibus captiuos eis remiſit, & occiſorum corpora ſepulturæ tradidit. Celebris eſt Ducis Guiſij fama, qui cum bello ciuili Principem Condæum intercepiſſet, ita humaniter illum tractauit, vt etiam ſua illum menſa & thoro dignaretur. Nec arte diſſimili vſus eſt Amurathes Turcarum Imperator, qui Principes bello captos ita humaniter excepit, vt nihil grauius in illos ſtatueret, quàm vt Aulam ſequerentur. Quæ conditio etiam victis benigna eſt viſa. Poëta;

Iſtaque ni certas habeat victoria leges,
Quam bona ſæpe fuit, tam ſolet ipſe nocens.

Benignitate atque Clementia hoſtem vincere, quàm armis præſtat, inquit Polybius lib. 5. Et idem lib. 10. *Plures ſunt, qui prærogatiuis potiuntur, quàm qui prærogatiuis vtuntur*, Idem vincere & victoria vti nouit Dux ſapiens. Quod attinet ad cladem fortiter ferendam, Sen.

——Clades ſcire qui refugit ſuas
Grauat timorem, dubia plus torquent mala.

Sæpè calamitatis ſolatium eſt noſſe ſortem ſuam, vt ait Curtius lib. 4. *Diſſimulare illam apud hoſtes oportet. Semper memoria tenendum eſt, res humanas ita comparatas eſſe, vt in victoria gloriari, in aduerſis rebus triſtari homines minimè debeant*, vt inquit Hippolitus à Collibus in Principe cap. 23. Scipio Africanus dicebat, teſte Plutarcho in eius vita, & Liuio lib. 16. *Romanos nec victos animum, nec victores modeſtiam amittere; nec duriores pacis conditiones parta victoria, quàm ante bellum dare conſueſſe.* Et Camillus, *Nec mihi*, inquit, *dictatura animum fecit, nec exilium ademit*, vt eſt apud Liuium. Totila dicere ſolebat, *res ſecundas aut aduerſas immoderatè ferre, non fortium virorum eſſe; ſed hoc diſſidentis, illud, res humanas obliuiſcentis.* Franciſcus Galliæ Rex, teſte Guicciardino & Iouio, etſi captiuus ſemper mores & ſpiritus Regios retinuit. Cogitandum eſt: *Mortem eſſe communem, & victum ſe ſæpè erigere, & affligere victorem*, vt ait Liuius lib. 28. *Quare ex vnius prælij euentu animum & haſtam Dux non abijciet*, inquit Tholoſanus lib. 11. de Rep. c. 12.

CAPVT X.

Alia poſt victoriam curanda.

Sepeliendi mortui. INPrimis cæſorum cadauera militum, ac potiſſimùm Præfectorum terræ ſunt mandanda. Id exigit humani corporis reuerentia: imò ipſa naturà exigit, Etſi vel idcircò etiam ſepelienda ſunt, quod ex inſepultis illis cadaueribus magna morborum ſeges pullulare ſoleat.

Curandi læſi. II. Vulneratorum deinde militum ſumma eſt habenda cura. Quæ res magnum militi ad pugnam animum addit.

Non prædandum. III. Continendi milites ſunt, ne poſt pugnam prædæ ſtatim ſe dedant. Sæpè multùm obeſt ſpolia conſectari & hoſtem omittere.

IV, Par-

IV. Partâ victoriâ diligenter eſt animaduertendum, ne milites rem militarem negligentiùs tractent, & in otium, voluptatemque reſoluantur. *Non negligentius agendum.*

V. Cohibendi milites ne diſpergantur, maximè cùm fugientem hoſtem inſequuntur; nam ſæpè victi vincunt inſequentes. *Congregandi Milites.*

V I. Qui fortiter in Pugna ſeſe geſſerunt, publicâ laude & muneribus ſunt ornandi inſpectante & approbante exercitu. *Præmia danda.*

V I I. Præda, quantum fieri poteſt æqualiter diuidatur. Stimulus pugnandi præda eſt. Quippè libenter pugnat, qui pugnando diteſcit. *Præda diuidenda.*

V I I I. Ad Principem ſeu ſummum Magiſtratum de parta victoria ſtatim eſt perſcribendum, & laus omnis rei præclarè geſtæ ad ipſum referenda. Hoc arcanum eſt conſeruandæ Principis beneuolentiæ. *Victoria Principi ſignificanda.*

IX. Proſequi victoriam oportet, & trepidis inſtare, ne qui fuſi ſunt, iterùm ſeſe recolligant. Nondum debellatus eſt hoſtis, bellare rurſum qui poteſt. *Ne ſe recolligant hoſtes.*

X. Vicinis adimendus eſt ſtatim metus, ne inferrendam à victore vim ſibi arbitrentur. *Ne vicini timeant.*

Ante omnia adſcribenda eſt Deo victoria, & gratiæ Publicè illi perſoluendæ. Tum quæ eſſe Poſſunt lætitiæ publicæ indicia & ſignificationes exhibeantur. *Agenda Deo gratia.*

Teſtimonia & Exempla.

PRimò, *Sepeliendi mortui.* Apud Hebræos lege cautum fuit, ne hoſtis inſepultus relinqueretur, vt refert Chaſſenæus parte ſecundâ Cathalogi gloriæ Mundi. Et hinc querela illa Hebræorum pſalmo 79. *Poſuerunt cadauera ſeruorum Dei eſcas volatilibus Cœli, carnes Sanctorum eius beſtijs terræ; effuderunt ſanguinem eorum in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret.* Hannibal infenſiſſimus Romanorum hoſtis Æmylium apud Cannas occiſum honorificè ſepeliri curauit. Nec idem paſſus eſt honore debito ſepulturæ carere Marcelli corpus, vt legere eſt apud Plutarchum in vita Antonij. Alexander Magnus Darij corpus ſepeliuit, teſte Valerio Max. lib. 5. Athenienſes Corinthiorum corpora terræ mandauerunt, vt eſt apud Thucydidem lib. 4. Vide hac de re Camerarium centuria 2. cap. 64. & cent. 3. cap. 99.

Secundò, *Curandi læſi.* Magnam vulneratorum militum habendam eſſe curam docet Rantzouius lib. 3. Com. bellicorum cap. 14. Hac de re ſupra in virtutibus belli Ducis.

Tertiò, *Non ſtatim prædandum.* Hac de re eſt ordinatio Imperij militaris in Comitijs Spirenſibus facta anno 1570. art. 20. *Nam ſæpè obſtitit vincentibus parum inter ipſos certamen omiſſo hoſte ſpolia conſectandi;* vt ait Tacitus 4. hiſt. & 17. Annal. *Sarmatæ*, ait, *cupidine prædæ graues onere ſarcinarum veluti vincti cedebantur.* Saxo Grammaticus de rebus Danicis, *Ne fatigetis milites opum onere, manus prælio deſtinatas, ac ſcitote triumphum ante carpendum quàm cenſum. Proinde auro ſpreto auri dominos inſequamini nec arbs, ſed victoriæ fulgorem miremini: meminiſſeq; vos decet, ſatius trophæum penſare, quàm quæſtum, prioremq; eſſe metallo victoriam.* Sæpè victores dum prædæ incumbunt, magnâ clade ſunt victi. Hinc Mithridates cùm fugaretur à Romanorum Duce Lucullo curauit aurum & argentum pretioſamque ſupellectilem ſpargi, vt Romanos victores occuparet, & occupatos ipſe inuaderet; ſed illi præda ſpreta eum ſunt inſecuti. Schytæ dum Cyri caſtra ſpoliant, à Cyro redeunte ſunt interempti cum ipſo Thomyris Reginæ filio.

Quartò, *Non negligentius propter victoriam agendum.* Ita omnes præcipiunt viri militares, ne victores incauti opprimantur. Hiſtri, vt refert Florus lib. 2. cap. 10. *Cùm Cnei Manlij caſtra cepiſſent, opimaque præda incubarent, epulantes ac ludibundos pleroſque, ac vbi eſſent præ poculis neſcientes, Appius pulcher inuaſit. Sic cum ſanguine & ſpiritu malè partam reuomuere victoriam. Ipſe Rex Apulo equo impoſitus, cum ſubinde crapula & capitis errore lapſaret, captum ſe vix & ægrè, poſtquam experrectus eſt didicit.*

Quintò, *Danda præmia.* De his poſtea, & de præda diuidenda.

Sextò, *Victoria Principi ſignificanda.* Ioab in oppugnatione vrbis Rabbath Dauidem Regem in caſtra accenſiuit, vt illi,

non

non ſibi, tam egregiæ victoriæ laus tribueretur, neve Regi ex ea re niuſus fieret, vt habetur 2. Regum cap. 12. Germanicus reportata inſigni de Germanis victoria congeſtis armis trophæum cum hoc titulo erexit, *Exercitus Tiberij Cæſaris ea monumenta Marti & Ioui & Auguſto ſacrauit*, vt ſcribit Tacitus lib. 2. Annal. de ſe nihil addidit, ſeu inuidiæ metu, ſeu inuidiam facti ſatis eſſe ratus. Agrippa omnium laborum ſuorum fructum & gloriam ſemper Principi detulit, quâ re beneuolentiam Auguſti maximè ſibi parauit, vt refert Dio Caſſius lib. 54. Contra verò Silius, cùm immodice iactaret ſuâ vnius authoritate legiones retentas non deſciuiſſe, quibus ſi cupido nouandi fuiſſet, non manſurum fuiſſe Tiberio Imperium, odio tandem à Tiberio habitus fuit, etſi ſeptem annis in Germania exercitui præfuiſſet. Illa iactantia cùm deſtrui fortunam ſuam Tiberius putaret, Silij obtrectatoribus aurem præbuit, eoque res deuenit, vt is imminentem damnationem voluntario fine præuerteret, vt videre eſt apud Tacitum loco citato.

Septimò, *Agenda Deo pro victoria gratiæ.* Vide pſalmum 143. Item cap. 5. Iudicum, vbi Debora & Barach canticum Deo pro victoria cantant. Et 1. Regum, Chorus fœmineus ex vrbibus Iſraël tripudiat. Et cap. 16. lib. Iudith, vbi Iudith Deo laudes pro deuicto Holoferne perſoluit. Et 2. Machab. Iudæi profligatis hoſtibus Deo gratias perſoluunt. Sic etiam Conſtantinus pro parta victoria voluit Aulicos & milites ſolemnibus precibus Deo gratias agere, vt ſcribit Euſebius in eius vita lib. 6.

Conceduntur etiam poſt victoriam triumphi, ignes ſuccenſi, ſolemnitates publicæ, gratulationes, & apud exteros Principes victoriæ ſignificationes.

CAPVT XI.

Quid poſt victoriam de Captiuis agendum.

Seruandi qui ſe dedunt.

CAptiui non vt facinoroſi cruciandi ſunt, ſed vt homines ſeruandi. Maior quippe ſeruati, quàm cæſi hoſtis, gloria eſt. Tunc verò ſeruandi potiſſimùm ſunt, cùm poſitis armis poſt pugnam ſeſe dedunt. Quod ſi obfirmato adhuc animo reſiſtant, ne arma ponant, vi cohibeantur, & occidantur. Nec viuere illi debent, quibus eſt ſæpiùs ignotum, & poſt veniam ad rebellionem redierunt. Aliàs qui victorem agnoſcit, clementem ac benignum experiatur. Neque enim in captiuum, cùm arma poſuit, ſæuire licet. Qui alterum capit, ſeruandæ vitæ fidem dat alteri. Eò nobilior eſt victoria, quò minùs ſanguinis effunditur, & hoſtis interim vincitur. Victi victoribus bona omnia debent, ſed victores victis vitam. Quod ſi Heros aliquis, Rex aut Princeps, aut belli Dux, aut è prima Nobilitate quiſpiam captiuus fiat, ſummâ humanitate, &, provt exigit eius conditio, tractandus eſt. Vt nimirum qui pugnantium inuictas manus expertus eſt, eorumdem poſt pugnam beneuolos animos, & humanitatem agnoſcat. Sanè plus aliquando poteſt victoris mens benigna quàm pugnantis manus armata. Et benigno Principi ſeruire iucundius eſt, quàm alijs imperare. Suos perdit, qui victos & iam deditos occidit.

Teſtimonia & Exempla.

AGeſilaus Rex Spartanorum ſolebat ſuos milites in concione admonere, ne captiuos vt facinoroſos cruciarent, ſed vt homines ſeruarent. *Maior quippe gloria eſt ſeruati, quàm cæſi hoſtis.* Vnde iure antiquo bello capti fiebant ſerui. Intelligo autem ſeruandos eſſe captiuos, cùm poſt pugnam ſeſe dedunt. Quod ſi verò obfirmato adhuc animo riſiſtant, occidi poſſunt. Vtrumque indicauit Virgilius hoc verſu:

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Singularis clementia in victos fuit Aureliani Imperatoris, qui cùm Thyana Bythiniæ vrbe obſeſſa forte per iracundiam dixiſſet, ſe nequidem canem in

ciuitate

ciitutae incolumem relicturum, cáque milites in ſpem prædæ erexiſſet, captá demum per Proditorem ciuitate, vnum Proditorem Heracleonem occidi paſſus, reliquis omnibus pepercit ciuibus, ac deinde militibus direptionem poſtulantibus, *Agite*, inquit, *canem negaui me relicturum, canes omnes occidite.* Seneca de Clementia: *Nulla in re alia homines magis imitantur Deum, quàm Clementiâ.* Fuit hoc ſymbolum Aureliani Imperatoris. *Quo maior, eo placabilior.* Et Ouidius lib. 3. Triſt. eleg. 5.

Quo quiſquam eſt maior, magis eſt placabilis ira
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Pugna ſuum finem cum iacet hoſtis habet.
At lupus & turpes inſtant morientibus vrſi
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Plinius lib. 7. Hiſt. Nat. cap. 16. Leoni, ait, tantùm ex feris clementia in ſupplices, proſtratis parcit, & vbi ſæuit in viros potius, quam in fœminas fremit, infantes non niſi magnâ fame. Philippus Macedo victis Athenienſibus non inſultauit, ſed iuſſit ob rerum humanarum conditionem, vt puer ſingulis diebus manè ſibi acclamaret, *Philippe homo es.* Sigiſmundus Imp. Laurentio Hungariæ Palatino ſibi exprobranti, quod victis hoſtibus non tantùm vitam & opes relinqueret, ſed eos etiam inter amicos reciperet, *Tibi*, inquit, *videtur vtile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat. At ego inimicum occido dum parco, & amicum facio dum extollo.* Crœſus à Cyro captus, cum videret Perſas Lydorum vrbes diripientes, Cyrum percunctatur, quid tanta frequentia agere properaret? Cui Cyrus, tuam vrbem diripere tuaſque opes abſumere. At Crœſus excipit. *Non meam vrbem, ſed tuam, non opes meas, ſed tuas diripiu: iam enim tua omnia iſta ſunt.* Vt refert Herodotus lib. 1. Alexander Magnus ſicut prœlio terribilis, ita parta victoria clemens fuit. Ario iuſtus tamen Dux Sequanorum, vt eſt apud Cæſarem lib. 1. Belli Gallici, Legatis Cæſaris reſpondit, *ius eſſe belli, vt qui viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent.* Similiter Pyrrhus dixit, *licere victori, quod liberet, in victos,* ſed illæ voces ſunt militares.

CAPVT XII.

An iuſta ſit hoſtium occiſio, ſpoliatio, bonorum direptio.

Licita ſunt omnia ad iuſti belli finem neceſſaria.

CVm Belli iuſtè ſuſcepti finis ſit, vel ſui ſuorumque defenſio, vel rerum amiſſarum recuperatio, iniuriæ illatæ vindicatio, & ſecuritas, tum ea omnia; quæ ad hos fines obtinendos neceſſaria ſunt, Iura omnia permittunt. Adeòque occidere, ſpoliare, deſtruere, in ſeruitutem redigere omninò fas eſt. Et occidere quidem omnes in pugna, donec ſe dedant; eos vero etiam poſt Pugnam ad mortem depoſcere, qui iniuriæ illatæ causâ extiterunt. Diripere hoſtium omnium bona, ciuitates eorum ac munitiones deſtruere, nouas excitare, obſidionibus premere. Si quæ hoſtium non fuerint bona, hæc vbi finitum eſt Bellum, ſunt reſtituenda. Inter hoſtes multi ſæpe ſunt innocentes, quia tamen hoſtilis Reip. ciues & membra ſunt, ſpoliari, & capi poſſunt. Hoc gentium Ius eſt. Externis ſeruanda incolumitas eſt. Priuari tamen armis, & eiuſmodi poſſunt rebus, quibus aduerſus nos hoſtis vteretur. Eodem gentium Iure prædæ omnes militum fiunt. Prædarum nomine, pecuniæ, veſtes, pecora, ſupellex, homines, & quæcunque auferri abducique poſſunt, cenſentur. In ijs diuidendis mos patrius ſeruetur, vt aut Duces pro meritis diuidant, aut tantum quiſque habet, quantum rapuerit. Ea vero iam recepta inter Chriſtianos conſuetudo eſt, vt qui Chriſtiani bello capti ſunt, mancipia victoris non fiant. Exigit hoc Religionis reuerentia.

Aliqui innocentes; & externi.

Præda.

Rationes allegatæ ſufficiunt.

Icita ſunt omnia ad iuſti belli finem neceſſaria: adeoque etiam innocentes, qui inter hoſtes, quia Reip. ſunt Ciues, capi & ſpoliari poſſunt. Sufficient rationes hoc capite allegatæ.

CAPVT XIII.

Quid de Exploratoribus ſit ſentiendum.

Exploratores vel ab Hoſtibus miſſi ſunt.

EXploratoribus, vt nota Hoſtium conſilia fiant, eſt opus. Eam ob cauſam mitti vtrimque ſolent. Igitur ſi ab hoſtibus ſint miſſi, & copias ſuas hoſtium copijs impares eſſe cenſeat Imperator, ſpoliari ilico & interfici curet. Si vero inſignem ac magnum habeat militum, armorum, rerumque omnium apparatum, exploratoribus illis ſuum exercitum oſtendat, incolumeſque dimittat. Nam hoſtes vbi res ſuorum aduerſariorum ſuperiores eſſe intelligunt, formidant; vbi inferiores, animos ſumunt maiores, & ampliùs confidunt. Quod ſi noſtri ſint Exploratores,

Vel noſtri ſunt.

mitti viri graues prudenteſque debent; & ſi ita res ferat, nonnunquam Legationis prætextu. Quippe vulgares illi homines vulgaria tantum obſeruant ac renuntiant, nec raro ſi quæ conſilia ſciant, effutiunt. Variâ autem vti aſtutiâ exploratores ſolent, qui vel transfugas, vel nuntios ſeſe ſimulant, & modis non vſitatis aut per litteras, aut per ſigna alia, quod volunt, ſignificant, ſingularique artificio, ſi quæ ferant, occultant. Cæterùm vt Hoſtium exploratores noſcantur, Stratagematibus quibuſdam eſt opus. Qui ſuſpecti ſunt, iubeatur ſuum ordinem, vexillum & cohortem nominare; ſi hæreant, in vincula conijciantur. Aliquando mandet Imperator, vt ſuis in armis ſinguli adſint, facilè exploratores deprehendet. Si inter Lixas & Calones verſentur, eos examinari curet, qui noti non ſunt.

Authoritates & Exempla & Documenta.

DVx belli multos habere oculos debet, & multas aures, vt Xenophon de Cyro, ait, hoc eſt, multos fidos homines, per quos, quid apud hoſtes agatur, cognoſcat. Romani prætextu Legationis apparatum Antiochi explorarunt, vt eſt apud Polybium lib. 3. Galli etiam Legatos ad Antigonum Macedoniæ Regem miſerunt, qui ipſi venalem pacem offerrent, ſimulque caſtra ſpecularentur. Cyrus, teſte Xenophonte lib. 16. miſit & inſtruxit Araſpam, & aliquot miſit Indos ad Aſſyrium explorandum. Iulius Cæſar per exploratores Heluetiorum conatus cognouit, vt de ſe teſtatur lib. 1. de Bello Gallico. Q. Sertonius cum aduerſus Cimbros cum Caio Mario in caſtris eſſet, mutatâ veſte in Cimbrorum caſtra penetrauit, vt illic hoſtium conſilia atque ordines obſeruaret, nimis magno periculo id agere aggreſſus, quod per alios vilioris fortunæ homines minori Reip. periculo aſſequi potuiſſet. Scipio Africanus cùm aduerſus eum Aſdrubal & Syphax ingentes exercitus duxiſſent, ſub prætextu tractandæ pacis ſæpiùs ad Syphacis caſtra Oratores mittendo pro ſeruis Tribunos cum ijs mittebat, vt Syphacis caſtra atque eorum formam diligentius ſpecularentur, vt habet Fulgoſius lib. 7. cap. 4. Matthias Rex Hungariæ, cùm Suabacium oppugnaret habitu gregarij militis cum accenſo & remige tantum Cymbam aſcendit, & vt propugnacula propius exploraret, ſub mœnibus in Sauo amne omnia luſtrauit, teſte Bonfinio lib. 3. rerum Hungaricarum. Saladinus Ægypti Sultanus cùm anno 1180 accepiſſet à Chriſtianis ingentem exercitum comparari, vt aduerſus eum in Orientem traijcerent, cum duobus Comitibus & tribus Miniſtris, vt belli apparatum videret, in Græciam, Galliam & Hiſpaniam pene-

penetrauit, perſpectiſque hoſtium viribus ad reſiſtendum multo fuit audacior. Ita habet Fulgoſius lib. 9. cap. 8. Ex Dei mandato miſit Moyſes 12. exploratores ad terram Chanaam cognoſcendam, vt habetur Numerorum 13. Item qui explorarent Iazer cap. 21. Et Ioſue ſpeculatores duos ad explorãdam vndiq; & cognoſcendam vrbem Iericho miſit, ijque à meretrice Rahab ſeruati ſunt, vt habetur Ioſue cap. 2. Præceptum autem Politicorum eſt, *caute adminiſtrandam eſſe explorationem*, ne nimirum nobis noceamus, nocere dum hoſti volumus. Capti enim aliquando & tormentis ſubiecti ſecreta noſtra prodere coguntur. Deinde mittere peritos oportet. Sic Ioſue miſit Geometras. Agamemnon apud Homerum, Vlyſſem & Diomedem Heroas inſignes. Quomodo oporteat exploratores circumuenire docet Polyænus lib. 1. *Pompiſcus*, inquit, *quo citius exploratores hoſtium caperentur paucas vias habebat, ad quas in excelſo loco caſtra ponebat, ſuſque qui prædatum exirent, præcipiebat vt via trita exirent*. Exploratores has vias cauentes, quaſi perſpicuas, celeriter capiebantur. Chares ſuſpicatus in exercitu ſuo exploratores verſari, præſidium foris collocauit, mandauitque vt vnuſquiſque proximum apprehenderet, neque ante dimitteret, quam dixiſſet; quiſnam eſſet, & cuius ordinis. Ita factum eſt, vt caperentur exploratores, cum neque ordinem, neque manipulum, neque ſignum indicare poſſent, vt idem habet Polyænus lib. 3. Et idem lib. 1. Theognis exploratores eſſe in caſtris ſubodoratus, extra vallum præſidio conſtituto mandauit, vt quilibet in ſuis armis permaneret: cumque diuiſi ac diſtributi eſſent facile exploratores deprehendit.

TITVLVS XI.

De Seditionibus Militaribus.

CAPVT I.

Quænam ſint Militarium Seditionum cauſæ.

Stipendium negatum vel dilatum diutius.

PRIMA ac potiſſima militarium ſeditionum cauſa eſt ſtipendium negatum, vel diutiùs dilatum. Quippe nulli laborum ſuorum memores ſunt magis, quàm milites. Iis cùm laborum memoriam vel loca, vel vulnera reducunt, facilè in tumultum concitantur; & quibus durum eſt vitam ſuam ac ſanguinem leui nummo in dies vendere, gratis ſe conſumi ac perire non patiuntur. Huic cauſæ annecti illa poteſt, cùm milites minora ſuis laboribus ſtipendia animaduertunt, ac præter ſtipendia, aliud nihil habent.

Tædium Militum.

Secunda, eſt tædium quoddam ac faſtidium militum, quod tum exoritur, cùm multis cladibus ſe minui, longiſque nimiùm bellis ac continuo in ijs labore conſumi ſe vident. Tunc enim miſſionem petunt; ſi non obtineãt armis quærunt. Et augetur hoc malum, cùm non iuſtam belli cauſam milites animaduertunt, Duceſque ſuos iuſtitiæ & pietatis oblitos per fas ac nefas ruere. Quippe tunc vindictam aliquam timent, & dum magnum exorſi ſunt ſcelus, magno timore concutiuntur.

Dux odioſus.

Tertia eſt, Dux Exercitus odioſus, nimiâ nempe ſuperbiâ aut ſæuitiâ. Propter hanc cauſam ſegniter Primò ac contumaciter omnia milites

Otioſus & mollis exercitus. agunt: deinde Ducis voluntati renituntur, & eundem execrantur: imò etiam vinci propter ipſum malunt, quàm vincere.

Quarta eſt, Otioſus & delicatus nimiùm exercitus. Milites enim aſperitate inſoliti laboris, quem in expeditionibus neceſſe eſt ſuſtinere, offenſi, & prælium metuentes, dum armorum exercitia declinant ad ſeditonem, repentinâ audaciâ concitantur.

Æmulatio diuerſarum Nationum. Quinta, Æmulatio diuerſarum in Exercitu Nationum, quâ vel fortitudinis, vel peritiæ rei militaris palmam referre contendunt. Cùm enim mixtus ex diuerſis Nationibus Exercitus difficillimè regatur, tum ad ſeditiones facilè mouetur. Et hinc graue aliquando exercitui diſcrimen imminet; & cùm mixtus eiuſmodi exercitus diffidere incipit, concordiæ vix vlla ſpes eſt.

Teſtimonia & Authoritates.

PRIMA eſt *ſtipendium negatum vel dilatum diutius.* Sic Iphicratis Athenienſium Ducis exercitus, quod ſtipendia non ſoluerentur, mouit ſeditionem. Imò hodie militares omnes ſeditiones hâc vnâ causâ concitantur.

Secunda. *Tædium militum.* Sic exercitus Cæſaris in bello Pharſalico contra Pompeium, vt eſt apud Lucanum lib. 5. miſſionem petebat à Cæſare, quia vbique atterebatur & conſumebatur. Eodem modo in Aſia contra Lucullum tumultuati milites ſunt tædio longinquæ militiæ, vt videre eſt apud Appianum in bello Mithridatico & Ciceronem pro lege Maniliâ.

Tertia *Dux otioſus* nimirum propter ſuperbiam, aut ſæuitiam. Ita cum Appius Claudius in Volſcos miſſus eſſet ſua ſuperbia & ſæuitia in ſeditionem eiuſmodi concitauit exercitum, vt milites omnia ſegniter, otioſè, contumaciter agerent, Duciſque voluntati renitterentur, adeo vt ſi citius agi vellet agmen, tardius ſedulo incederent; ſi adhortator operis adeſſet, omnes ſponte induſtriam remitterent; præſentis vultus dimitterent, prætereuntem execrarentur, imò etiam educti in pugnam, qui vincere poterant, vinci volebant.

Quarta. *Otioſus & mollis exercitus.* Verè enim dixit Lucanus,

Detegit imbelles animos nil fortiter auſa Seditio.

Quinta. *Æmulatio diuerſarum nationum.* Sic cum in Proteſtantes Germaniæ bellum mouiſſet Carolus V. vt ſcribit Auila Hiſpanus, exorta ſeditio eſt, inter Hiſpanicam gentem & Germanicam ab æmulatione fortitudinis & peritiæ rei militaris, quâ vna alteri præſtare volebat, adeo vt graue diſcrimen imminere exercitui, & ad certamen ſeſe pararent, donec Dux primarius ſeſe interpoſuit, & vtrimque ſuccenſam flammam blando ſermone extinxit. Attamen Alexander Magnus, vt Macedonum Militum ſeditiones comprimeret, Duces Perſicos iis præpoſuit, & numeros extenuatos de Perſis repleuit. Licet autem ea mutatione mixtum haberet exercitum, obſequentem tamen ſibi fecit. Cæterum ſi diffidere talis exercitus mixtus cæperit vix ſpes vlla eſt reconciliationis, vt ait Polybius.

CAPVT II.

Aliæ occaſiones Seditionum, & quomodo creſcant.

Variæ occaſiones. CAuſæ illæ quidem, ſed aliæ quoque eſſe occaſiones ſolent. Atque inprimis cùm aliquo in loco frequens ac copioſus exercitus non ad pugnam, ſed ad otium conuenit. Otioſi milites facilè ad ſeditiones prauaſque cogitationes ſeſe adiungunt. Diende cùm nouus eſt Princeps, turbarum licentiam adferre videtur, ac tunc potiſſimùm, ſi leuis aliquia adſit

adſit cauſa. Præterea cùm ſpes eſt obtinendorum per vim præmiorum, aut prædarum, aut etiam impunitatis. Nonnunquam mera militum malitia ſeditionem ac tumultum mouet.

Porrò cùm à paruis non rarò initijs, ac inter paucos ſeditiones oriantur, tum per aliorum adiunctionem creſcunt. Quippe facilè alij adueniunt, dum ſibi inultum eſſe quicquid multi peccant, perſuadent. Et cùm omnes licentiâ liberiores fiant, tum milites ſi ſuam audaciam initio non reprimi animaduertant, omni metu ſoluuntur, & inchoatum malum augent. Accedit quod excuſſum militaris diſciplinæ iugum libertaſque multos inuitet; maior item abundantia rerum omnium per excurſiones liberrimas direptarum. Denique cùm ſemel ob cauſam infirmam ſeditio erupit, plures aliæ confeſtim accumulantur, falſæ etiam confictæque. Nam qui iuſtâ causâ laborant, vt ſeſe tueantur, quiduis facilè confingunt. Quod ſi Dux aliquis aut Miles adſit eloquens, vix natam aliquam, & adhuc latentem ſeditionem mirum quantùm accendit & auget. Semper pauci ſunt, qui dum vitiorum ſcelerumque impunitatem ſperant, peccare cum pluribus amant, & ad contumaciam pari conſenſu multitudinem trahunt. *Quomodo creſcant.*

Authoritates & Documenta.

INprimis cum otioſus eſt miles in frequenti & copioſo exercitu, vnde monet Leo Imp. *vt frequens exercitus nunquam in vnum locum cogatur, niſi hoſtes immineant*, Otioſi enim milites ad ſeditiones & peruerſas cogitationes ſeſe adiungunt. Quod ſi tamen neceſſarium ſit, vel luſtrationis, vel alterius rei gratia, id fieri maximâ celeritate debet, vel diuidendæ copiæ, vel rebus bellicis occupandæ. Aliæ occaſiones hic numerantur; & quomodo ſeditiones creſcant, docetur, potiſſimùm verò per adiunctionem propter ſpem impunitatis, nam vt ait Lucanus,

—*Quicquid multis peccatur, inultum eſt.*

CAPVT III.

Remedia contra Seditiones militares.

VBi minima ſeditionis exortæ ſunt ſigna, adhibenda ſtatim ſunt remedia, & malo occurrendum.

Primum verò eſt, vt cùm armatâ ſeditione ſtipendium petitur, ſolutio præſtetur. Et hæc tum acceleranda eſt, cùm externus eſt Miles, nullo in patriam affectu permotus, quam vel idcircò ampliùs deuaſtat. Malè Principes audiunt, qui ob negatum ſtipendium rebelles ac ſeditioſos habent. *Solutio ſtipendiorum.*

Secundum eſt, vt cùm adhuc ſeparati ſunt milites, arctiſſimâ ſeueritate ſuis in præſidijs ad omnem diſciplinam contineantur. Inſpiciantur eorum arma, exerceantur in campo, ad nomen, ad ſigna diligenter obſeruent. Ita fiet, vt laborioſis exercitijs occupati, prælium, quàm otium malint, nec de tumultu cogitent. Prudens Imperator turbulentos, ſi qui ſint, ſingulis in legionibus cognoſcat, eoſque cautè ſeparet, & ad munus aliud ipſis non ingratum ableget. Sed opus eſt aſtuto conſilio, vt cùm abijciantur, electi tamen ad aliud videantur. *Arcta diſciplina in præſidijs.*

Tertium eſt, vt venturi aut præſentis iam hoſtis timor injiciatur. Facit enim ille ſollicitos, & vt de tumultu minimè cogitent, cùm in diſcrimen venit ſalus. Iubeat Imperator properè ad arma vocari cùm tumultus eſt ſuſpicio, ac mox aduerſus hoſtem omnes conſentient. *Iniectus hoſtium timor.*

Quartum eſt imperterritus Ducis animus ac vultus, quo ille ſeditioſam militum audaciam nequaquam ſe reformidare oſtendat; imò etiam accu- *Dux imperterritus.*

ſet, exprobret, contemnat. Ita plerumque fit, vt milites ad officia redeant timore perculſi.

Nocentium punitio.

Quintum eſt, vt nocentes ſeu tumultus auctores confeſtim puniantur. Hoc verò quia difficile eſt, id agat Imperator, Venire eos coram ſe iubeat, ſed vnâ etiam innocentes, vt non accerſiti propter culpam nocentes videantur. Ita fiet, vt ſegregari ad pœnam poſſint, dum eos qui integrâ conſcientiâ ſunt, ne illorum fugâ inquinentur, cuſtodient.

Auctoritas & Eloquentia viri præſtantis.

Sextum eſt, vt viri aliqui auctoritate & eloquentiâ præſtantes ad ſeditioſos mittantur, quos ad officium ſtudeant reuocare. Id verò potiſſimùm fieri initio debet. Nam incipiens & nondum adulta ſeditio melioribus conſilijs flecti facilè poteſt: & quemadmodum leui de cauſa nonnunquam naſcitur, ita verbo vno non rarò comprimitur.

Vis armata.

Septimum eſt, vt ſi compeſci nullo ex ſupradictis remedio ſeditio poſſit, bello certetur, & arma in ſeditioſos moueantur; ita tamen, vt initio dum metus iniicitur, ſimul ſpes veniæ aliqua relinquatur, & meliora cogitandi ſpatium detur.

Quæſtiuncula.

Quid ſi pœnitentiâ ducti ſponte ad Principem reuertantur? Tunc ſanè omni clementiâ ac lenitate ſunt recipiendi, nec ſæuiendum. Auctores puniri poſteà, ſed cautè, poterunt, ne agere contra exhibitam anteà lenitatem Princeps videatur.

Monita duo.

Addo extrema hæc monita. Primum eſt, vt homines quoſdam ambitioſos, qui ſpei nihil niſi per diſcordias habent, in exercitu ſuo Imperator non partiatur. Alterum eſt, vt initio ſeditionis blandis verbis ac pramijs aliquos ad ſe allicere conetur, vt per eos totum ſeditionis conſilium cognoſcat.

Teſtimonia & Documenta.

PRimum eſt *ſolutio ſtipendiorum*, hæc enim iuſtè debentur, ac tum ſunt acceleranda cum externus eſt miles, ne patriam non ſuam deuaſtet.

Secundum eſt *arcta diſciplina*. Hoc remedium ſuggerit Vegetius lib. 3. cuius hoc capite rationem attulimus.

Tertium eſt *iniectus hoſtium timor*. Sic Lucius Scylla cum legiones ciuiũ Romanorum pernitioſa ſeditione ſæuirent nunciati propere iuſſit hoſtem adeſſe, & ad arma vocantium clamorem tolli, ſignaq́ue canere vniuerſis aduerſus hoſtem ſtatim diſcuſſa ſeditio eſt conſentientibus.

Quartum eſt *Dux imperterritus*. Ita Cæſar cum eius quædam legiones ſeditionem mouiſſent & viderentur contra eum ſurrecturæ diſſimulato metu proceſſit ad milites, poſtulantibuſq́ue miſſionem vltro minaci vultu dedit grauiter increpando, & vt abirent concedendo. Ita exauctoratos pœnitentia coëgit ſatisfacere Imperatori, obſequentioreſq́ue in reliquum operas edere.

Quintum eſt *nocentium punitio*; quæ quia difficilis videtur, imitari oportet Pompeum, qui trucidato ab exercitu Mediolani Senatu, ne tumultum moueret, ſi ſolos nocentes euocaret, venire etiam cum ijs innocentes iuſſit, ita noxij minore cum metu, quia non ſegregati ideoque non ex cauſa culpæ videbantur accerſiti, comparauerunt, & illi quibus integra erat conſcientia cuſtodiendis quoque nocentibus attenderunt, ne illorum fuga inquinarentur.

Sextum *authoritas & eloquentia viri alicuius præſtantis*. De ea iam aliquoties dictum eſt, cuius tanta vis eſt, vt commotos ſedare animos poſſit.

Additur poſtremo *vis armata*. Sic Romani ſeditionem ſeruorum & gladiatorum vi armata fregerunt. Aliquando retinere milites in eo loco, vbi inſigni flagitio ſtatuerant ſeditionem confirmare, eſt ſeditionem tollere. Sic A. Manlius Conſul cum comperiſſet coniuraſſe milites in hybernis Campaniæ, vt iugulatis hoſpitibus ipſi res eorum inuaderent, rumorem ſparſit, eo loco eos hybernaturos atque ita coniuratorum turbato conſilio Campaniam periculo liberauit, & ex occaſione nocentes puniuit.

TITV-

TITVLVS XII.

De Diſciplina, Prœmijs, & Pœnis Militaribus.

CAPVT I.

In quo conſiſtat Diſciplina Militaris.

In moribus, præmijs & pœnis.

TENACISSIMVM Militaris Diſciplinæ vinculum præcipuum decus eſt & Imperij ſtabilimentum. Ea verò in Moribus. Præmijs, ac Pœnis conſiſtit. Boni mores non minùs bello, quàm pace ſunt curandi; quod in ijs totius exercitus ſita ſit ſalus. Prœmium & Pœna duo ſunt omnis diſciplinæ fulcra. Excitantur præmio, qui boni ſunt; coërcentur pœnâ, qui mali. Cùm verò in tutela diſciplinæ militaris, atque in eius quodammodo ſinu ſerenus tranquillusque beatæ pacis ſtatus conquieſcat; imò etiam ea lapsâ Reſp. Imperium amittatur, conniti omni modo belli Duces debent, vt antiquæ militiæ diſciplinam, quantum hæc tempora patiuntur, reuocent. Nam ea omnem in Caſtris & Exercitu viuendi rationem continet, quæ ſi neglecta ſit, nulla vis eſt in militum numero aut robore.

Teſtimonia & Authoritates.

CONSISTIT in moribus, prœmijs, pœnis. Alexander Seuerus apud Lampridium, *Diſciplina maiorum*, inquit, *Remp. tenet, quæ ſi dilabitur, & nomen Romanum & Imperium amittemus. Imperij militaris*, vt ait Valerius Max. lib. 2. c. 7. *præcipuum decus & ſtabilimentum eſt diſciplina tenaciſſimum vinculum.* Ea antiquis Romanis antiquior fuit charitate liberorum l. poſtliminium 19. §. filius ff. de captiuis & poſtlimin. reuerſ. *In eius ſinu & tutela ſerenus tranquilluſq; beatæ pacis ſtatus conquieſcit*, vt ibidem habet Valerius Max. An autem noſtro ſæculo exſpectandus ſit exercitus aliquis benè diſciplinatus, diſputat Scipio Amiratus lib. 1. diſcurſuum cap. 4. Diſciplinæ militaris vim indicat Franciſcus Patricius dialog. 6. de Hiſt. dum ait, *omnis vis copiarum conſiſtit, aut in militum diſciplina, aut numero, aut robore.* Iuriſconſultus l. 12 ff. de re militari, dicit eam conſiſtere in danda & obſeruanda ratione viuendi. Lipſius autem lib. 5. Polit. cap. 13. In ſeuera conformatione militis ad robur & virtutem, eiuſque partes ſiue munia facit quatuor, exercitium, ordinem, correctionem, exempla.

CAPVT II.

Quid circa Mores militum ſit attendendum.

Attendendum ad Cibum, potum, voluptates, furta, veſtitum, ſermonem, munditiem.

DIximus iam ſuprà. Morum diſciplina in cibo, potu, voluptatibus moderandis, furtis, cauendis, veſtitu, ſermone, munditie eſſe debet. Cibus & potus ſit, qui parari facilè poſſit, ſine luxu. Voluptatibus aut libidinibus non frangantur. Lex ſeuera contra militum furta ſit, & illam pœna ſanciat. Annonâ ſuâ milites ſint contenti, nec furentur, ſed in hoſtium agris prædentur. Non enim popularibus, ſed hoſtibus graues eſſe debent. Veſtitus ſplendidus ad opera militiæ ſegnes facit, & pro eo timetur. Aliquando tamen vſui eſſe armorum ſplendor poteſt. Sermo ſit cum modeſtia coniunctus Mundities ſumma in caſtris ſeruetur, eaque contra luem & contagionem.

Teſtimonia & Exempla.

ATtendendum ad cibum, potum, voluptates, furta, veſtitum, ſermonem, munditiem. Scipio publico edicto exire omnes caſtris iuſſit, qui cibos delicatiores importarent & venderent. Et in Bello Numantino ſub grauiſſima pœna iuſſit omnes, qui clinodia aliaque delicatiora venderent, ocyus caſtris excedere, neque vnquam reuerti, niſi adducerent frumenta, vt habet Boterus lib. 9. Antiqui Romani lardo & pane vtebantur. Turcæ etiam hodiè vino abſtinent, & cum oriȥæ copia eſt, facile pane carent. Si deſit oriȥa, puluere, quem ex ſalita carne commolita ſecum ferunt, ſeſe ſuſtentant. In aquam enim calidam immittunt, pulueremque inde corporibus roborandis efficacem conficiunt. Barbari aliqui populi ſunt, qui equorum ſanguine & carne paſcuntur. Olim etiam apud Romanos iurabant milites omnes ſe nihil furto ſublaturos è caſtris; ſi quid inuenirent, ad Tribunum allaturos. Lex ſeuera fuit, *Nemo pullum rapiat*. Ne ſit veſtigium, vt pacato nocuiſſe putetur, vt habet Frontinus lib. 4. Strateg. cap. 3. vbi narrat pomiſeram arborem, quam metatio caſtrorum complexa erat, poſtera die intactis fructibus manſiſſe. Formam iuramenti vide apud Gellium lib. 16. cap. 4. Teſtatur Suetonius in Tiberio cap. 60. quod Tiberius capite puniuerit militem, qui pauonem furto ſuſtulerat. Peſcennius autem ob vnius gallinacei direptionem decem commanipilares, qui raptum ab vno commederant, ſecuri percuti iuſſit, vt videre eſt apud Spartianum in Peſcennio

Quod attinet ad veſtitum, vt ait Ennius,

—— Horrida miles amatur.

Chares cum ſordida tempeſtate videret milites ſigniter opus facere, quod veſtibus parcerent, iuſſit eas commutare inter ſe, & cum nemo alienorum veſtimentorum rationem duceret celeriter opus abſolutum eſt. Peſcennius Niger Imp. nolebat à milite aurum & gemmam in aciem apportari, ne hoſtis prædæ cupidine inflammaretur. Et Darius, teſte Curtio lib. 5. dicebat, bella geri, non auro, neque diſcolori veſte. In factis quoque modeſtia eſſe debet, vt ſint milites obedientes, non curioſi, non refractarij. Nam, vt inquit Braſidas optimus Dux apud Thucydidem, *Tria ſunt bonæ militiæ capita, velle, vereri, obedire.* Peſcennius niger teſte Spartiano in eius vita, cum apud Ægyptum ab eo Limitanei milites vinum peterent, *Nilum*, inquit, *habetis, & vinum quæritis?* Idem tumultuantibus ijs, qui à Saracenis victi fuerant, & dicentibus, *vinum non accepimus, pugnare non poſſumus.* Tum ille, *Erubeſcite*, inquit, *illi qui vos vincunt, aquam bibunt.* Beliſarius cum ad recuperandam è Gothorum manibus Italiam à Iuſtino Imperatore miſſus eſſet, adeo ab omni maleficio milites continuit, vt ad fructus ex arboribus decerpendos in via nec quidem manum extenderint, nec in opacum locum pabulatum aut frumentatum iuerint, vt habet Aretinus lib. 3. de Bello contra Gothos. Illum imitatus fuit ſuperioribus annis Comes Schwartzembergicus in expeditionibus Hungaricis. Aurelianus Imp. in Epiſtola ad Vicarium ſcripta, *Si tribunus*, inquit, *eſſe vis, aut potius ſi tibi vt viuas cura ſit, fac militum manus ab alieno contineas. Nemo alienum pullum rapiat, alienam ouem tangat, ab aliena vinea vuam decerpat, aliena ſata conculcet; oleum, ſalem, ac ligna petat; taxato ei commeatu contentus maneat, prædaq́; hoſtium, non lachrymis ſubditorum alatur.* Apud Flauium Vopiſcum in vita Aurelij.

Summi etiam Imperatores libidinem in caſtris impediuerunt. Antigonus teſte Frontino lib. 4. cap. 1. *Cum filium ſuum diuertiſſe audiſſet in eius domum, cui tres filiæ inſignes ſpecie eſſent, audio*, inquit, *fili anguſtè habitare te pluribus Dominis domum poſſidentibus, hoſpitium laxius accipe: iuſſoq́; commigrare edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus hoſpitio matrisfamiliæ vteretur.* Q. Metellus contubernalem filium habere noluit, ſed in ordine eum mereri.

Erat etiam ea cura munditiei olim in caſtris, vt caſtra mundiſſima eſſent, nam plateæ aſpergebantur, & verrebantur, nimirum contra luem & contagionem. Stephanus Poloniæ Rex cum Dantiſcum obſideret, hortis amœnioribus & frugiſeris ita pepercit, vt ſub grauiſſima pœna militibus interdixerit, ne quam arborem læderent, vt refert Kekermannus. Adeſſe ad hæc omnia exercitatio debet, quæ facit, vt victorioſi ſint exercitus; cum non tam bellum ſit mul-

multitudinis, quam ordinis, exercitij, diſciplinæ. Et hinc Xerxes querebatur habere ſe multos homines, ſed paucos viros. Alexander Magnus tantas res triginta ſex millibus militum exercitatiſſimorum peregit, Cyrus initio quatuordecim tantùm millibus. Epaminondas quatuor millibus, ex quibus erant quadringenti equites Lacedæmoniorum peditum viginti quatuor millia, & equitum mille ſexcentos vicit.

CAPVT III.

Quia Militum ſint præmia.

Militaria olim præmia torques erant, armillæ, phaleræ, haſtæ, coronæ, & id genus. Hodie mos ille exoleuit; præmia ex belli Ducis arbitrio pendent; & hæc vel ex præda ſoluuntur, vel ex Principis Ærario. Nam ſtrenuiſſimis proponi aliquando vis aliqua argenti vel auri ſolet. Præterea maxima virtutis egregiæ præmia in Bello eſſe ſolent militates Magiſtratus. Vnde qui fortiter ac ſtrenuè rem gerunt, ſi milites ſint, euehi ad militaria officia debent, ad quæ aditus virtuti clauſus eſſe nunquam debet. Si verò iam aliquo officio in exercitu fungantur, ad altius euehantur. Nihil militum induſtriam meliùs alit, quàm officij alicuius adipiſcendi ſpes. Nec ſatis æquum eſt, nullâ eos ornari dignitate, quorum cum periculo vitæ ſingularis emicuit in bello virtus. Poſſunt etiam Principes præmij loco Nobilitatis inſignibus aliquem donare, aut ſi Nobilis ſit, excelſioris dignitatis titulo ornare. Bene ac vtiliter militauiſſe ſe putant, qui ſuâ virtute ſuam familiam illuſtrauerunt. Publicæ quoque laudationes, teſtimonia, & honores ad ſempiternam memoriam decreti, munera Regia, mirum quantum virtutem in militibus excitant, & laborem promouent. Etiam qui inopes ſunt & fortunæ tenuioris, donari cenſu aliquo annuo, cùm ſingulare facinus ediderunt, à Principibus poſſunt. Nullum miles periculum reformidat, cùm propoſitam ſibi gloriam, ac non paruam vtilitatem videt.

Varia rei militaris dandorum præmiorum.

Teſtimonia & Exempla.

Varia præmiorum dandorum ratio hic exponitur. Frontinus lib. 4. c. 3. *Neceſſe eſt acrius ille dimicet, quem ad ſpes, ac dignitates ordo militiæ, & Imperatoris iudicium conſueuit euehere.* Et Liuius lib. 4. *Eo impenditur labor ac periculum, vnde emolumentum ac honor ſperatur.* Apud Athenienſes quotannis in feſtis Februarij, & publico funere laudibus fuere celebrati, qui in bello pro Rep. cecidiſſent, Lege etiam cautum fuit, vt ijs, qui pro patria pugnando cecidiſſent ex publico funus fieret, & in frequentiſſima Ciuium coronâ laudarentur: ſed & illorum filij in Pritaneo publicis ſumptibus alebantur, & ad ætatem vſque iuſtam inſtruebantur. Ariſtoteles in Politicis, & Bodinus lib. de Rep. cap. 8. tradunt omnibus Græcorum Ciuitatibus commune fuiſſe, vt liberis eorum, qui pro patria occubuiſſent, victus de publico daretur. Inde ſunt apud Romanos tot munera, altiores ordines, ſtipendia aucta, arma gentilitia, cingula militaria, vxilla, haſtæ, armillæ, phaleræ, torques, annuli, publicæ laudes, tituli, triumphi, ouationes, coronæ, & id genus innumera. Cic. lib. 1. Officiorum, *Quæ magno animo*, inquit, *fortiter & excellenter geſta ſunt, ea neſcio quomodo quaſi pleniore ore laudamus.* Et vt ait Imp. Iuſtinianus in inſtitut. *Hi qui pro Rep. ceciderunt in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur.* Et Poëta.

Indyta mors vita eſt, ingloria vita ſepulchrum.

Alexander Seuerus non tantùm militum ſuorum promotiones procurabat, ſed vxorum etiam & liberorum eorum, qui ſtrenue pugnando occubuerant, ſe rationem habiturum promiſit, quo ipſo erecti milites nec ferrum, nec flammas

metuebant, teſte Lampridio in eius vita. Optimum eſt prædam æqualiter diuidere. Hinc Dionyſius lib. 7. *Scitis omnes, quod ſpolia & præda ex hoſtibus, quamcunque virtute noſtra adipiſcimur, eam lex iubet publicam omnem eſſe.* Lycurgus quidem ſpoliare hoſtes vetuit, ne milites diteſcerent, pugnamque omitterent, cùm tamen potius militibus ſtimulum pugnandi ademerit.

CAPVT IV.

Quænam ſint pœnæ Militares.

PVniendis militum delictis militaris optimè diſciplina conſeruatur. Vt autem pares delictis pœnæ inferantur, attendi delicta ipſa debent. Hæc vel propria ſunt, vel communia. Propria ſunt, quæ quis vt miles admittit; cùm nimirum contra militarem diſciplinam, aliter quàm deberet, agit. Communia ſunt, quæ plurium ſunt, vt legionis vnius, vel exercitus totius. Pœnæ quoque vt olim variæ, nec omnes in vſu ampliùs, ita hodie etiam variæ ſunt. Maxima pœna capitis ſupplicium eſt. Minores aliæ ſunt caſtigatio, mulcta pecuniaria, Militiæ mutatio, gradus & officij amiſſio, ignominioſa miſſio, ſtipendij ad tempus priuatio, armorum ſpoliatio, aliaque id genus. Capitis pœnâ puniri ſolent deſertores, Centuriones ſtatione deſertâ, qui in acie primus fugam cœperit, propter exemplum; contumaces, qui Ducum & Centurionum edicto parere nolunt. Denique qui id facit, quod ſub capitis pœna à Duce prohibitum eſt, etſi ſit leue. Cæteræ pœnæ pro iudicio prudentiaque Ducum delictis inferuntur. Id verò caueant, ne puniendo modum excedant. Modus pro Nationum diuerſitate plerumque diuerſus ac varius eſt. In remunerando virtutis ac meritorum habenda ratio eſt, non in iudicando aut puniendo. Imperatorem timere milites debent, non hoſtem.

Pœna maior Capitis, aliæ minores.

Teſtimonia & Exempla.

VNa maior eſt capitis, aliæ minores. Variæ olim hæ fuerunt & etiamnum ſunt, quemadmodum hic docemus. Milites Pertinacis Imperatoris à Seuero recincti & exauctorati ſunt, quod Pertinacem turpiter & flagitiosè occidiſſent, vt videre eſt apud Herodianum in vita Seueri. Præcepit enim militibus ſuis, vt recingerent milites Pertinacis & Ronis ac veſtibus exutos militaribus nudos dimitterent. Auguſtus Cæſar hordeum pro tritico militibus dari iuſſit. Nam, vt tradit Fulgoſius lib. 2. cap. 2. Si cohors aliqua vel in acie locum deſeruiſſet, aut quæ mandabantur, tranſgreſſa eſſet, decimum quemque mulctabat, reliquos ad empto frumento hordeo paſcebat. In nonnullos quoque centuriones, haud ſecus, quam gregarios milites, capitali pœna animaduertit. Equitem Romanum, qui pollices duobus filijs in manibus ſecuerat, vt hoc modo à militari munere excuſarentur, ipſum bonaque eius haſtæ ſubiecit. Tiberius animaduerſionum & ignominiarum genera ex antiquitate repetijt, vt tradit Suetonius in eius vita cap. 19. Aurelianus, vt eſt in eius vita apud Vopiſcum, militem, qui adulterium cum hoſpitis vxore commiſerat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, eaſdemque ſubito dimitteret, vt ſciſſus vtrimque penderet, quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Ita militibus terrori erat is Imperator, vt poſteaquam ſemel cum ingenti ſeueritate caſtrenſia peccata correxit, nemo peccauerit. Alexander Imp. Seueri nomen à militibus accepit. Is timultuantes legiones exauctorauit; in milites autem grauiſſimè animaduertit, qui forte incurrerant aliquid, quod iniuſtum videbatur, vt teſtis eſt Lampridius in eius vita. Sic in præſentia ſibi reuerentiam, apud poſteros ingentem gloriam comparauit. Iulianus, cùm aduerſus Perſas bellum gereret, & tres cohortes à paruo hoſtium numero in fugam compulſæ eſſent, decem à quibus fuga incepta erat, militia exauctoratos capite mulctauit.

Epami-

Epaminondas Thebanorum Dux cum magno in periculo vigilias circumiret, vigilem quem dormientem inuenerat, gladio tranſfixit, aſſerens, *hominem mortuum inueni, mortuum reliqui.* Ita Plutarchus in Parallelis. Idem fecit Pyſiſtratus Athenienſium Tyrannus, cùm vigiliæ nocturnæ munus obeuntem dormire offendiſſet, occidit, dicens ſe eum, vt inuenerat, reliquiſſe. P. Sulpitius equitum Tribunus, dum Galli Capitolium obſiderent, ſomno captum vigilem ab eo loco præcipitauit, per quem Galli ad arcem conſcendebant, quos inde M. Manlius poſtea reiecerit. *Nulla eſt enim negligentiæ venia, vbi de ſalute erratur*, vt ait Vegetius lib. 3. c. 5. Tamerlanes cùm per minorem Aſiam exercitum duceret, ei lachrymabunda mulier ſeſe obtulit, conquerens ab eius milite nullo dato pretio coctum lac parumque caſei ereptum eſſe; ibi ſtatim conſiſtere iuſſit exercitum Tamerlanes, atque inde agmen ordinatim incedere, vt mulieri facultas eſſet eum militem cognoſcendi, qui vim fecerat. Agnito illo Rex per pectus aperiri militis corpus iuſſit, in cuius ſtomacho lac quod mulieri eripuerat, fuit inuentum. Cui ſupplicio mulier deſtinata erat, niſi eius rei, quâ ſe ſpoliatam querebatur, ſigna inuenta fuiſſent. Bernhardonus Vaſco Florentinarum copiarum Dux, cùm edixiſſet, ne in certam agri Piſani partem pabulatum iretur, & intellexiſſet Bartholomæum Pratenſem Ordinum Ductorem, virum tamen manu promptum & bellò clarum neglexiſſe imperium, nullâ eius habitâ ratione ſecuri percuti iuſſit. Charundas eos, qui arma pro patria non cœpiſſent, in foro tres dies in veſtibus muliebribus ſedere iuſſit. Teſte Liuio lib. 25. Equites ad Pedites, Pedites ad funditores reiecti ſunt. Captiui à Pyrrho remiſſi, eques ad peditem, pedes ad velitem redacti ſunt, iuſſi extra vallum tendere, donec ſinguli bina hoſtium ſpolia tuliſſent. Ammianus lib. 25. *Ademptis ſignis haſtiſque diſtractis, omnes eos, qui fugiſſe arguebantur, inter impedimenta & ſarcinas, & captiuos agere iter inſtituit.* Apud Ægyptios lege ſancitâ illi lingua abſcindebatur, qui hoſtibus ſecrēta conſilia prodidiſſet. Macrinus milites duos, qui ancillæ hoſpitis pudorem violauerant, bobus incluſit, abſciſſis iumentorum capitibus, vt facilius colloqui poſſent. Vetus eſt Clearchi verbum: *Imperatorem potius, quàm hoſtem eſſe metuendum.* Caius Vatienus ne militaret ſiniſtræ manus digitos abſcidit, & bonorum publicatione punitus eſt. Traiani tempore pater, qui filium bello inhabilem fecerat, deportatus eſt, teſte Ammiano lib. 15. Auidius Caſſius tolli in crucem iuſſit centuriones, qui cum paucis militibus Sarmatarum tria millia incautius agentia occiderunt ſuo iniuſſu, quia inſidias ſubeſſe poſſe dicebat. Atilius Regulus exercitum fugientem cædi iuſſit. Valerius Conſul iuſſit, vt exercitus victus hyemem ſub pellibus ageret. Titus Scaurus Filium, quòd loco ceſſiſſet, in conſpectum venire vetuit; is verecundia ignominiæ mortem ſibi conſciuit. Metellus Macedonicus quinque cohortes, quæ hoſtibus ceſſerant, teſtamentum facere iuſſas, ad locum recuperandum remiſit, minatus non niſi poſt victoriam receptum iri. M. Curius legionem, quæ bellum detrectauerat diſcinctam ſtramenta ſecare iuſſit, ſigna eius nomenque aboleuit, & pro ſupplemento in alias legiones tranſcripſit.

CAPVT V.

De Stipendijs militum.

STipendium eſt merces militaris. Nullum verò hoc æuo fixum eſt: pro perſonarum qualitate nunc augetur, nunc minuitur. Varij hîc gentium ſunt mores. Optimum eſt ſtipendia conſtitui certa, eaque moderata, vt ſufficere militibus, & perſolui à principibus poſſint. Præſcribere modum eorum noſtrum hîc non eſt. Multis ea veterum conſuetudo laudatur, militum pecuniam ad ſigna deponere, ne ipſi abſumerent, & vt ſigna non defererent. Illud omninò agendum, vt milites cibum habeant, atque ea etiam omnia, quibus carere Natura non poteſt. Neque enim mendicare debent, neque eſurire. Vtile eſt in ſtipendij partem Commeatum aliquem ipſis vendere; aut certè præter moderatum ſtipendium neceſſarios cibos ſubminiſtrare. Ita fit, vt etiam qui ſua prodigunt,

Sint ſtipendia certa & moderata.

non

non egeant, cùm neceſſaria non deſint. Cæterùm maximam vim liberalitas & benignitas Principium habet, cùm afflictos ſe aut vxores, liberóſve ſuos ope aliquâ iuuari milites animaduertunt. Ideò que dare operam Principes debent, vt ijs, qui in bello mutilati, itaque miſerè afflicti fuerunt, vt ad labores in poſterum panemque lucrandum ſint inepti, de neceſſarijs ad vitam ſuſtentandam prouideatur. Multi ab armis abhorrent, quia ne membra luxentur, timent. Quis ictus inopinatos, aut infortunium non vereatur? Illa verò Principum benignitas metum hunc ex militum animis tollit, & libenter magnoque animo pro ijs pugnant, à quibus tam beniginè excipi Martia inter tela vulneratos animaduertunt.

Queſtiuncula. Quid verò faciet Princeps, cùm pecunia perſoluedis ſtipendijs in promptu non eſt? Hanc vnam ſuprà diximus ſeditionum militarium cauſam. Vt verò parari militum animi poſſint, excogitare aliquid oportet, nimirum, vt aut moneta quâuis ex materiâ cudatur, aut certum aliquod à Principibus ſignum ad paranda neceſſaria detur. Quæ omnia vt valeant, publicam præſtare fidem Principes debent, & cùm poſſunt, abrogatâ illâ monetâ, bonam reſtituere.

Circa hanc rem documenta.

SInt ſtipendia certa & moderata. Circa ea varia hic conſideranda proponuntur. Seruandus autem eſt Patriæ cuiuſque modus. De ſtipendio Romanorum militum videri Polybius & Lipſius poſſunt. Id verò omninò agendum, vt quemadmodum olim frumentum, ita hodie panis militibus detur. Pecunia facile abſumitur, ac tum milites ad rapinas conuertuntur. Optima illa conſuetudo olim fuit pecuniam ad ſigna deponere, ne facilè eam milites abſumerent, & vt ſigna non deſererent. Vide Vegetium lib. 2. cap. 20.

TITVLVS XIII.

De Duello.

CAPVT I.

Quid Duellum, & an licitum.

Definitio Duelli. DVellum eſt duorum quaſi Bellum, ſingulare nimirum certum inter duos, aut certè inter paucos. Græci Monomachiam appellant. *Probibitum eſt omni iure* Illud Romanorum inprimis Pontificum legibus prohibitum eſt, deinde iure etiam Cæſareo, quod diuinæ Maieſtatis iudicium tentare hoc modo non liceat, & iniquum ſit cauſam iure & æquitate optimam dubij Martis arbitrio committere. Vnde grauiſſimâ pœnâ coërcendi ij ſunt, qui ad inanem virium oſtentationem in ſingulare certamen proruunt. Neque enim pro ea tantùm iactantia, ac quâdam ſpectantium oblectatione præſentiſſimo periculo vitam objicere fas eſt. *Nec licitum eſt ad vires oſtenſandas. Nec adveritatem indagandam.* Multò verò minùs ad indagandam dubij Iuris veritatem aut iuſtitiam permiſſum eſſe poteſt, quod fallax ſit dubijque & incerti euentus duellum, adeòque certi Iuris & innocentiæ teſtimonium eſſe non poſſit. Ipſa teſtis experientia eſt, plerumque ſingulari certamine innocentem occumbere, cauſamque malam triumphare. Adeò nec ſuperſtitione, nec mendacio eiuſmodi duellum caret. Quaſi verò in gladio aut robore, aut dexteritate aliqua ſitum Ius eſſet.

Teſti-

Teſtimonia & Authoritates.

DEFINIMVS hic Duellum, omniqueiure prohibitum aſſerimus, nec ad vires oſtnedendas, aut veritatem indagandam licitum eſſe. Abner & Ioab, de quibus lib. 2. Regum cap. 2. reprehenduntur propter duellum pro inani virium oſtentatione inſtitutum. Cum tamen quis ab hoſte prouocatur, licitum eſt, vt duellum inter Dauid & Goliath. Prodeſt enim ad iuſtum bellum promouendum; vnde cùm viderent Philiſthæi occiſum eſſe Goliath à Dauide Hebræo, fugerunt. Duellum ad veritatem indagandam damnatur in Iure Canonico cap. Monomachiam, & cap. Significantibus de Purgatione Vulgari. Gladiatorum cruenta ſpectacula apud Romanos ſublata tandem fuerunt tanquam in domeſtica quiete & otio ciuili horrenda L. vnica de Gladiat. lib. 11. Cod.

CAPVT II.

An ſuſcipi Duellum pro defenſione proprij honoris poßit.

STrenuus ac generoſus animus non minùs pro honore, quàm pro vita ſollicitus eſt; imò verò perdere honorem, quàm vitam grauius multi putant; & ignauus timiduſque, nec verè nobilis exiſtimatur, qui læſum honorem gladio non tuetur. Nec exiguam honoris ac nominis ſui iacturam facit, qui ad duellum prouocatus, certamen recuſat. Ea quidem vulgi opinio eſt. At verò ſi illata iniuria eſt honorque læſus, iuris vtendum remedio eſt, aut bello. Aliter vlciſci non licet; diuinæ ac humanæ leges prohibent. Quod ſi prouocet quiſpiam, non ignominioſum detrectare eſt, ſed legibus parere glorioſum. Si irruat & inuadat, ſalutem ſuam periculo expedire vitamque ſeruare licet, ac ignauiæ timiditatiſque notam ſeſe defendendo à ſe repellere. Quippe ad iuſtam ſui defenſionem paratum eſſe nunquam eſt nefas. *Non licet. Niſi quis inuadatur.*

Diuerſæ opiniones.

NOn poteſt. Id hoc loco ratione oſtendimus. Niſi tamen quis inuadatur. Licere tamen aliqui putant, quod Nobilis aut miles ad duellum prouocatus, ſi non acceptet, magnam ſui honoris iacturam faciat; quodq; maior ignominia ſit duellum oblatum recuſare, quàm fugere. Deinde qui prouocat, inuaſor eſt, quem proinde repellere licet. Contrariam tamen opinionem Theologi tenent; & Principum decreta, ne prouocetur, aut duellum oblatum acceptetur, prohibent.

CAPVT III.

An pro bonorum aut vitæ defenſione licitum eſſe Duellum poßit.

SAnè pro Fortunæ bonorum defenſione vitam ſuam in diſcrimen adducere licitum eſſe non poteſt. Pluris enim æſtimanda eſt hominis vita, quàm externa illa Fortunæ bona. Nec prudentis eſt, proijcere vitam velle, vt pauca bona retineantur. Remedia alia in promptu ſunt; Iuris auctoritas, & extra Duellum bonorum propugnatio. Qui minùs eſt fortis, Iudicis ac Iuſtitiæ opem imploret; qui fortior eſt, vi inuaſorem repellat, etiam (ſi magni illa momenti ſint bona) interficiat. *Non poteſt. Licet tamen vim repellere.*

Quod

Licet & duello vitam propriam defendere. Quod ſi vita in periculum veniat, nec alius eam tuendi ſuperſit modus, certetur ſanè duello. Vbi enim vel certa mors eſt, vel mortis periculum, ſatius eſt cum ſpe vitæ mortis periculum, quàm ſine vlla euadendi ſpe mortem certiſſimam eligere.

Ratio pro exemplis eſt.

PRo bonorum defenſione non licet: pro vita tuenda, ſi aliter eam expedire ſit impoſſibile, licet. Semper autem vim vi repellere permiſſum eſt. Rationem hic exhibemus, nec exempla aliud probant.

CAPVT IV.

An ad Bellum dirimendum permitti Duellum poſsit.

Poteſt ſi iuſta ſit belli cauſa SI iuſta Belli ſit cauſa, & imparem hoſti ſe Princeps agnoſcat, vertere Bellum in Duellum poteſt. Huius enim tum alius finis non eſt, quàm exercitus vniuerſi ſalus & publica clades euitata. Adeóque non acceptari tantum hoc fine, ſed offerri etiam duellum poteſt. Ac tum etiam cùm alacriores reddi milites hoc modo poſſunt, aut quiſpiam ab hoſte prouocatur. Tum enim terror hoſtibus iniicitur, & aliorum ad pugnam animi confirmantur; Si detrectetur hâc cauſâ certamen, ferocior hoſtis exiſtet, & impotentiùs inſultabit. Quapropter prudens Princeps publicam ſpectet vtilitatem, & vbi iuſta nulla cauſa eſt, grauiſſimo edicto duellum prohibeat, nec illud vnquam, ob priuatam iniuriam permittat. Priuatam iniuriam vlciſci Iuſtitia debet, aut ſanè vltio Diuinæ Maieſtati relinquenda eſt.

Teſtimonia & Exempla.

POteſt, ſi iuſta ſit belli cauſa. Certa hoc in capite ratio eſt. Sic bellum inter Romanos & Albanos ſingulari certamine Curiatiatiorum & Horatiorum finitum eſt, victis Curiatijs, qui Albanorum cauſam defendebant, ab Horatio Romano, lege prius poſita, vt victor ille populus haberetur, cuius milites duello viciſſent, vt eſt apud Liuium lib. 1. Sic bellum quoque maximum ſolutum eſt inter Philiſthæos & Iudæos, quando ſingulari certamine pugnauerunt Goliath pro Philiſthæis, & Dauid pro Iudæis, qui tandem victor fuit, vt videre eſt lib. 1. Regum. Et vt refert Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſtoriæ Franciæ cap. 2. Quando Vandali cum Rege Gundarico vaſtatis Gallijs in Hiſpanias contenderunt; & pariter Sueui ſeu Alemanni Gallæciam apprehenderunt oborta fuit inter eos populos quæſtio, quinam tenere Hiſpaniam deberent. Cùm vtrimque maximè collectæ eſſent vires, ne multitudo vna ferè clade periret, conuenerunt vt omne diſcrimen duobus pueris bellantibus committeretur. Pueris in Duellum miſſis victi ſunt Vandali, cum eorum interfectus eſſet puer. Vnde Traſimundus Gundarici Succeſſor ceſſit Hiſpaniâ. Sæpè tamen permittit Deus, eos ſuccumbere, qui iuſtam habent cauſam, propter alia eorum peccata. Hinc Rhotarius Rex ait: *Quia incerti ſumus de iudicio Dei, & multos audiuimus per pugnam ſine iuſta cauſa ſuam cauſam perdere; ſed propter conſuetudinem gentis noſtræ Longobardorum legem impiam vetare non poſſumus.* Et verò quia præualuit malitia hominum, neceſſarium aliquando fuit Duellum permittere legibus Germanorum, Hiſpanorum, Gallorum, Longobardorum, vt videre eſt apud Beliſſarium libro de Singulari certamine; & apud Ioannem de Lignano in tractatu de Duello. Quamobrem cum improbi mores vix omninò extrudi potuerint, neceſſarium fuit illis leges aliquas, ne laberentur in peius, pro fræno adijcere. Eæ autem paſſim ſunt in Gentium legibus.

CA-

CAPVT V.

An etiam Dux Belli ab Hoſtium Duce prouocatus ſuſcipere Duellum debeat.

TEmerè profectò in eiuſmodi vitæ periculum deſcendere Dux non debet. Quippe in eius vita vniuerſi exercitus ſalus eſt ſita; & facilè deſpondent milites animum, cùm occubuiſſe Ducem animaduertunt. Hic nulla certa victoria eſt; pari forte, paribus armis concurritur, ac ſæpiùs fortunæ victoria eſt. Vix eſt, vt qui prouocat, non cadat. *Non temerè debet.*

Authoritates & Exempla.

NOn temerè ſanè debere hic docemus. Quapropter Carolo V. Imperatori vitio verti non poteſt, quod Franciſco Galliarum Regi prouocanti non comparuerit. Nam nec tempus, nec locum Gallus deſignarat, nec quicquam amplius de Duello audire voluit poſtea. Imò cum per Legatum Cæſar vrgeret, diſſimulauit. Apud Virgilium lib. 12. duellum eſt inter Æneam & Turnum, ambos belli Duces & hoſtes. Cæterum obſeruatu dignum eſt prouocatorem plerumque à prouocato ſuperari. Ita vicit Dauid Goliath Gygantem. Manlius Torquatus Gallum, Romulus Acronem Regem, Heraclius Imperator Coſrhoem Perſarum Regem; alij alios. Obſeruandum etiam gentes olim multum duello tribuiſſe. Germani veteres per duellum tanquam per obſeruationem auſpiciorum euentus grauium bellorum ante generalem conflictum explorabant, teſte Tacito de moribus. Germanorum. Vnde cum ex hoſtibus aliquem cepiſſent captiuum; illum cum aliquo ſuorum popularium patrijs quemque armis committebant, ac tunc huius vel illius victoriam pro præiudicio accipiebant. Eodem modo Alexander Magnus ſuſcepti aduerſus Darium belli euentum cognouiſſe ſcribitur. Apud Longobardos, quotieſcumque in iudicio probatio deerat, per duellum Iudici fidem faciebant. In Dania Fronto Rex legem tulit, vt omnes controuerſiæ duello definirentur; quod adhuc in Moſchouia vſitatum eſſe refert Bodinus.

CAPVT VI.

Quænam ſint pœnæ ſuſcipientium ſine cauſa Duellum.

IN eos, qui nullâ iuſtâ cauſâ Duello certant, cùm Eccleſia, tum Reſpublica animaduertit. Eccleſia anathemate percutit, nec vlla conſuetudo aut priuilegium liberat. Occumbentes Eccleſiaſticâ ſepulturâ priuat. Si Clerici ſeu Sacris initiati Ordinibus ſint, Dignitatibus, Officijs, Beneficijs eos exuit, etiam cùm quouis modo cauſam dediſſe, vel iuuiſſe creduntur. Qui conſilium, fauorem, auxilium præbent, qui præſentes ſunt & ſpectant, qui locum concedunt, eodem anathemate innodantur. Reſpublica tanquam Sicarios punit eos, qui quempiam ſingulari certamine interemerint, & perpetuam infamiæ labem inurit. Si feudum ſit is, in quo certatum locus, amittitur, & Domini iterum ſit, niſi vi ſummâ fortaſſis occupatus. Sed hac de re Iuriſperitorum præſcripta conſulantur. *Aliqua ab Eccleſia.* *Aliqua à Republica.*

Vſu ſufficit.

NVmeramus hic aliquas ab Eccleſia, aliquas etiam à Rep. ad quas nihil adijciendum eſt, cum ita paſſim vſus habeat.

CAPVT VII.

Nonnulla in iuſto Duello obſeruanda.

Obſeruanda in Duello ſuſcipiendo.

CVm iuſta Duellum cauſa permittit, id curandum inprimis, vt æquis legibus, conditionibus, armis, ac ſine fraude vlla ſuſcipiatur. Quare hæc obſeruanda ſunt.

I. Ne iniuſſu Principis, vel belli Ducis militi ab hoſte prouocato extra aciem in certamen prodire liceat.

II. Vt vitæ conditione dignitateque pares, quantum fieri poteſt, concurrant. Pollui dignitatem ſuam arbitrantur, qui cum viliore concurrunt.

III. Conueniendum de pugnæ genere, & arma ex vtriuſque voluntate, conſenſuque eligenda. Hæc geminata deferre in campum prouocati debent, vt paria aduerſarij capiant.

IV. Nobiles & generoſi viri potiùs Equites congredi, quàm mercenariorum Peditum more debent. Equeſtris enim militia dignior hoc tempore eſt, & in vſu Nobilium frequentior.

V. Sint Magiſtri ſeu Iudices Duelli (vulgò Patrinos vocant) qui arma inſpiciant, fraudem omnem abeſſe iubeant, de omni controuerſia iudicent definiantque. Armorum ſcientiam habere hi debent.

VI. Prouocatus pro arbitratu ſuo pugnæ diem diſignet, & ſtato tempore adſit vterque. Qui in mora eſt, nec ſe præſentat, victus cenſetur.

VII. In ipſo congreſſu ſeruandæ, quæ poſitæ anteà fuerunt, leges, ſeu arma cadant ſeu franguntur. Pugnæ finis eſt, cùm certantium alter vel occubuit, vel ſeſe dedidit.

Quanquam perſequi hîc ſingula non libet. Illud optandum vt grauiſſimis Regum ac Principum edictis Duella prohibeantur. Indigna Chriſtianis hominibus ea pugna eſt; quæ ſolam aduerſarij necem victoriam habet.

Ordo & forma Duelli.

DVellum inprimis non niſi ab eo, qui vitæ neciſque poteſtatem habeat, permitti poteſt; adeoque priuati, qui au&oritate propriâ Duellum ineunt rei ſunt læſæ Maieſtatis, & homicidij pœnæ obnoxij. In Francia ſolus Rex hodie permittere poteſt; olim etiam Senatus Pariſienſis cauſa cognita. Quintus Criſpinus miles, cùm eum Badius Campanus prouocaret, imò iniuria laceſſeret, vt ſi vir eſſet, congrederetur, tamdiu cunctatus eſt, donec Imperatorem conſuleret. Et Titus Manlius, cùm à Gallo prouocaretur, Dictatorem ita allocutus eſt: *Iniuſſu tuo Imperator extra ordinem non pugnauerim; ſi tu permittis ero prouocatus.* Armorum vſus ſine Principe Capitalis eſt, l. 1. armor. vſus

Quod attinet ad formam datur 1. pignus ſeu certaminis ineundi ſymbolum, quod aliquando eſt chyroteca aliqua, etiam ſanguinolenta, vt ait Beliſſarius dicto loco ſupra. Aliquando litteræ prouocationis mittuntur, quas Galli vocant, *Lettres de defit, ou combat*. Deinde citatur coram Principe, vel eo qui poteſtatem habet permittendi duellum, ad duello determinandum diem, horam, locum. Ea vocatio eſt vadimonium.

Princeps etiam conſtituit Iudicem certaminis, qui iuris militaris ſit peritiſſimus, quem prouocans recuſare non poteſt. Alias prouocatus, Iudicem dummodo non ſuſpectum àduerſario, locum & arma ſolet eligere, ſolum commune & tempus vtrique.

Locus certis limitibus concluditur, & habere ſolet in longitudinem centum viginti paſſus, in latitudinem octoginta, vt ait Claudius la Salle in lib. de Duello.

Duo conſtituuntur tentoria, illud quod à dextris eſt Iudicis certaminis deputatur, prouocanti alterum à ſiniſtris prouocato. Cùm iam adeſt & hora pugnæ venire in locum debent iis armis armati, quibus pugnare conuenerunt; vel vt permiſit Philippus Franciæ Rex, curare arma ante ſe deferri. Idem Rex voluit, vt

ſacras aliquas imagines vel crucifixum, cùm domo egrederentur, ſecum haberent, vt hoc modo de morte cogitarent.

Vbi ad locum deuenerunt fæcialis ſeu præco monet, vt ſe iudici ſiſtant; deinde leges duelli legit audientibus omnibus adſtantibus. Tum publicâ auctoritate edicit, ne quis in equo ſit, ne quis loci limites ingrediatur, præter eos, qui ordinati ſunt: iubet omnes in terra conſidere, vt facilius pugnantes ab omnibus conſpiciantur; mandat ne quis tuſſiat, loquatur, ſignum faciat, ſpuat. Pugnaturi coram Rege, varias faciunt proteſtationes de cauſa ſua, de armis, de modo pugnæ, de tempore, quemadmodum ante conuenerunt: deinde præſtant iuramentum, & pugnam ineunt. Qui victor euadit, Iudici geniculatus ſe ſiſtit, quærens num debito functus ſit officio, quo caſu Princeps eum à certamine abſoluit. Vide Tholoſanum lib. 48. Syntagmatis Iuris vniuerſi cap. 6.

Cæteræ Duelli conditiones hoc capite explicantur, inter quas vna eſt, vt certaturi Duello æquales ferè ſint dignitatis. Et ideò inferior à ſuperiori, cui ſubijcitur, cogi ad pugnam non poteſt. Si ignobilior ad certamen ſuperiorem prouocet, poteſt nobilior parem loco ſui ſubrogare; non verò contra.

Porrò cùm ſuſcipere Duellum nihil aliud ſit, quàm Deum tentare, iure meritò Concilium Tridentinum in Seſſione 9. rectè ſtatuit, vt quicunque Duellum conceſſerit, excommunicetur. Recte etiam D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 21. docet: *Non eſſe magnanimi animi neque Chriſtiani mortem ſibi accelerare.* Et *Vtinam*, inquit Tholoſanus, *quid eſſet mors, & quid poſt mortem expectare oporteat animo conciperent, & reuoluerent, cuius ſunt diſcipuli, & cuius nomine Chriſtiani appellantur, fieret profectò vt turpidas illas iactationes, & impias prouocationes relinquerent.*

TITVLVS XIV.

De Inducijs & Pace.

CAPVT I.

Quid Induciæ, quid Pax, & cuius eam faciendi poteſtas.

INduciæ ſunt armorum ſeu Actionis hoſtilis ad certum tempus ceſſatio. Pax verò eſt tranquilla viuendi ſine vllo hoſtium metu libertas. Diſcrimen inter Inducias & Pacem eſt, quod Induciæ ſtati temporis Pax ſint, Pax autem perpetua eſſe debeat. Porrò vel Inducias vel Pacem cum hoſte paciſci nemo poteſt, niſi Princeps, aut ſuprema in Rep. poteſtas, quæ eſt Rex in Monarchia, Optimates in Ariſtocratia, Populus in Democratia. Vnde nec Inducias, nec pacem hoſti concedere, vel ab eo accipere belli Duces poſſunt, niſi ea ipſis certo mandato permiſſa ſit poteſtas. Et quanquam Reip. ſeu Prouinciæ Gubernator, ac quidam ſummi Principis vicarius ſit quiſpiam, non eſt tamen penes eum hoc Induciarum & Pacis Arbitrium. Quippe Bellum Pace finire Ius eſt Maieſtatis.

Definitio Induciarum. Definitio pacis. Diſcrimen. Eius poteſtas penes Maieſtatem.

Authoritates & Teſtimonia.

PONITVR hîc definitio Induciarum & Pacis. diſcrimen inter vtramque; deinde pacis faciendæ poteſtatem penes Maieſtatem eſſe. Paulus in l. Poſtliminium 19. §. Induciæ, declarat quod tempore Induciarum ius poſtliminij non ſit, quia induciæ ſunt, cùm in breui & præſenti tempore conuenit, ne inuicem ſe laceſſerent. Si longiores ſint induciæ;

dicuntur Treugæ tit. de Treuga & Pace lib. 1. Decret. tit. 34. quæ ſi in pacem tranſeant dici poſſunt fœdera, l. Hoſtes, & l. Non dubito. De Captiuis. Galli inducias appellant ſuſpenſionem armorum; Treugas verò, quæ longiores, Latinis ſunt induciæ. Propriè pax eſt, quando pactionibus fœdus ſancitur & firmatur. Varro in libro Humanarum, *Induciæ*, inquit, *ſunt pax caſtrenſis paucorum dierum*. Et alio loco, *Induciæ ſunt belli feriæ*. Opilius lib. 1. *Muſarum*, *Inducias*, ait, *eſſe cum hoſtes inter ſe vtrimque vtroque alteri ad alteros impunè & ſine pugna ineunt, & inde nomen factum eſt, vt ſint, quaſi initus atque introitus. Proinde induciarum tempore capta capientium non fiunt, nec capti ſerui*, l. Hoſtes. *Pax eſt tranquilla libertas* apud Ciceronem; qui pro lege Agraria, & Philippica 2. & 13. commoda pacis recenſet, ſicut etiam Baldus in lib. de Pace Conſtantiæ. Poteſtatem faciendi Inducias vel Pacem habet is, qui iura Maieſtatis habet, Rex ſeu Supremus Princeps, aut Magiſtratus. Et quidem in Monarchia Rex, in Ariſtocratia Optimates, in Democratia vniuerſus populus. Dubitari poteſt de belli Ducibus, an penes illos ea etiam ſit poteſtas. Negat Bartholus, & paſſim alij, niſi ijs peculiariter ſit commiſſum. Vnde apud Romanos quamdiu penes populum ſumma Reip. fuit, eo inconſulto pax facta vim nullam habuit. Hinc Saluſtius loquens de Pace inter Aulum exercitus populi Romani Ducem & Iugurtham Numidarum Regem facta. *Senatus*, inquit, *ita vti par fuerat, decernit ſuo, atque populi iniuſſu, nullum potuiſſe fœdus fieri*. Et teſte Liuio, Senatus Romanus ratam non habuit pactionem illam, quàm Sulpitius Tribunus militum cum Gallis fecerat de obſidione ab illis relinquenda. Adeò nec Conſulibus Romanis, nec Prouinciarum Præſidibus, neque vllis alijs Magiſtratibus quantacunque eſſent poteſtate liberum arbitrium pacis ac belli fuit. Paucis ſpecialiter permiſſa hæc poteſtas fuit, vt Scipioni cum Populo Carthaginenſi. Ideò Senator quidam Carthaginenſis Romanorum Legatis obiecit, *Vos cùm Lutatius Conſul primo nobiſcum fœdus icit, quia neque authoritate Patrum, neque populi iuſſu ictum erat, negaſtis vos teneri*. Ob eandem cauſam fœdus à C. Mancino Conſule cum Numantinis percuſſum, irritum factum eſt; quin etiam ipſe, vt temeritatis pœnam lueret, hoſtibus deditus eſt. Spurius Poſthumius Conſul, ob ignominioſam pacem cum Samnitibus factam quamuis toto exercitu interclusſo & ſummâ neceſſitate, etiam hoſtibus deditus eſt. Vide Liuium. Quod ſi aliquando Duces iniuſſu Senatus & Plebis procul extra Italiam cum hoſtibus pepigerunt, non id tamen prius ratum fuit, quàm Populus vel expreſsè vel tacitè aſſenſit. Cum Argiuorum Duces cum Lacedæmonum Regè quadrimeſtres inducias pacti eſſent Alcibiades ſuaſit Argiuis, ne eas ratas haberent, vt refert Thucydides. Excipi hîc poſſunt paucorum dierum induciæ, quas vtilitas vel neceſſitas exigit, vt ſepeliendorum cadauerum cauſa, quales Virgilius inter Æneam & Latinos pactas memorat, vel pacis præparandæ, quales à Ducibus Romanis interim dum Legati eo nomine Romam mittebantur, ſæpius conceſſas paſſim ſcribit Liuius.

CAPVT II.

An expediat Inducias aliquando interponi.

Omninò expedit.

OMninò profectò expedit. Cùm enim pax quædam ſint Caſtrenſis, operæ pretium eſt caſtra nonnunquam quieſcere, & arma ceſſare. Imò neceſſitas aliquando exigit, cùm aut pecunia non ſuppetit, aut Commeatus deſunt, & afflicta eſt Patria. Maiorem virtutem parua quies interpoſita reducet. Quemadmodum fomentum vulneri, ne mors irrepat, additur; ita Inducijs bellum interrumpi debet, ne patria bello pereat. Et verò multæ Nationes bello inuictæ pacem non ferunt, & in pace pereunt. Vt autem ad Inducias paciſcendas Hoſtis adducatur, plerumque virtus aliqua ſingularis facit, aut in captiuos benignitas, aut Ducis eximia in omnes humanitas. Porrò iuſtis & æquis conditionibus Induciæ ſemper fiant, nec ſint doloſæ. Multi inducias aliquando ſimulant, cùm in periculo eſt ſalus, & aliter expedire ſe non poſſunt. Prudens aduertat Imperator.

Teſti-

Teſtimonia & Exempla.

OMninò expedire iudicamus. Veientes à Romulo centum annorum inducias impetrarunt, poſtea quadraginta, vt habet Liuius lib. 2. Isdigendes Perſa tutor Theodoſij Iunioris conſtitutus, inducias centum annorum pepigit, vt refert Nicephorus lib. 14. cap. 1. Cur autem expediant aliquando Induciæ rationibus hic oſtenditur. Ne doloſæ fiant videatur. Lyſander perfidè Thraſiorum cos, qui Athenienſibus fauerant, cum impunitatem promiſiſſet, occidit, vt eſt apud Polyænum lib. 1. Improbè etiam Corcyræi: cùm enim Argiui ſe iudicio Populi Athenienſis ſubmiſiſſent, ita tamen, vt fœdus initum fieret, ſi fregiſſent, Corcyræi fugam ſuaſerunt, quod timerent, ne nimis leuiter Populus Athenienſis iudicaret; itaque quaſi fœdifragi Corcyræis dediti & omnes occiſi ſunt, vt habet Polyænus lib. 6. Nec ſatis honeſtè fecerunt Sulla, Archelaus, Aſdrubal, dum per mendacia & ſimulationem induciarum euadunt. Conditiones optimas propoſuit Amphipolitanis Braſidax Lacedæmonius: cùm enim videret vinci difficulter ciuitatem poſſe, Athenienſibus abeundi poteſtatem, Amphipolitanis, ſi cum Lacedæmonijs ſocietatem inirent, libertatem promiſit, teſte Polyæno lib. 1.

CAPVT III.

Quomodo gerere ſe oporteat ad Pacem obtinendam.

CVm victis, aut grauiter bello afflictis neceſſaria pax ſit, tum ad eam ab hoſte victore obtinendam expedit arma tenere, & forti animo cladem acceptam diſſimulare. Quippe meliùs pax ſub armis conficitur, & dum arma, inuictumque magnâ clade animum hoſtis videt, vinci à victo timet, nec pacem detrectat. Ferè ſemper qui animis non cadunt, Imperium retinent, & vix aduerſa quicquam fortuna potuit, cùm erectus eſt animus. Si profligatus ſit exercitus, quamprimum aliquis, quantuſcunque etiam reparetur, clades accepta diſſimuletur, arces occupentur & firmentur. Et quoniam ſecuri eſſe victores ſolent, prodeſt velitationibus paruis damnũ ipſis aliquod inferre, & victoriam quaſi lacerare; aut eius certè fructum corrumpere. Ita fiet, vt pax non ſuſpecta in atur, & faciliùs conueniant, qui pares videntur. Nunquam quæ moderata à victore imperantur, reijciantur. Si indignæ ac non ferendæ proponantur conditiones, præſtat potentiori alicui ſe Principi committere, dedereque. *Seruare arma & inuictum animum oportet.*

Authoritates & Exempla.

SEruare arma & inuictum animum oportet. Ita hic iudicamus: parum vnius horæ fortuna profecit, ſi animus erectus eſt. Veneti grauiſſimo prœlio victi à Franciſco Mediolanenſium Duce, cùm nullus penè euaſiſſet, intra triduum exercitum repararunt & hoſtem petere pacem coëgerunt. Franciſcus Foſcarus enim eorum Dux pecuniâ proiectâ in medium monuit, vt ſuo exemplo omnes conferrent, effecitque vt quid magnitudo animi poſſet, omnes intelligerent, vt eſt apud Egnatium lib. 3. cap. 2. Campani à vicinis preſſi Romanis ſe dedunt, eorum hoſtes deleti ſunt. Florentini cùm à Caſtrucio Senenſi opprimerentur, Robertum Regem Neapolitanum acceperunt in vrbem, Caſtrucij deinde & Senenſium vires attritæ ſunt. Pompeius victus in Hiſpaniâ, Italiâque pulſus clades illàs non æſtimauit. In Pharſalia victus Ægyptum petijt, bellum reparatum eſt; perire tamen ſolus maluit, quàm multarum Gentium auxilia contrahere, cùm potuiſſet.

CAPVT IV.

Quibus conditionibus iniri Pax debeat.

VAriæ ſunt pacis ineundæ conditiones. Hæ ab arbitrio pendent contrahentium, & potiſſimùm ſunt duæ; de inimicitijs ponendis, *Duæ ſunt præcipuæ pacis conditiones.*

dis vna, de rebus perſoniſque captis aut retinendis, aut reſtituendis altera. Prima illa pacis conſtituendæ ferè ratio eſt, atque hoc inprimis eſt agendum, vt nulla in animis ira reſideat, omnes inimicitiarum obliuiſcantur, publicæ priuatæque iniuriæ vtrimque remittantur, ſi quæ tamen in bello ſint tales. Valeat hîc lex obliuionis, & vt amicitia colatur in poſterum, ſanciatur. Nam amicitia caput eſt pacis, & ſine ea omninò pax non eſt. Rerum reſtitutiò ſubſequi inimicitiarum obliuionem debet. Cæterum hæ generales pacis eſſe conditiones ſolent.

Generales pacis conditiones.

Vt arma ponantur, exercitus educantur, ac nulla omninò hoſtilis actio exerceatur.

Vt Vrbes, propugnacula, captiui (ſi ita conueniat) vtrimque reſtituantur.

Vt vterque Populus ſuis legibus liber viuat, vel (ſi ita eſſe debeat) vnus alteri certâ lege ſubſit.

Vt in vtroque Populo ſinguli priſtinis ſuis poſſeſſionibus fruantur; niſi aliqua fortaſſe loca manere apud occupatorem debeant.

Vt Principes vel Populi aliqui alij, qui vtrimque nominantur, eodem pacis fœdere & amicitiâ contineantur.

Vt ijdem hoſtes habeantur, & communibus viribus bellum geratur; nec cum his, aut illis ſocietas ſit.

Vt quæ difficultates vel controuerſiæ reſtare videntur, non ferro in poſterum, ſed iudicio diſceptentur.

Aliæ exprimi conditiones plures poſſunt; quædam verò etiam tacitæ ſunt & vulgo non notæ. Qui autem captiui, quæve res retinendæ aut reſtituendæ ſint, exprimere perſpicuè diſertèque oportet. Illud adijcio, ad pacem cum hoſtibus componendam delegandos eſſe viros dignitate inprimis, tum ciuili doctrinâ facundiâque claros, vt ſuorum Principium Populorumque proponere perſuadereque Ius poſſint, & exulceratos hactenus animos conciliare.

Authoritates & Exempla.

VAriæ hic proponuntur, & quæ obſeruari ordinatè debent. Inueniuntur paſſim apud Liuium & Polybium: tum ſimul collectas videre licet apud Barnabam Briſſonium lib. 4. de formulis. Thraſybulus cum Athenienſem Ciuitatem ſæuitia triginta Tyrannorum liberaſſet, plebiſcitum interpoſuit, ne qua præteritorum mentio fieret; ſeu conſtituit ἀμνηστίαν, obliuionem, quæ labentem Ciuitatem in priſtinum ſtatum reſtituit. Cicero Philippica 1. vt iaceret pacis fundamenta, dicit ſe Athenienſium reuocaſſe vetus exemplum, nimirum omnium præteritorum malorum obliuionem.

Remittuntur autem eæ tantum offenſæ, quæ belli tempore acciderunt. Reſtitui etiam omnia ab hoſte capta ſolent, vt & ipſi captiui, ſi nimirum ita conueniat, & in conditionibus ſit expreſſum, alia omnia ſunt victoris. Apud Quintilianum lib. 5. cap. 10. celebris illa controuerſia eſt. Cum Thebas euertiſſet Alexander, inuenit tabulas, quibus centum talenta mutua Theſſalis dediſſe Thebanos continebatur: has quia vſus erat commilitio Theſſalorum, donauit ipſis vltro, poſtea reſtituti à Caſſandro Thebani regere aduerſus Theſſalos: Theſſali remiſſam ſibi ab Alexandro victore obligationem aiebant. Thebani contra remittere Alexandrum non potuiſſe, quod ipſi minimè debebatur, quaſi ea duntaxat victoribus acquirantur, quæ manu capiunt: ius verò crediti cum incorporale ſit tranſire ens non poſſe. Debile Thebanorum argumentum fuit; quid autem Amphyctiones, ad quos lis erat delata iudicarint, non refertur.

Quod ſi conditiones pacis ſint ſuſpectæ, arma tenenda ſunt, vetus prouerbium eſt, *Sub clypeo melius ſuccedit pacis negotium,*

vt

vt refert Lipſius. Et Lucanus lib. 1.

—— *Arma tenenti*
Omnia dat, qui iuſta negat.

Cic. lib. 5. Epiſtolarum, Epiſtola 21. *Rebus inclinatis magis eſt, vt te inclines; & quauis tuta conditione pacem accipere malu, quam viribus cum valentiore certare.* Curtius autem lib. 5. *Gubernator vbi naufragium timet, iactura, quicquid ſanari poteſt, redimet.* Qui victores ſunt libenter pacem dare debent, quod ea imprimis ſit ipſis decora. Nam ſic omnes ſciat eos ſuſcipere iuſtè bella, & finire. *Victoribus quidem victoria pulchra, pacem tamen contemnentes, & gloriam appetentes, pacem perdunt & gloriam,* inquit D. Bernardus in Exemplis. Deinde quia vtilis eſt. Quippè vt ait Curtius lib. 3. *Fortuna belli artem victos quoque docet.* Tum quia tuta. Liuius lib. 30. *Melior tutiorq́; eſt certa pax, quam ſperata victoria: illa in tua; hæc in Deorum manu eſt.* Guiciardinus lib. 5. *Pax,* inquit, *cum ſuſpicionibus liberat cum periculum non auget, cum quieſcendi & ſumptuum minuendorum facultatem adfert, expetenda ſanctaq́; eſt; ſed cum omnia parit contraria ſub inſidioſo pacis nomine pernicioſum bellum latet, & ſalutaris medicamenti ſpecie peſtilens venenum.* Polybius l. 4. *Qui populi ſunt ſoliti viuere bellis, præda vel latrocinijs, vix pacem inter ſe vel cum vicinis ferre poſſunt, & colere.* Thucydides lib. 4. *Quibus aliena auxilia ad bellum gerendum ſunt accita aut neceſſaria, ijs pax maximè eſt quærenda, & oblata acceptanda.*

CAPVT V.

Nonnulla circa pacem conſtituendam obſeruanda.

I. INprimis cùm de pace deliberatio ſuſcipitur, habenda Religionis prima cura eſt, vt ea integra ſaluis opinionibus receptis & ritibus conſeruetur, nihil Hæreſi, nihil ſuperſtitioni concedatur. Quod ſi tamen tanta vis ſit Hæreticorum, vt ſolâ victoria, quæri pax non poſſit, in tam miſero Eccleſiæ Reipublicaque ſtatu concedi certè aliquid Religionum libertati, teterrimæ alioquin Reip. peſti, poteſt. Hoc tolerare eſt, non approbare.

Habenda prima cura Religionis.

II. Paciſci, vt plurimum, hoc modò oportet, vt non tantùm bona omnia, actioneſque & hæreditatum iura reſtituantur, ſed etiam dignitates eſt officia. Etiam Sacerdotia ſeu Eccleſiaſtica beneficia. Non eadem verò rerum, & fructuum perceptorum ratio eſt. Illæ reſtitui, hi non item poſſunt.

Bona omnia & officia reſtituenda.

III. Etſi priuatis adimere bona ſua Principes non poſſint, cùm aliter tamen obtineri pax nequit, relinquere ea Poſſeſſoribus anteà hoſtibus poſſunt, ac tum quidem potiſſimùm, cùm multis annis ea ipſi occupauerunt, & non exiguæ perturbationis & impediendæ neceſſariæ pacis eſt metus, ſi auferantur. Suprema lex ſalus hîc populi eſt. Refundi verò aliquid ijs, qui ſuas ita fortunas amittunt, oportere æquitas omninò perſuadet.

Bona priuatorum hoſtibus danda ſi aliter pax non ſit.

IV. Cùm ſancta & inuiolabilis haberi pax debeat, tum Principes, quam paciſcendo fidem iurarunt, violare nunquam debent. Hæc enim pacis eſt firmamentum. Nec refert hoſti, an ſubdito rebelli, publicè an priuatim data ſit fides. Ab ea enim recedere ſemper eſt nefas, & qui cum ſubditis Reges contrahunt, gentium & naturæ Iure obligantur.

Teſtimonia & Authoritates.

HAbenda prima cura Religionis eſt, hâc enim neglectâ proſperè res ire nequeunt, neque vlla iuſtior cauſa belli eſt, quam quæ pro aris. Quod ſi pax aliter iniri nequeat, niſi aliquid de religione remittatur, ſane tunc vrgente neceſſitate remittatur. Non alia viſa diſſidiorum in Germania, & aliquoties componendorum ratio. Theologorum ac Iuriſconſultorum ita ſuadente ratione. De Religionis libertate iam lib. 1. diximus. De bonis & officijs reſtituendis vide Iuriſconſultos, qui etiam exiſtimant, quod ſi aliter conſtare pax non poſſit, bona priuatorum hoſtibus poſſidentibus relinquere Princeps poſſit. Tunc quædam neceſſitas, quâ ceſſante, non poteſt. Nam etſi ſupra leges ſit Princeps, tenetur tamen iure naturæ prohibente, *Cuiquam ſuum detrahi, ac dari noſtrum alteri, qui incommodo*

modo noſtro dicitur. Hinc Naboth recuſare rei ſuæ venditionem auſus Regi fuit, lib. 1. Regum. Et D. Ambroſius Imperatori traditionem Baſilicæ. Hæc regula generalis eſt, *Ne facto quidem Principis, id quod noſtrum eſt, adimi nobis inuitis poſſe*. Patitur tamen hæc regula in caſu neceſſitatis exceptionem. Hinc Romæ cum plurima loca eſſent iuris ambigui, à varijs Imperatoribus donata, etiam ab ipſo Auguſto, ſecundum poſſeſſores pronuntiatum eſt, teſte Suetonio in vita Auguſti. Naturale quidem ius dictat, *vt vnicuique ſuum ſeruetur, nemini ſuum auferatur*, intelligi tamen debet, niſi publica ſalus aliud poſtulauerit. Nam, vt ait Cicero 3. de Legibus, *Salus populi ſuprema lex eſt, & nihil Deo acceptius, & magis ſecundum naturam, quam vt publica tranquillitas, vtilitaſq; procuretur*. Reſtitui autem aliquid ijs debet, quorum res pacis cauſa datæ hoſtibus à Principe fuerunt. *Æquiſſimum enim eſt*, inquit I. Ctus *commune detrimentum fieri eorum, qui propter amiſſas res aliorum conſecuti ſunt, vt ſuas ſaluas haberent*. Cicero lib. 1. Offic. laudat Aratum Sycionium, qui cum oppreſſo Nicocle Tyranno Patriam liberaſſet, ac plurimos exules reſtituiſſet, quorum bona alij occupauerant, & longo ſpatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinerentur, quæ poſſeſſoribus adimi commodè non poterant: grandi pecunia à Rege Ptolomæo adiutus, & æſtimatis poſſeſſionibus perſuaſit alijs, vt pecuniam accipere mallent, quam poſſeſſiones retinere; alijs vt commodius putarent numerari ſibi, quod tanti eſſet, quam ſuum recuperare: itaque perfectum eſt, vt omnes conſtituta concordia ſine querela diſcederent. Appianus etiam lib. 2. bellorum ciuilium narrat Brutum & Caſſium poſt necem Cæſaris ſtatuiſſe veteribus poſſeſſoribus quibus Sulla & Cæſar bellis ciuilibus bona ademerant, ſaltem pretium ex publica pecunia reddi, quo & illis ſatisfactum & alijs ſecurior eſſet poſſeſſio. Hæc vero intelligenda ſunt cum reſarciri damnum poteſt, nec aliqua priuatorum iſtorum eſt culpa. Vbi de pace conuenit, ſeruanda omninò fides eſt, qua de re diximus lib. 3. Tit. de Fœderibus.

CAPVT VI.

Quodnam ſit boni Principis partâ iam pace officium.

Reparare & praparare omnia. ILlud inprimis, vniuerſum Reip. ſuæ ſtatum penitus cognoſcere, paulatim belli damna reparare, Vrbes & Arces munire, Annonam, Commeatum, omnem belli apparatum procurare. Sic enim bello aliàs gerendo conſulitur, cùm pacis tempore quæ neceſſaria ſunt, comparantur. *Mores ſubditorum formare.* Deinde ad mores ſubditorum regendos animum aduertere, vitiaque caſtigare. Sanè non minus eſt ciues bene regere, quàm hoſtes vincere; & ſæpè qui de hoſtibus foris triumphauit, domi à ſuis occiditur. Præterea quia difficillimum eſt otioſos milites alere, & eorum in pace tumultus impedire, ſi plures eſſe, quàm patriæ ſecuritas exigat, videantur, mittere in ſubſidium amico alicui Principi, aut Reipublicæ. *Emeritos Duces ornare. Plebeios occupare.* Emeritos verò belli Duces, qui plerumque ex bello inopiam reportant, Regiâ liberalitate iuuare & ornare. Denique viles & plebeios homines laboribus circa pacis opera, ſi aliàs ſint otioſi, ſemper occupare. Præcipuum autem pacis ornamentum eſt vigor virtutum & ſcientiarum. Finio in pace.

Authoritates & Exempla.

REparare inprimis, quicquid bellum deſtruxit & belli alias futuri apparatũ procurare; deinde ſubditorum mores ſeruare, emeritos Duces ornare, plebeios occupare. Sic Auguſtus Cæſar ſedatis bellis omnibus ad Remp. legibus reformandam ſeſe contulit. Et Cicero pro Marcello monet Iulium Cæſarem ne ſatis eſſe putet viciſſe, niſi etiam Remp. componat. De apparatu belli tempore pacis faciendo, & de plebeis occupandis iam alibi diximus, proindeq; hic finimus.

FINIS.

INDEX

INDEX
TITVLORVM ET CAPITVM
LIBRI PRIMI

De Republica in genere & Monarchia.

TITVLVS I.

De Reipublicæ Natura.

1 *QVid ſit Reſpublica.* 1
2 *Cauſa efficiens & finis Reipublicę.* 2
3 *Quot & qui homines ad Rempublicam neceſſarij.* 3
4 *Quę res ad Rempub. communes & an omnes.* 4
5 *Quis perſonarum ad Rempublicam conſtituendam ordo.* 5
6 *Quę ſumma poteſtas, quâ Reſpublica gubernatur.* 6

TITVLVS II.

De formis Rerumpublicarum.

1 *Quot ſint Rerumpublicarum formę ſimplices.* 7
2 *An miſceri aliquando Rerumpublicarum formę poſſint.* 8
3 *Quę Rerumpub. ſint digreſſiones.* 9
4 *Vnde dignoſci bonę Rerumpub. formę à corruptis poſſint.* ibid.
5 *Quęnam ſit optima Reip. forma.* 10

TITVLVS III.

De cauſis Rempublicam Conſeruantibus.

1 *Pietate & Religione inprimis conſeruatur.* 14
2 *An verò in Republica tantùm vna ſtabilienda ſit Religio.* 15
3 *Iuſtitia, legumq́; obſeruatio, altera Rempub. conſeruans cauſa.* 17
4 *Tertia Rempublicam conſeruans cauſa, induſtria Principum & Magiſtratuum.* 18
5 *Concordia quarta Rempub. conſeruans cauſa.* 19
6 *Potentia quinta Rempublicam conſeruans cauſa.* ibid.
7 *Iuuentutis inſtitutio ſexta Rempub. conſeruans cauſa.* 20

TITVLVS IV.

De Cauſis Rempublicam Euertentibus.

1 *Deo permittente Reſpublicas immutari & euerti.* 20
2 *Cauſa Dei iram ad Rerumpub. conuerſionem excitantes.* 21
3 *Fato etiam quodam & Religione diuersâ intereunt Reſpublicę.* 23
4 *Nec fortuitò Reſpublicę mutantur, nec à ſyderibus pendent, nec fatales habent terminos.* 24
5 *Bello & externâ hoſtium vi quandoque Reſpublicę corruunt.* 25

TITVLVS V.

De Reipublicæ Amplificatione.

1 *Duplex amplificandę Reipub. modus, Internus & Externus.* 26
2 *Externus Reipublicę amplificandę modus iterùm varius.* 27
3 *Proponuntur alij augendę Reipublicę modi.* 29
4 *An verò expediat tantùm eſſe Reipub. alicuius augmentum.* 31
5 *Quomodo, quę acquiſita ſunt, poſſint conſeruari.* 32

De Monarchia ſeu Regno.

TITVLVS VI.

De poteſtate Regia, Quæ, & Qualis.

1 *Quis Monarcha ſeu Rex, & quomodo fiat.* 33
2 *Quotuplex ſit Rempublicam adminiſtrandi poteſtas, item Monarchia.* 34
3 *A quo ſit Regia Poteſtas.* 35
4 *Cuius ſit Iuris Regia Poteſtas.* 36

TITVLVS VII.

De Modis capeſſendi Regni, Succeſſione & Electione.

1 *Qui ſint modi Regni capeſſendi.* 37
2 *Quęnam ſit preferenda, Electio, an Succeſſio.* 38
3 *Quid ſi infans ſit, qui ſuccedere debeat.* 40
4 *Quibuſnam per ſucceſſionem ius acquiratur.* ibid.
5 *Quis preferri in ſucceſſione debeat.* 42
6 *An ſi Primogenitus ſit inſanus ius ad Regnum retineat.* 43
7 *Quid ſi Ordinibus ſit ſacris initiatus, vel Religionis alicuius voto & Sacramento obſtrictus.* ibid.
8 *An Pontificis Romani auctoritate inſtitui creariq́; Reges ac Duces poſſint.* 44
9 *An in ſucceſſione ſufficiat ſummi Principis Primogenitum eſſe.* 45
10 *An etiam in Regia ſucceſſione Primogenitus cenſeatur patre nondum Rege natus.* ibid.
11 *Quid de ſucceſſionibus alijs Primogenito non ſuperſtite iudicandum.* 46
12 *Quodnam ſit ius liberorum natu minorum.* 48
13 *Qui eligi in Regem, & qui eligere poſſint.* 49
14 *An electio per ſortem fieri aliquando poſſit.* 50

TITVLVS VIII.

De Fœminarum Imperio.

1 *Vtrùm Fœminę ad Regnum & Imperium debeant admoueri.* 52
2 *An fœmina regnans nubere cui vult poſſit.* 53
3 *An qui fœminam Regni heredem ducit, fiat Monarcha.* 54

TITVLVS IX.

De Scientijs, quibus imbui Rex aliquis debet.

1 *Neceſſariam eſſe in Principe ſeu Rege ſcientiam. ib.*
2 *Puerum Regum tempeſtiuè Præceptori tradendum.* 56
3 *Quæ conditiones eſſe debeant Regij Præceptoribus.* ibid.
4 *Quibus Artibus inſtrui Princeps debeat.* 58

TITVLVS X.

De Moribus Principis formandis.

1 *Præeſſe aliquem moribus Principis formandis debere.* 60
2 *Quomodo in Regium Puerum ſit animaduertendum?* 61
3 *Affectiones prauas Principis regendas inprimis & coërcendas.* ibid.

De Virtutibus Regijs.

TITVLVS XI.

De Pietate & Religione.

1 *In quo pietas & Religio conſiſtat.* 63
2 *An habeant Reges ius aliquod in res ſacras & Religionem.* 64
3 *Vtrùm verè an ſimulatè tantùm colore Religionem Principes debeant.* 65
4 *An non igitur Religio Politiæ tantùm ſubſeruire & ei accommodari debeat.* ibid.
5 *Chriſtianam Religionem ad Reipub. fœlicitatem ſolam facere.* 67
6 *An ſit Religioſi Pijq; Principis peccantes in Religione & Hæreticos punire.* 68
7 *An Reges & Principes pati in Republica Hæreticos non debeant cùm quietè viuunt.* 70
8 *An pietas poßit Principem populo conciliare.* 71
9 *Quibus in rebus eluceat potißimùm Principis pietas.* 72

TITVLVS XII.

De Iuſtitia Regia.

1 *An Iuſtitia ſit virtus Regia.* 74
2 *Quodnam ſit Regiæ Iuſtitiæ munus, & in quibus conſiſtat.* 75
3 *De Iuſtitia in honoribus diſtribuendis ſeruanda.* ibid.
4 *Alia in præmijs & honoribus diſtribuendis conſideranda.* 78
5 *De Iuſtitia in pœnis infligendis ſeruanda.* 80
6 *An Principes læſos ſe conuitijs vlciſci debeant.* 82
7 *An Principes ex legum præſcripto ſeruare Iuſtitiam in ſe debeant.* 83
8 *An Iuri dicendo præeſſe debeat ipſemet Princeps, an alijs tribunal committere.* ibid.
9 *De conſtituenda inter litigantes Iuris æquitate.* 84

TITVLVS XIII.

De Clementia Regia.

1 *An Clementia ſit virtus Regia.* 86
2 *An ergò delinquentibus ignoſcere Reges debeant.* 87
3 *An omnibus ignoſcere Reges poßint & debeant.* 88
4 *An vtilis ac neceſſaria ſit Regibus Clementia.* 89

TITVLVS XIV.

De Liberalitate Regia.

1 *An Liberalitas ſit virtus Regia.* 90
2 *Quomodo exercere liberalitatem Reges debeant* 91
3 *In quos potißimùm liberales eſſe Reges debeant.* 92
4 *Quo potißimùm tempore liberales eſſe Reges debeant.* 94
5 *An ergò patere omnibus paßim ac ſemper Reges debeant.* 95

TITVLVS XV.

De modeſtia & facilitate Regia.

1 *An modeſtia facilitasq; Reges deceat.* 96
2 *In quibus modeſtiam præ ſe ferre Reges debeant.* ibid.
3 *Quam modeſtiam in victu ſeruare Principes debeant.* 98
4 *In quo Principum ac Regum facilitas conſiſtat.* 100

TITVLVS XVI.

De Fortitudine & Magnanimitate Regia.

1 *In quibus fortes & magnanimi apparere Reges debeant.* 102
2 *Quæ in aduerſis Principibus ſint ſeruanda.* 103
3 *Nequaquam videri fortem Regem qui voluptati cedat.* 104

TITVLVS XVII.

De Prudentia Regia.

1 *An prudentia ſit virtus Regia.* 105
2 *Quomodo acquiri prudentia debeat.* 106
3 *Aliæ ad prudentiam acquirendam viæ.* 108
4 *Politica quædam conſilia ad prudentiam in Principibus formandam.* 109
5 *De arcanis Regni, quæ etiam ad prudentiam faciunt.* 112
6 *An ad Regiam prudentiam pertineat omnia per delatores ſollicitè exquirere & intelligere.* 114
7 *Magnam prudentiæ Regiæ partem eſſe arcanum conſilium tenere.* ibid.
8 *An ſit prudentia Regia diſſimulare aliquando.* 115
9 *Vtrùm prudentis Principis ſit tarditate, an verò celeritate in actionibus ſuis vti.* 118

TITV.

TITVLVS XVIII.

De Auctoritate Regia.

1 *Quid ſit Auctoritas Regia & in quo conſiſtat.* 120
2 *Quomodo Regia auctoritas acquiratur.* 121
3 *Quenam alia ſint ad comparandam auctoritatem adiumenta.* 122
4 *An ad auctoritatem conciliandam expediat rarò Principes conſpici.* 124
5 *Quenam Principum proſtituant auctoritatem & contemptum pariant.* 125
6 *Fundamentum auctoritatis amorem eſſe ſubditorum.* 126

TITVLVS XIX.

De Maieſtate.

1 *Quid ſit Maieſtas & in quo conſiſtat.* 127
2 *Quid ſint iura Maieſtatis ſeu Regalia.* 128
3 *An cum Maieſtate vitæ & necis in ſubditos poteſtas ſit coniuncta.* 132
4 *Vtrùm melius ſit ſummum Imperium penes Regum arbitrium eſſe, an verò penes leges.* ibid.
5 *Vtra ſit maior Reipub. vniuerſæ, an Regis ſolius poteſtas.* 133
6 *De Iure dominandi ſeu ratione ſtatus.* 134

TITVLVS XX.

De Exercitijs & Recreationibus Regijs.

1 *An ſepoſitis Regni curis recreare ſe Reges aliquando debeant.* 136
2 *Quæ recreationes & exercitia Principes deceant.* 137
3 *An deceat vt aliquo opificio ſeſe Principes exerceant.* 138

TITVLVS XXI.

De Tyranno.

1 *Quis Tyrannus & quomodo à Rege dignoſcendus.* 139
2 *Quenam ſint Imperij Tyrannorum arcana.* ibid.
3 *An verè Rex eſſe poſſit, qui improbus eſt.* 150
4 *An liceat Tyrannum in quo legitima ſit regnandi poteſtas interficere.* 141
5 *Quid ſi qui Tyrannus eſt, nullo iuſto titulo vel ſucceſſionis vel electionis vel iuſti belli vel oraculi in Regnum inuolarit.* 142

LIBRI SECVNDI

De Conſiliarijs, Legatis & alijs Magiſtratibus.

TITVLVS I.

De Dotibus Conſiliariorum.

1 *Qvid Conſilium, qui Conſiliarij & quæ eorum neceſſitas.* 145
2 *An vnus, an verò plures Principis vnius Conſiliarij eſſe debeant.* 147
3 *Quibus ſcientijs præditi eſſe debeant Conſiliarij.* 148
4 *Quid agere Principes debeant, cùm ſcientijs varijs ornatos habere Conſiliarios non poſſunt.* 150
5 *Quæ qualitates in Conſiliarijs ex parte corporis requirantur.* ibid.
6 *Quibus virtutibus ornati eſſe Conſiliarij debeant.* 152

TITVLVS II.

De Electione Conſiliariorum.

1 *Quid ſit electio illa, & quomodo ſe gerere in ea Principes debeant.* 154
2 *Qua ætate eligi Conſiliarij poſſint.* 155
3 *Cuius ingenij eligendi ſint Conſiliarij.* 156
4 *An probandum ſit in Conſiliarijs ingenium quodammodo in ſui diſſimulationem compoſitum.* 157
5 *An indigenæ an verò etiam externi in Conſiliarios ſint eligendi.* 158
6 *An cogere Principes aliquem poſſint, vt conſiliarij officium ſuſcipiat.* 160
7 *An perpetua Conſiliariorum officia eſſe debeant.* ibid.

TITVLVS III.

De Officio Conſiliariorum ſeu de Conſultatione.

1 *Quæ ſint conſultationis partes & quæ in iis obſeruanda.* 161
2 *An Princeps Conſiliariorum ſuorum Conſultationibus debeat intereſſe.* 163
3 *Quomodo ſe habere Conſiliarij debeant in ſententia dicenda.* 164
4 *An in dicta ſententia perſiſtere conſtantes, nec quicquam mutare Conſiliarij debeant.* 165
5 *Quid præſtare Conſiliarij conſulendo teneantur, & an puniendi cùm malè conſilium cedit.* 166
6 *Quid attendere Principes in ſententiarum examine debeant.* 167
7 *Quid Conſiliarij capto iam conſilio præſtare debeant.* ibid.

8 Quid

8 *Quid vitare Conſiliarij in conſilio dando debeant.* 168
9 *An Conſiliarij non requiſiti monere & conſulere debeant.* 170
10 *An accedere ad Curiam debeant, cùm id agitur cui aſſentiri ſaluâ conſcientiâ non poſſunt.* 171

TITVLVS IV.

De Principum Officio erga Conſiliarios.

1 *Qua Conſilia Principes, vt ſtatum ſuum conſeruent, habere debeant.* 172
2 *Quomodo ſe habere Principes debeant in Conſilijs ſeu conſultationibus.* 174
3 *An Principes debeant ex ſingulis Prouincijs & hominum ordinibus Conſiliarios habere.* 175
4 *An ſit conſultum Conſiliariorum officia vendere.* ibid.

De Legatis.

TITVLVS V.

De Qualitatibus Legatorum.

1 *De Legatis, qua Legatio, qua vtilitas & neceſſitas.* 176
2 *Quæ virtutes in Legatis requirantur.* 178
3 *Quæ ſcientia in Legato requirantur.* 180
4 *An Legatus indigena eſſe debeat, an nobilis.* 181
5 *Cuius ſtatura, forma, ætatis, Legatus eſſe debeat.* 182
6 *Alia in légato requiſita.* 183

TITVLVS VI.

De Apparatu & mandatis Legatorum.

1 *Quot mittendi ſint Legati & quomodo.* 184
2 *An ducere Legatus ſecum vxorem debeat.* 185
3 *Quâ ſolennitate & quibus mandatis mitti Legati debeant.* ibid.
4 *An certo ſemper ſit opus mandato, quid ſi aliquando ſit ambiguum.* 186
5 *Quid accepto mandato facere Legati debeant.* 187
6 *Quæ Legatorum ſit vbique ſecuritas.* 188

TITVLVS VII.

De Exceptione, admiſſione, & dimiſſione Legatorum.

1 *Quomodo excipiendi ſint Legati.* 189
2 *Quomodo admittendi ad Principem ſint Legati.* 190
3 *Quomodo exponere Legati mandata debeant.* 191
4 *An reſpondendum ſit Legatis.* 192
5 *Quomodo dimittendi ſint Legati.* 193
6 *De renuntiatione Legationis & præmijs.* 194

TITVLVS VIII.

De Magiſtratibus in genere.

1 *Quid Magiſtratus, quotuplex, qua neceſſitas.* 195
2 *Quæ potiſſimùm in Magiſtratibus requirantur.* 196
3 *An in Magiſtratibus habenda ſit ratio eruditionis.* 198
4 *Virùm venales eſſe debeant in Republica Magiſtratus.* 199
5 *Cuius ordinis ad Magiſtratum ſint euehendi.* 200
6 *An expediat Magiſtratus eſſe perpetuos.* 201
7 *An vni plures eodem tempore Magiſtratus poſſint mandari.* 203
8 *Quænam in Magiſtratibus conferendis obſeruanda.* 204
9 *Quomodo Iuuenes ad Magiſtratus obeundos ſint parandi.* 205

TITVLVS IX.

De Nobilibus.

1 *Quid ſit Nobilitas & vnde oriatur.* 206
2 *An eadem omnium Nobilium ſit ratio.* 207
3 *An Nobilitas in alios transfundatur.* 208
4 *Quibus rebus diſcerni nobiles ab alijs debeant.* 209
5 *Quinam ſint Nobilium honores & priuilegia.* 210
6 *An ordo Nobilium in bene conſtituta Rep. ſit ſeruandus.* 211
7 *An patria, vxor, emptio feudi, diuitiæ nobilitatem conferant.* 212
8 *Quomodo Nobilitas amittatur.* 213
9 *Vbi habitare Nobiles debeant.* 214
10 *Quæ partes eſſe debeant Nobilium in Republica.* 215

TITVLVS X.

De Aulicis & Principum ſeu Regum Miniſtris.

1 *Quinam illi ſint & quales aſſumendi.* 216
2 *An ergò qui nobiles genere non ſunt, ab Aulis Principum ſint remouendi.* 218
3 *Quinam ab Aulis Principum ſint remouendi* ibid.
4 *Quibus artibus inſtructi eſſe Aulici debeant.* 220
5 *Quænam præcipua ſint Aulicorum virtutes & qui Mores.* 221
6 *Quomodo in Aula ſe gerere Aulici debeant.* 222
7 *Quodnam Principis ſit Officium erga Aulicos ſuos.* 224
8 *Præcepta quædam Aulicis ſeruanda.* 225
9 *An Reges in Aula ſua ſatellitium habere debeant.* 228

TITVLVS XI.

De ordine Plebeiorum.

1 *Negligi ordinem Plebeiorum à Principibus non debere.* 229
2 *Quatuor eſſe plebeiorum ordines in Republica neceſſarios.* 230
3 *Principes ante omnia curare agriculturam debere.* 231
4 *Mercaturam etiam Reip. vtilem eſſe.* 232
5 *Quomodo in Ciuitatibus collocanda ſint mercatorum & opificum taberna.* 133
6 *Quà ratione contineri Plebeiorum ordines poſſint.* 234
7 *An ergo ferendi non ſint in Ciuitatibus Pauperes.* ibid.
8 *An expediat in Rebuſpublicis eſſe Ciuium Sodalitia ſeu Collegia.* 236
9 *Quinam in opificum ordinibus ſint digniores.* 237
10 *An Peregrini in numerum Ciuium ſint recipiendi.* 238
11 *An vſurary in Ciuitate ſint ferendi.* 239

LIBRI TERTII

De ijs per quæ Reſpublica ſtat.

TITVLVS I.

De Religione.

1 *QVid ſit Religio, & quæ eius in Republica cura.* 241
2 *Quid circa Religionem curare primò Principes debeant.* 242
3 *Quæ ſint Religionis ſeruandæ rationes.* 243
4 *An expediat viros Eccleſiaſticos ad aliquam Reip. curam admittere.* 245
5 *An expediat magnas eſſe Eccleſiaſticorum in Republica diuitias.* 246
6 *Vtrùm verò etiam vtile ſit Eccleſiaſticos ſummo cum Imperio Arces, oppida & Præfecturas tenere.* 247
7 *An probanda ſit in Republica Eccleſiaſticorum multitudo.* 248
8 *Probandos quoque eſſe Religioſorum virorum ac fœminarum ordines in Republica.* 249
9 *Quædam in Republica circa Religioſorum ordines ſeruanda.* 250
10 *Cuiuſmodi eſſe Epiſcopi in Republica debeant Theologi an Iuriſconſulti.* 252
11 *Ius Aſylorum, quod Eccleſiæ Chriſtianæ templa habent, ſeruanda eſſe.* 253
12 *Monita quædam pro Religionis incolumitate in Republica ſeruanda.* 255

TITVLVS II.

De Legibus.

1 *Quid Lex, quæ eius materia, forma, finis, affectus, diuiſio, neceſſitas.* 256
2 *Quis Legiſlator & quæ legis obligatio.* 257
3 *An Principes legibus etiam obtemperare teneantur.* 258
4 *An probanda ſit in Republica legum multitudo.* 260
5 *An facilè fieri debeant nouæ in Republica leges.* 261
6 *Quomodo ſcribi leges debeant & quo idiomate.* 262
7 *An Eccleſiaſtici ciuilibus Principum legibus obligentur.* 263
8 *An Principes diſpenſare ſua in lege poſſint & cuius eam ſit interpretari.* ibid.
9 *An ſumptuariæ veſtiariæq; leges in Republica ſint ferendæ.* 264
10 *Quæ ad formandos ciuium mores legibus potiſſimum prohibenda.* 266

TITVLVS III.

De Conſuetudine & Priuilegio.

1 *Quid ſit conſuetudo & quæ vis eius.* 268
2 *Vnde vim ſuam accipiat conſuetudo.* ibid.
3 *Quomodo introduci conſuetudo debeat.* 269
4 *Quid Priuilegium & quæ circa illud obſeruanda.* ibid.

TITVLVS IV.

De Iudicijs.

1 *Quid Iudicium, quis Iudex, quæ perſonæ & partes.* 270
2 *De electione Iudicum & eorum virtutibus.* 271
3 *Quâ ætate eligendi ſint Iudices.* 272
4 *Quænam Iudicum animos à vero Iudicio abducant.* 273
5 *An ſecundùm leges iudicare Iudices debeant.* 275
6 *Quomodo Principes continere in officio Iudices debeant.* 276
7 *Principum eſſe, quantùm fieri poteſt, lites è Republica tollere.* 277
8 *Monita quædam pro litibus extinguendis & Iudicijs emendandis.* ibid.
9 *De Aduocatis & Procuratoribus.* 281
10 *An Iudex ſententiæ à ſe latæ cauſam addere debeat.* 283
11 *Quibuſnam in litibus dubijs potiſſimùm ſit fauendum.* ibid.

TITVLVS V.

De Vectigalibus.

1 *Quid Vectigal, quæ inſtituendi & exigendi poteſtas.* 284
2 *Quæ res & perſonæ Vectigalium oneri ſint obnoxia.* 285
3 *Quæ conſideranda ſint viro Politico circa vectigalium impoſitionem.* ibid.
4 *Alia in vectigalibus imponendis attendenda.* 287
5 *An Rex ſeu Princeps bonorum omnium, quæ ſuôd ti poſſident dominus ſit.* 289

TITVLVS VI.

De Ærario.

1 *An expediat in Rep. Ærarium eſſe.* 290
2 *Quænam ſit Ærarij augendi ratio.* 291
3 *An deceat vt Princep. per agriculturam vel mercaturam Ærarium augeat.* 292
4 *Quibus modis conquiri pecunia in neceſſitate poſſit.* 293
5 *An expediat vt æs allenum ad vſuram Principes contrahant.* 295
6 *An montes pietatis in Rebuſpub. ſint recipiendi.* ibid.
7 *An Principes neceſſitatis tempore ad iuuandum Ærarium ſuum exigere aliquid ab Eccleſiaſticis poſſint.* 296
8 *De conſeruatione & adminiſtratione Ærarij.* 297
9 *Monita quædam de Quæſtoribus & Ærarijs.* 298

TITVLVS VII.

De Moneta.

1 *Quid Moneta, quæ eius materia & forma.* 299
2 *Cuius ſit monetam cudere.* ibid.
3 *An Princeps non mutato monetæ valore de eius pondere vel bonitate adulterato metallo detrahere aliquid poſſit.* 300
4 *Vnde conſulerandus ſit monetæ valor.* 301
5 *An cùm neceſſitas eſt extrema, immutare monetam vel ei aliquid detrahere Princeps poſſit.* 302

TITVLVS VIII.

De Annona.

1 *Principum eſſe annonæ prouidere.* 303
2 *Præfectos annonæ eſſe debere, & quomodo illi prouideatur.* 304
3 *Quæ remedia contra annonæ caritatem eſſe poſſint.* 305

TITVLVS IX.

De Ædificijs.

1 *Quæ Ædificia publica & qualia eſſe debeant.* 306
2 *An aliqua in vrbibus ædificia publico lupanari debeant eſſe deſtinata.* 308
3 *An in publicis ciuitatum theatris admittenda ſint Hiſtrionum ſpectacula.* 309
4 *Quæ priuata ædificia, & circa illa quid notandum.* 310

TITVLVS X.

De Fœderibus.

1 *Quid Fœdus & quotuplex.* 311
2 *Qui contrahere fœdera poſſint* 312
3 *Cum quibus iniri fœdera poſſint.* 313
4 *Quædam in fœderibus ſanciendis ſeruanda.* 314
5 *An inire fœdera cum Turcis & alienis à Chriſtiana Religione populis expediat.* 315
6 *Quibus conditionibus, quâ ſolemnitate iniri fœdera debeant.* 317
7 *Quomodo conſeruentur & diſſoluantur fœdera.* 318
8 *An iuratam in fœderibus violare fidem aliquando fas ſit.* 319

TITVLVS XI.

De Scholis & Academijs.

1 *Inſtitutionis puerorum neceſſitas & ordo.* 322
2 *De publica in ſcholis inſtitutione.* 323
3 *An expediat tantam eſſe publicarum in Repub. Scholarum multitudinem.* 325
4 *De Academijs ſeu Vniuerſitatibus.* ibid.
5 *De Profeſſoribus quarumcumque diſciplinarum.* 328
6 *Quæ circa Profeſſorum inſtitutionem obſeruanda.* 329
7 *Quinam amplius honorandi ſint, Ciuiles Magiſtratus, an publici Doctores.* 331
8 *An expediat Reipub. viros Religioſos & Monachos publicè diſciplinas profiteri & docere.* ibid.
9 *An Iuuentus ſeuerâ animaduerſione & plagis quibuſdam duci ad eruditionem debeat.* 333
10 *De delectu ſtudioſorum ſeu diſcipulorum faciendo.* 334
11 *An Tragœdiarum & Comœdiarum per iuuentutem exhibitio in Academijs ſit probanda.* 336
12 *An ad gradus academicos etiam parum docti admitti debeant.* ibid.
13 *De Ordine ſtudiorum.* 337

LIBRI

LIBRI QVARTI

De Internis & Externis Reipub. Malis.

TITVLVS I.

De Coniurationibus.

1 QVid coniuratio & qui Auctores. 338
2 Quæ ſint cauſa coniurationis. 310
3 Quæ ſint remedia aduerſus coniurationes. 341
4 An puniendi omninò ſint coniuratores. 342

TITVLVS II.

De Proditionibus.

1 Quid Proditio. 345
2 Qui auctores ſint proditionis. ibid.
3 An & quomodo puniendi proditores. 346

TITVLVS III.

De Seditionibus.

1 Quid ſit & quàm varia ſeditio. 347
2 Quæ cauſa ſint ſeditionum communes. 348
3 Quæ ſint communia ſeditionum remedia. 350
4 An aliquando ſeditio in Republica procurari vel tolerari debeat. 351
5 An nobilium ſaltem factio in Republica toleranda. 352
6 Quomodo ad tollendas ſeditiones procedere oporteat. ibid.
7 Quæ pœnæ ſint ſeditioſorum & quid in ijs attendendum. 355
8 Quæ cauſa & occaſiones hoc potiſſimùm tempore ſeditionum, & quæ remedia ibid.
9 An nulla ſatu iuſta cauſa videri poſſit aduerſus Principem arma ſumendi. 357

De Bello.

TITVLVS IV.

De Natura & Cauſis Belli.

1 Quid ſit Bellum & quotuplex. ibid.
2 Quæ conditiones iuſtum bellum antecedere debeant. 358.
3 Quænam ſint iuſta belli cauſa. 359
4 An Legatorum violatio iuſta eſſe belli cauſa poſſit. 360
5 An ad ditionem ſuam amplificandam iuſtè ſuſcipi bellum poſſit. ibid.
6 Aliæ quadam iuſta belli cauſa. 362
7 Monita quadam pro bello ſuſcipiendo. 363

TITVLVS V.

De apparatu Bellico.

1 In quo Belli apparatus conſiſtat. 364
2 Quando fieri apparatus belli debeat. 365
3 De armis procurandis. 366
4 De Commeatu ſeu rebus ad victum neceſſarijs procurandis. 367
5 An pecunia ſit belli neruus. 368

TITVLVS VI.

De Belli Duce.

1 Quis ſit belli Dux & quæ eius virtutes. ibid.
2 An belli Dux Illuſtris genere eſſe debeat, & cuius ætatis. 370
3 An belli Dux conſtitui cum abſoluta poteſtate debeat. 371
4 Vnde exiſtere bonus belli Dux poſſit. ibid.
5 Vtrùm belli Dux Conſiliarios in bello habere debeat. 372
6 Qui eſſe debeant belli Ducis Conſiliarij. 373
7 An belli Dux pugnare ipſe in acie debeat. ibid.
8 An belli Dux ſeuerus in Milites eſſe debeat. 374
9 An Rex ſeu ſummus ipſe princeps in exercitu eſſe debeat. 375

TITVLVS VII.

De Alijs Militaribus Officijs.

1 Quæ prima ſint in exercitu toto officia. 376
2 Quæ in Equitatu & Peditatu ſint officia. 377
3 Quæ ſint rei Armamentariæ officia. ibid.

TITVLVS VIII.

De Militibus.

1 Qui milites & quam varij. 378
2 Quibus modis conſcribendi milites, & quæ in ijs attendenda. ibid.
3 Vtri in bello ſint præferendi Equites an Pedites. 381
4 Vtri præferendi ſint domeſtici an peregrini milites. 383
5 An tum priùs, cùm indictum eſt Bellum, conſcribendi ſint milites. 385
6 Quibus rebus boni reddantur milites & in officio continentur. ibid.
7 An expediat vt milites ſuas ſecum habeant in bello vxores. 386
8 An Meretrices, Calones, Lixæ in exercitu cum militibus eſſe debeant. 387
9 Quænam militum ſint Priuilegia. ibid.

TITV

TITVLVS IX.

De Itinere Militari.

1 *Vtrùm ſatius ſit hoſtem aggredi, an expectare cùm indictum nobis Bellum.* 388
2 *Quid primò agendum cùm Regio hoſtilis inuaditur.* 389
3 *Quomodo duci exercitus per propriam vel alienam Regionem debeat.* 390
4 *Quomodo tranſire flumina exercitus debeat.* 391

TITVLVS X.

De Pugna ſeu Prælio.

1 *Quæ conſideranda ſunt Imperatori ante pugnam.* 392
2 *Quibus rebus animari milites ad pugnam poſſint* 394
3 *Vtrum praſtet hoſtem aggredi, quam aggredientem ſuſtinere.* 396
4 *Contemnere hoſtem ſuum non oportet.* 398
5 *Quanam in pugna & circa eam ſint attendenda.* ibid.
6 *Quid agendum ſit cùm inita pugnæ conſilium diſplicet.* 401
7 *An ſtratagematibus vti in bello liceat.* ibid.
8 *An hoſti fugienti intercludenda ſit via.* 403
9 *Quid poſt pugnam ſit agendum.* ibid.
10 *Alia poſt victoriam curanda.* 404
11 *Quid poſt victoriam de captiuis agendum.* 406
12 *An licita ſit hoſtium occiſio, ſpoliatio, bonorum direptio.* 407
13 *Quid de exploratoribus ſit ſentiendum.* 408

TITVLVS XI.

De Seditionibus Militaribus.

1 *Quænam ſint militarium ſeditionum cauſæ.* 409
2 *Aliæ occaſiones ſeditionum & quomodo creſcant.* 410
3 *Remedia contra ſeditiones militares.* 412

TITVLVS XII.

De Diſciplina, Præmijs & Pœnis Militaribus.

1 *In quo conſiſtat diſciplina militaris.* 413
2 *Quid circa mores militum ſit attendendum.* ibid.
3 *Quæ militum ſint præmia.* 415
4 *Quæ ſint pœnæ militares.* 416
5 *De ſtipendijs militum.* 417

TITVLVS XIII.

De Duello.

1 *Quid Duellum & an licitum.* 418
2 *An ſuſcipi Duellum pro defenſione proprij honoris poſſit.* 419
3 *An pro bonorum aut vitæ defenſione licitum eſſe Duellum poſſit.* ibid.
4 *An ad Bellum dirimendum permitti Duellum poſſit.* 420
5 *An etiam Dux belli ab hoſtium Duce prouocatus ſuſcipere Duellum debeat.* 421
6 *Quænam ſint pœnæ ſuſcipientium ſine cauſa Duellum.* ibid.
7 *Nonnulla in iuſto Duello obſeruanda.* 422

TITVLVS XIV.

De Inducijs & Pace.

1 *Quid Inducia, quid Pax, & cuius eam faciendi poteſtas.* 423
2 *An expediat Inducias aliquando interponi.* 424
3 *Quomodo gerere ſe oporteat ad pacem obtinendam.* 425
4 *Quibus conditionibus iniri pax debeat.* ibid.
5 *Nonnulla circa pacem conſtituendam obſeruanda.* 427
6 *Quodnam ſit boni Principis partâ iam pace officium.* 428

FINIS INDICIS.

AΦ1 165384